

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

IUS CANONICUM

AUCTORE

P. FRANCISCO XAV. WERNZ S. J.

AD

CODICIS NORMAM EXACTUM

OPERA

P. PETRI VIDAL S. J.

~~WERNZ VIDAL~~

TOMUS VII

IUS POENALE ECCLESIASTICUM



ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

Piazza della Pilotta

1937

IMPRIMI POTEST

Romae, die 27 Aprilis 1933

P. RAPHAEL BITETTI S. J.
Praep. Prov. Rom. S. J.

IMPRIMATUR

Romae, die 8 Maii 1937

† A. TRAGLIA
Archiep. Caesarien., Vic. ger.

TYPIS PONTIF. UNIVERSITATIS GREGORIANAE

PRAEFATIO

Ius poenale, cum sit una ex iuris partibus difficilioribus, praesertim si habenda sit ratio fluctuantium principiorum, quibus innixae variae scholae iuridicae, ultimis praesertim duobus saeculis, inter se contenderunt, ita in codificatione iuris ecclesiastici peculiari cura elaboratum est et prae ceteris iuris partibus systemationem quasi ex novo adepta est in novo Codice canonico. Propter hanc causam fusiori calamo fuit explanandum, cum in commentatoribus iuris Decretalium non reperiatur systematica tractatio, ad quam breve canonum commentarium remittere posset iuris studiosos et officiales quibus in Curiis ecclesiasticis demandatum est ius poenale applicare. Quae fusior tractatio inde etiam commendatur, quod pro iuridica formatione ius poenale peculiare habet momentum.

Ad hunc duplicem scopum respexi in publicando hoc tomo VII universi operis *Ius canonicum*, qui totus versatur in explanatione novi iuris poenalis seu libri V novi Codicis canonici.

Faxit Deus ut labor in ipso impensus duplici illi fini apte respondeat et aliquid contribuat ad meliorem cognitionem scientiae canonicae hodie tantopere necessariae.

Romae in festo S. Petri Canisii, 27 Aprilis 1937.

11736

INDEX ANALYTICUS

	PAG.
PROLEGOMENA I. Praenotiones	1
II. Notio et divisio iuris poenalis	2
III. Fontes iuris poenalis	3
IV. Litteratura iuris poenalis	8
V. Influxus Ecclesiae in ius poenale civitatis	13

PARS PRIMA

De delictis

CAPUT I. - Iuris poenalis generalis praecognita	17
CAPUT II. - De delicto ecclesiastico	28
CAPUT III. - De elementis delicti in particulari	35
CAPUT IV. - Divisio delicti ecclesiastici	45
CAPUT V. - De subiecto delicti ecclesiastici	51
CAPUT VI. - De fontibus imputabilitatis seu de imputabilitate ex dolo et ex culpa	55
CAPUT VII. - De qualitate et quantitate delicti	68
CAPUT VIII. - De delictorum gradibus	73
I. De aetate delinquentis consideranda	78
II. Sexus, condicio, scientia et institutio	32
III. Defectus usus rationis	83
IV. Surditates, surdomutismus	86
V. Somnus (naturalis et artificialis atque affectiones si- miles)	86
VI. Ebrietas	88
VIII. De ignorantia, errore, inadvertentia	91
CAPUT IX. - De circumstantiis vis et metus aliisque, quae ex parte vo- luntatis delictum aut excludunt aut minuunt	101
CAPUT X. - De passionibus	115
CAPUT XI. - De causis delictum aggravantibus	117
CAPUT XII. - De imputabilitate delicti in recidivis	119
CAPUT XIII. - De concursu plurium personarum in idem delictum eccle- siasticum	126
CAPUT XIV. - De concursu plurium delictorum in eodem delinquente	147
CAPUT XV. - De delicti ecclesiastici conatu	156
CAPUT XVI. - De effectibus delicti	164

PARS ALTERA

De poenis

SECTIO I. De poenis in genere

	PAG.
CAPUT XVII. - De poenis ecclesiasticis generalia	169
§ 1. Notio, finis, divisio poenarum	169
§ 2. De potestate Ecclesiae infligendi poenas	181
CAPUT XVIII. - De applicatione legis poenalis eiusque legitima interpretatione	188
§ 1. De applicatione legis poenalis in genere	188
§ 2. De poenis ordinariis et arbitrariis	194
§ 3. De poenis latae et ferendae sententiae	196
§ 4. Relatio inter poenas considerato foro ecclesiastico et saeculari	201
§ 5. Modus procedendi in applicandis poenis	202
§ 6. De interpretatione legis poenalis	207
CAPUT XIX. - De subiecto potestati coactivae obnoxio	210
CAPUT XX. - De poenarum cessatione	216
§ 1. De cessatione ob mortem rei, expiationem vel praescriptionem	216
§ 2. De poenarum remissione	220

SECTIO II. De poenis in specie

CAPUT XXI. - De poenis medicinalibus seu censuris generalia	227
CAPUT XXII. - De excommunicatione	276
CAPUT XXIII. - De interdicto	301
CAPUT XXIV. - De suspensione	326
CAPUT XXV. - De poenis vindicativis	342
CAPUT XXVI. - De poenitentis et remediis poenalibus	396

PARS TERTIA

De poenis in singula delicta

CAPUT XXVII. - De apostasia	408
CAPUT XXVIII. - De haeresi	418
CAPUT XXIX. - De schismate	435
CAPUT XXX. - De historica applicatione iuris poenalis Ecclesiae ad infideles	440
CAPUT XXXI. - De specialibus delictis cum haeresi conexis	446
CAPUT XXXII. - De delictis contra religionem	450
CAPUT XXXIII. - Iniuriae verbales contra Deum	455

	PAG.
CAPUT XXXIV. - De superstitione et sacrilegio	463
CAPUT XXXV. - Specialia delicta contra auctoritates eccl.	476
CAPUT XXXVI. - Delicta contra personas ecclesiasticas	490
CAPUT XXXVII. - Delicta contra res ecclesiasticas	501
CAPUT XXXVIII. - Delicta contra vitam	509
§ 1. Homicidium	509
§ 2. Abortus	514
§ 3. Suicidium	519
§ 4. Duellum	520
CAPUT XXXIX. - Delicta contra libertatem	528
CAPUT XL. - Delicta mixti fori contra bona fortunae	531
I. Furtum, rapina, incendium	531
II. Quaestio specialis de usura	534
CAPUT XLI. - De delictis contra bonos mores	513
CAPUT XLII. - De crimine falsi	550
I. Falsum	550
II. Collusio	555
III. Calumniosa denuntiatio	557
CAPUT XLIII. - De delictis in administratione et susceptione sacramentorum	558
§ 1. Quaestio prior	558
§ 2. Violatio sigilli	562
§ 3. Sollicitatio ad turpia	566
CAPUT XLIV. - De delictis contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi	575
I. Contra obligationes communes clericorum	575
II. Violatio specialium obligationum	579
III. Delicta religiosorum	582
CAPUT XLV. - De delictis in collatione, susceptione et dimissione dignitatum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum	590
I. Delicta in collatione offic. et beneficiorum	590
II. Simonia in officiis et beneficiis ac dignitatibus	593
III. Delicta in susceptione beneficiorum	594
IV. Delicta in dimissione beneficiorum	597
CAPUT XLVI. - De abusu potestatis et officii ecclesiastici	599

PROLEGOMENA

§ 1. Connexio materiae tractandae

1. Universum ius ecclesiasticum complectitur sacros canones de constitutione atque regimine Ecclesiae catholicae (1). Quod regimen fit per exercitationem potestatis legislativae; imprimis in administratione vel gubernatione Ecclesiae. Quae ut efficax sit, accedat necesse est exercitatio potestatis *iudiciariae* in tribunalibus ecclesiasticis et exercitatio potestatis *coercitivae*, qua delictis ecclesiasticis iustae decernuntur poenae quae instituto legitimo iudicio delinquentibus irrogantur. Postquam praemisso libro introductorio in libro II et III codicis sacri canones de constitutione et administratione Ecclesiae catholicae explanati sunt, libro secundo, qui ex logica rerum connexione post tres priores libros collocatur, disputatio de iure constituto circa constitutionem sive ordinationem et proceduram iudiciorum ecclesiasticorum est reservata. Quare reliquum est, ut quid leges ecclesiasticae de exercitatione potestatis coercitivae disposuerint, quinto libro examinetur (2).

2. **Scholion.** Inde facile patet, ius poenale esse partem iuris publici, non privati. Nam ius poenale principaliter refertur ad ordinem publicum tuendum, ad publicam vindictam sumendam prop-

(1) *Wernz*, Ius Decret. t. I. n. 56.; *Tarquini*, Instit. iur. eccl. publ. n. 1 2 3. Quod ius de constitutione Ecclesiae potest vocari ius publicum; at concedendum est, quamplurimas leges *de regimine* Ecclesiae datas ratione ipsius obiecti iuri publico esse adnumerandas, non privato. Id quod potissimum obtinet de iure poenali huius libri quinti. Quare ius publicum Ecclesiae latius patet quam ius de sola constitutione Ecclesiae conditum. Cfr. c. 11 D. 1; *Schmalzgr.* Ius ecclesiast., Dissertatio prooemial. n. 147 sq. 174. sq.; *Zech*, De iud. crim. § 1; *Zallinger*, Inst. iur. eccl. lib. V tit. 1 § 6.; *Wernz*, Ius. Decret. t. I n. 50 not. 31.; *Berner*, Trattato di diritto penale, § 33.

(2) *Tarquini* l. c. n. 20 sq. 22 sq. 25.

ter bonum commune, non propter commodum privatum (3). Insuper exercitatio iustitiae poenalis ad vindictam sumendam a sola auctoritate publica in Ecclesia fieri potest neque pactis et transactionibus hominum privatorum est obnoxia. Denique vel ipsa accusatio criminum in Ecclesia magis magisque arbitrio privato fuit subducta atque fit per magistratum publicum sive promotorem fiscalem, aut fama deferente ipse iudex in processu inquisitionis procedit ex officio contra delictum.

§ 2. Notio et divisio iuris poenalis

3. Ius poenale (criminale) hodie significat illam iuris partem, quae leges continet, quibus violationibus legum (delictis) poenae imponuntur. Leges vero ab ipsis iudicibus servandae in iudiciali delictorum cognitione in ordine ad poenarum applicationem constituunt specialem iuris partem, quae ius processus poenalis sive criminalis audit. Quae duae iuris partes accurate hodie discernuntur vel ipsa forma qua leges de criminibus coercendis et de iudiciali ipsorum cognitione in separatis codicibus promulgantur: codex poenalis — codex proceduræ poenalis (4). Atque inde etiam ratio petitur separatae tractationis scientificæ.

4. Quae distinctio, praesertim quoad scientificam tractationem, etiam in foro ecclesiastico convenienter retineri debet, et in ipsis fontibus fundamentum habet: universum enim ius poenale libr. V Decret. contentum in duas partes facile distinguitur (5), in quarum prima (tit. 1, 2) breviter exhibetur ordo iudiciarius in causis criminalibus servandus (*ius proceduræ poenalis*), in reliquis titulis (tit. 3.-36) principaliter agitur de delictis ecclesiasticis, et continetur ius constitutum (tit. 37-39) de poenis ecclesiasticis (*ius poenale*, seu de delictis et poenis) (6).

(3) Zech l. c. § 1.; Zallinger l. c.; Passerini, Regolare tribunal, p. 1. sq. de causa finali iudicii; Brusa, Diritto penale, n. 14; Carmignani, Iuris crimin. elementa, § 9 sq.

(4) Qua distinctione idem significatur ac per illam divisionem iuris poenalis, in ius poenale *materiale* seu *substantivum* i. e. quo definiuntur crimina eorumque poenae, et in ius poenale *formale*, quo determinantur iudicia poenalia et modus in eis procedendi. Brusa Prolegomeni di diritto pen. c. 1. n. 3.

(5) Schmalzgr. in prooem. l. V; Reiffenst. praef. in l. V.

(6) Cfr. Lega, De iudiciis eccl. t. III. in prooem., ubi propter hanc rationem sibi discedendum putat ab ordine legali iuris Decretalium.

5. Ipsum vero ius poenale sensu specifico acceptum convenientem accipit partitionem, quam methodus vere scientifica et scholastica postulat, si prius in genere tractetur de delictis eorumque variis elementis tum obiectivis tum subiectivis seu in ordine ad eorum imputabilitatem; deinde de poenis in genere et in specie agatur (7); postea exponatur ius vicens de singulis delictis cum respectivis poenis et peculiare modi, quibus forte poenae sunt applicandae; brevis vero tractatio per modum scholii secundae parti subiungatur, qua explicentur remedia praeventiva et paenitentiae, quae in foro ecclesiastico propter specialem eius indolem maximum habuere momentum atque etiam nunc habent. Hinc divisio:

Pars I. De delictis ecclesiasticis in genere.

Pars II. De poenis ecclesiasticis in genere et in specie de singulis poenis ecclesiasticis.

Scholion. De paenitentis et de remediis poenalibus.

Pars III. De singulis delictis ecclesiasticis eorumque poenis ac modo eas infligendi.

§ 3. Fontes iuris poenalis

6. Inter fontes iuris poenalis etiam Ecclesiae catholicae primo loco recensendum est *Ius naturale* (8). Etenim negari non potest, tum in procedura poenali tum in delictorum punitione certas condiciones iure naturali esse statutas v. g. reo accusato defensionem esse concedendam; ignorantiam invincibilem et inculpabilem legis excusare a delicto et poena. Praeterea ius divinum positivum de iure poenali certe reperitur in libris inspiratis novi testamenti (9) atque in traditione divina. Quae in libris sacris veteris testamenti

(7) Zech, De iudic. criminal. § 1 sq. § 97 sq. § 151 sq.; Muenchen, D. Kanon. Gerichtsverf. u. Strafrecht. t. II, p. 101 sq. 262 sq.; Soglia, Instit. iur. priv. eccl. § 222 sq.; Schiappoli, Diritto penale canonico, L. I. Il reato — elementi del reato — la pena canonica in generale — le singole pene ecclesiastiche. L. II. Dei delitti in ispecie.

(8) Zallinger l. c. § 5, not. (a); Suárez, De leg. l. X c. 2. n. 13 sq.; Molitor, Ueber can. Gerichtsverf. geg. Cleriker pag. 4.; Droste, Kirchl. Disciplin. u. Crim. Verf. p. 6.

(9) Matth. XVIII, 14-18 et plura alia in epistolis Paulinis, v. gr. I Cor. V 1-6, 10-13; II. Cor. II, 6-12, V, 1-6; II Thesal. III 14.

de delictis eorumque poenis et cognitione iudiciali mere positiva ratione fuerunt statuta, in novo testamento, utpote omnino abrogata, fontes proprie dicti iuris poenalis Ecclesiae non iam existunt, nisi quatenus ab Ecclesia denuo sint approbata (10). Immo leges criminales veteris testamenti, quamvis inservire possint, ut honestas certarum legum ecclesiasticarum luculenter demonstraretur (11), tamen nequam indiscriminatim denuo ubique introducendae sunt atque adeo sanctiones quaedam poenales, quibus Deus in vetere testamento extraordinario modo usus est supremo suo dominio in vitam hominum, a nulla potestate humana adoptari possunt (12).

7 Leges ab Ecclesia latae de delictis eorumque poenis, de iudicio et procedura poenali uberrimum constituunt fontem iuris poenalis. Quarum legum poenali iam ipso tempore apostolico (13) reperiuntur exempla neque iurisdictionis coercitivae practicus deest usus (14). At speciales collectiones iuris poenalis primis saeculis nondum existunt et canones de hac re aliqua ratione agentes indiscriminatim ordine chronologico cum aliis canonibus in antiquis collectionibus recensentur. Prima vestigia distinctarum collectionum videntur reperi in epistola S. Gregorii Neocaesariensis (a. 258) (15) et in tribus epistolis cononicis S. Basilii de delictis ecclesiasticis et paenitentis publicis. Exinde paulatim orti sunt libri paenitentiales, qui praesertim in aestimanda imputabilitate singulorum delictorum atque in definiendis circumstantiis eorundem gravitatem augentibus vel minuentibus optiman lucem praeferunt (16). Insuper primis istis

(10) Cap. 1, X. de adulteriis V. 16; *Schiappoli*, Diritto pen. can. n. 16 sq.; *Zech* l. c. § 6.

(11) *Zallinger* l. c. § 6.

(12) Exod. XXIII, 32 sq. XXXIV, 15. 16.; Deuteron. VII, 1 sq., XX, 16 sq.; *Schegg*, Bibl. Archaeol. p. 707. 677. sq. Quare *Berner*, Diritto penale, p. 48 sine solido fundamento "barbariam iuris criminalis Mosaici," exagitat.

(13) Cfr. de iudicio poenali: I Timoth. V, 19.

(14) I Corinth. V, 1 sq. de incestuos. Corinth.; Tit. III, 10, 11. de vitando haeretico.

(15) *Pitra*, Iur. ecclesiast. Graecor. hist. et monum. tom. I, p. 562 sq.; 575 sq.; *Schmitz*, D. Bussbuecher u. d. Bussdisciplin der K. p. 34 sq.

(16) Hoc fatetur *Schiappoli* l. c. n. 16, qui idcirco dicit libros paenitentiales posse considerari tamquam primum exemplar codicum poenaliu recentiorum atque cum *Pertile* (Storia del dir. ital. V, § 167 p. 36) agnoscit in illis libris elucere, quam aptae fuerint poenae et paenitentiae Ecclesiae ad inspirandum horrorem delictorum praesertim sanguinis populis barbaris recenter ad Ecclesiam conversis et ad truculenta crimina pronis.

saeculis praesertim in processu poenali legum romanarum etiam in foro ecclesiastico non levis fuit vis atque auctoritas (17).

Postquam in foro civili ab Imperatore Iustiniano iuris poenalis facta est authentica quaedam collectio (18), etiam in foro ecclesiastico magis magisque leges poenales propriam in systemate canonum obtinuerunt sedem. Cuius rei vestigia iam in antiquioribus collectionibus canonum existunt, neque alienus est Gratianus (19); at is, qui ante Codicem invaluit ordo iuris poenalis in codice authentico iuris ecclesiastici, a Bernardo Papiensi introductus atque in aliis quatuor antiquis collectionibus retentus est. Quem ordinem, quo universum ius poenale libro quinto reservatur, quoad substantiam adoptavit S. Raymundus de Pennaforte in collectione authentica Gregorii IX (20). Cum in subsequentibus collectionibus libro quarto de matrimonio nonnisi paucissima capita nova reperiuntur de iure poenali tum in Sexto tum in Clementinis itemque in Extravagantibus liber quintus compluribus titulis et non paucis capitibus constat (21).

In Concilio Tridentino non solum de processu poenali, sed etiam de delictis et poenis ecclesiasticis complura decreta condita sunt (22). Quae decreta, cum nonnullis legibus poenalibus ante Concilium Tridentinum latis et multis aliis Constitutionibus Romanorum Pontificum, post Concilium Tridentinum de iure poenali promulgatis, schemati Decretalium Clementis Papae VIII fuerunt inserta; itemque in libro septimo, qui interdum ad instar appendicis nonnullis editionibus subiungitur, multae Constitutiones Rom. Pon-

(17) *Droste* l. c. p. 6 sq.; *Schiappoli* l. c. n. 17.

(18) Inst. IV, 1-5, 18.; Dig. XLVII, XLVIII.; Cod. IX.

(19) Decret. Grat. P. II, v. g. Caus. I, II, III; quamvis fatendum sit, Gratianum leges poenales in speciali parte suae collectionis non collegisse, sed incidenter in singulis materiis retulisse. Cfr. *Schiappoli* l. c. n. 18.

(20) Qui liber quintus a modernis codicibus poenalibus et ordinibus processus poenalis multum discrepat. *Droste* l. c. p. 7.

(21) *Schiappoli* l. c. n. 19, qui n. 18. indicat praecipua loca praesertim Decreti Gratiani, quae ad ius poenale spectant.

(22) Cfr. de processu poenali: Conc. Trid. Sess. XIII, cap. 1-8, de ref.; Sess. XIV, cap. 1, de ref. (de sent. ex inf. consc.), cap. 4, 5. ead. Sess.; Sess. XXII, cap. 7, de ref.; Sess. XXIV, cap. 5, 20, de ref.; Sess. XXV, cap. 10, de ref.; Sess. XXV, cap. 15. de regul. Item de delictis et censuris et poenis non pauca a Patribus Conc. Tr. aut innovata aut denuo statuta sunt, cfr. *Maschat*, Inst. canonic., elench. II, III. IV. V.

tificum praesertim ex saeculo 15 et 16 etiam sub novis titulis libri V recensentur (23).

Ultimo saeculo Bullarium Benedicti XIV est fons uberrimus etiam iuris poenalis Ecclesiae catholicae (24).

Inter collectiones iuris poenalis ultimo saeculo factas maxime eminent Pii IX Const. "*Apostolicae Sedis*," 12 Oct. 1869, in qua habetur codificatio omnium censurarum certis delictis ipso iure inflictarum. Verum codex quidam poenalis (25), in quo ex disciplina vigenti omnia et singula delicta ab Ecclesia notata cum poenis etiam vindicativis iure communi ipsis inflictis accurate enumerantur ante Codicem Pianum a Benedicto XV promulgatum non existit, in cuius Codicis l. V communi desiderio factum est satis habendi perfectum et completum Codicem poenalem, in quo et principia iuris poenalis et singula delicta cum respectivis poenis ordine systematico proponuntur, atque dubia et incertitudines iuris poenalis antiqui penitus tolluntur (26).

8. Quodsi leges saeculares (27) in foro ecclesiastico ex sese vim non habent, tamen per canonizationem ab Ecclesia factam non paucae leges iuris romani et iuris germanici (28) etiam in iure poenali Ecclesiae fuerant receptae; at nequaquam illae antiquiores leges poenales fori saecularis aut leges recentiorum codicum poenaliarum arbitraria ratione ad forum ecclesiasticum in causis poenaliibus cognoscendis transferri possunt (29).

9. Denique consuetudo quoque in iure poenali sua vi non caret tum in introducendis tum in immutandis vel abrogandis legibus poenaliibus. Nam nulla existit lex divina nec canonica (30), qua

(23) Clem. Pap. VIII, Decretal. ed. *Sentis* p. 35 sq., 157 sq.; *Maschat* l. c. elench. VI.

(24) Cfr. v. g. Bened. XIV Const. "*Ad militantis*," 30 Mart. 1742.

(25) Cfr. de processu poenali decreta publicata in Collect. Lac. tom. I, p. 364, 427 sq., 529 sq.; *Droste* l. c. p. 221 sq.; praesertim vero consulenda est Instr. S. C. Ep. et Reg. 11 Iun. 1880 cum. ulteriore declaratione 26 Mart. 1886.

(26) Cfr. Regolamento penale Gregorii XVI pro statu pontificio.

(27) Cfr. de iure Rom.: Inst. IV, 1-5, 18.; Dig. XLVII et XLVIII; Cod. IX.

(28) *Bouix*. De iudic. eccl. tom. I, p. 19 sq.; *Molitor* l. c. p. 32 sq.; *Schiappoli* l. c. p. 631 sq.

(29) Decret. S. C. Ep. et Reg. 18 Dec. 1835.

(30) Arch. f. k. K. tom. 59, p. 384 sq. Ita iam pridem, partim expressa Rom. Pontificum concessione, partim praxi in ipsa Curia Romana recepta, proceduræ

consuetudini in iure poenali vis atque efficacia absolute denegetur; verba enim cap. 11, X. de consuet. (l. 4.) itemque can. 27 et 28 Codicis sunt omnino generalia neque exceptio de iure divino et naturali facit difficultatem, cum nequaquam universae leges poenales in Ecclesia catholica a Deo latae sint; immo poenae in iure Codicis sola positiva lege canonica vel aequivalenti iuridica praescriptione iuducuntur. Demum ipsa experientia et praxi vis illa iuris consuetudinarii in hac materia comprobatur, quoniam negari non potest, v. g. consuetudine non paucas poenas ecclesiasticas fuisse abrogatas (31).

Scholion. Inter fontes quasi subsidiarios et scientias auxiliares, ex quibus perfectior cognitio iuris poenalis etiam Ecclesiae catholicae hauritur, recensendae sunt philosophia moralis, et theologia moralis, cum falsis doctrinis philosophicis non pauca innitantur perversa systemata iuris poenalis (32) atque a falsis principiis iuris naturalis et moralitatis petantur argumenta ad impugnandum ius poenale Ecclesiae catholicae (33). Maxime vero practica iurisprudencia poenalis acquiritur, si relegantur et repetantur *causae criminales* praesertim in supremis tribunalibus ecclesiasticis disceptatae et definitae (34). Cui studio accedant necesse est disquisitiones de *histo-*

ordinariae sive sollemni in causis poenaliibus substitutus est processus summaris. Cfr. Card. *De Luca*, De iudic. disc. 34, n. 6; *Droste*, Kirchl. Discipl. u. Crimin.-Verf. geg. Geistl. p. 60 sq.

(31) Cfr. de consuet. v. g. in iure Rom. admissa: L. 32, § 1, L. 36, II. de legib. (l. 3.); in Carol. art. 24, 104, 135, 215, 219. Huc spectat sane abrogatio torture vel poenae fustigationis etiam in foro ecclesiastico — saltem nostra aetate. Cfr. de praxi ultimo saeculo recepta: *Zech*, l. c. § 78 sq., § 129. — Ex natura rei multo difficilius introduci potest per consuetudinem praeter ius nova poena incurrenda a violatoribus novi iuris per consuetudinem introducti.

(32) *Berner* l. c. § 6 sq. longum catalogum diversarum theoriarum iuris poenalis recenset atque saepe iusto iudicio subiciit; *Delassus*, Les théories modernes de la criminalité, Paris 1903; *Cathrein*, Moral philosophie tom. II, p. 543 sq. ubi solide refutat falsas theorias de iure poenali; *Périès*, La morale catholique et l'irresponsabilité déterministe; *Tarquini*, Inst. iur. publ. n. 23 sq.; *Cavagnis*, Institut. iur. publ. eccl. P. I, p. 71 sq.; *Muenchen* l. c. tom. II, p. 9 sq.

(33) Cfr. v. g. controversias de torture, de suspensione ex informata conscientia, a pluribus impugnata.

(34) *Analecta iur. pont.*; *Acta S. Sed.*; *Acta Ap. Sedis* vel *S. R. Rotae* decisiones a *Lega* et deinceps publicatae.

ria (35) iuris poenalis etiam apud diversos populos, unde scientia legislationum comparatarum haud leve capit incrementum. Quodsi saeculis elapsis Ecclesia non dedignata est complures sanctiones iuris poenalis romani vel germanici adoptare, nihil profecto obstat, quominus facta penitioris examinatione moderni iuris poenalis ex foro saeculari aliqua utiliter in forum ecclesiasticum transferantur ut iam factum est v. g. officium promotoris fiscalis (36). Cum studio historiae iuris poenalis utiliter coniungitur *statistica*; ex illa enim non raro colligetur, legem latam immutandam esse aut fortius maiorique vigore urgendam (37). Denique cum Ecclesia non pauca crimina mixti fori saltem nostra aetate relinquat foro saeculari, *medicina forensis* v. g. in casibus homicidii, licet sua utilitate non careat, rarius usum practicum habebit.

§ 4. Litteratura iuris poenalis

10. Primis Ecclesiae saeculis, cum de universo iure canonico libri non essent conscripti, etiam tractatus singulares de iure poenali non existunt. Nihilominus praeformationes quaedam scientiae iuris poenalis reperiuntur in collectionibus canonum et praesertim in libris de paenitentia (38) conscriptis.

Praeter commentatores iuris Decretalium (39) et auctores Institutionum canonicarum (40) consulendi sunt:

I. De iudicio poenali: *Pillii*, *Tancredi*, *Gratiae* libri de ordine iudiciorum ed. Frid. Bergmann (1842), *Durantis*, *Speculum iudiciale*,

(35) *Thonissen*, Hist. du droit crim. des peuples anciens, 1869; *Du Bois*, Hist. du droit crim. des peupl. anciens, 1845.; Hist. du droit crim. des peupl. modernes, 1854-1870; *Albéric Allard*, Histoire de la justice criminelle au XVI siècle, Gand 1868; *Deturbet*, La procédure criminelle au XVII siècle, Paris 1881.

(36) Instr. S. C. Ep. et Reg. 11 Iunii 1880, art. 13.

(37) *Cavagnis* l. c. p. 92 sq.

(38) *Sirmond*, Histor. poenit. publ.; *Frank*, D. Bussdisciplin; *Schmitz*, D. Bussbuecher.; Act. theol. Oenip. (*Bloetzer*), tom. XI, p. 483 sq.; *Kirchenlex.* (Funk.), tom. II, p. 1561, sq.; *Hinschius*, Syst. d. k. Kirchenr. tom. IV, p. 691 sq. pro suo more protestantico.

(39) V. g. *Pirhing*, *Reiffenstuel*, *Schmalzgrueber*, *Santi*, *Grandclaude* in lib. II, V, Decretal.

(40) *Zech*, De iudiciis criminalibus (tom. VI universi op.); *Devoti*, Inst. canonic. lib. III, tit. 1, sq.; *Vering*, Inst. iur. eccl. § 185, sq.

praesertim lib. III 1; *Maranta*, Speculum aureum; *Farinacius*, Praxis criminalis; *Passerinus*, Regulare tribunal. — *Bouix*, De iudiciis ecclesiast. tom. II; *Muenchen*, D. can. Gerichtsverf. u. Strafr. tom. I.; *Molitor*, Ueber d. can. Gerichtsverf. geg. Clerik; *Droste*, Kirchl. Disciplin. Crim. Verf. geg. Geist.; *Fournier*, Les officialités au moyen âge, Paris 1880. — *Marx*, De denunt. iur. can.; *Gross*, Die Beweis theor. im can. Proc.; *Kellner*, D. Buss. u. Strafverf. g. Clerik. in d. sechs. ersten christl. Jahrh.; *Biener*, Beitrage zur Geschichte des Inquisitionsproc.; *Hildenbrand*, D. purgatio canonica u. vulgaris; *Fessler*, D. can. Process nach seinen posit. Grundlagen etc.; *Heiner*, De processu criminali eccles. Romae, 1912.

11. De iure poenali pressius accepto i. e. de delictis et poenis inprimis consulendi sunt classici commentatores iuris Decret. in commentariis ad lib. V, v. gr. *Schmalzgr.*, *Reiffenst.*, *Pirhing*, *Passerinus* in VI Decret., *Barbosa*, *Fagnanus*, *González Téllez*, *Berardi*, *Devoti* etc.

I. Qui prius scientifica methodo de iure poenali tractarunt, cum theorias generales de delictis, de poenis ac de applicatione legis poenalis in collectionibus authenticis iuris ecclesiastici expresse et methodice propositas non reperissent, de illis theoriis aut pauca et ieiune scripserunt aut ex iure Romano maxima ex parte desumpserunt. Quae permixtio iuris Romani et canonici occurrit in omnibus fere glossatoribus et commentatoribus a saec. XIII usque ad González Téllez et Fagnanum (41) atque ortum praesertim habuit ex repristinato per scholam Bononiensem studio iuris Romani. Unde factum est, ut iidem passim essent doctores utriusque iuris atque ad ius ecclesiasticum explicandum adhiberentur laici doctores qui multum et nonnunquam inepte insistebant in iure Romano tum passim vigente (42).

II. A commentatoribus iuris ecclesiastici praesertim adhibitae sunt theoriae et doctrinae, quas in specialibus tractatibus de iure poenali exposuerunt: *Albertus Gandinus*, Libellus de maleficiis, Venet. 1551, 1596; *Bonifacius de Vitalinis*, Tractatus super maleficiis, Lugd. 1529; *Hippolytus de Marsiliis*, Practica causarum criminalium, Lugd. 1529; *Angelus Arenitus*, Libellus de maleficiis, Lugd. 1581; *Iulius Clarus*, Sententiarum lib. V, Francf. 1590; *Aegidius Bossius*, Trac-

(41) *Schiappoli* l. c. n. 21.

(42) *Wernz*, Ius Decretalium, t. I, n. 307 sq.

tatus varii seu quaestiones criminales materiam sive actionem fere omnem continent, Basil. 1578; *Tiberius Decianus*, Tractatus criminales, Venet. 1551, 1591 etc. (43); *Andreas Tiraquellus*, De poenis legum, consuetudinum statutorumque temperandis etc. 1559; *Carpzovius*, Practica nova saxonica rerum criminalium, Vitemb. 1838; *Farinacius*. Opera omnia criminalia, Francf. 1597; *Sigismundus Scaccia*, De iudiciis causarum criminalium; *Dominicus Ursaya*, Institutiones criminales, Venet. 1720.

III. Inter eos qui scripserunt post inductam in iure poenali reformationem a tempore Beccaria, merentur consuli: *Renazzi*, Elementa iurisprudentiae criminalis, Romae 1774-1786, Synopsis iuris criminalis, Bonon. 1836; *Cremani*, De varia iurispr. crimin. apud diversas gentes, Ticini 1779. De iure criminali, Ticini 1791; *Carmignani*. Elementa iuris criminalis, Romae 1829.; *Rossi*, Traité de droit pénal, Paris 1829, vers. ital. Neap. 1853.; *Berner*, D. Strafrecht, Leipz. 1857, versio italic. a Bertola, Milano 1892; *Pessina*, Elementi di diritto penale, Napoli 1882; *Iuris poenalis Romani* historiam sobie et erudite exposuit *Ferrini Contardo*, Diritto penale romano; idem praestitit in iure populorum Germanicorum *Del Giudice*, Diritto penale germanico in vol. I operis Enciclopedia del diritto italiano. De philosophia et theoriis iuris poenalis; *Carrara*, Programma del corso di diritto penale, Lucca 1860; *Hauss*, Du principe d'expiation, Gand 1865; *Van Trojen*, Diss. iuridica de iure puniendi, Croning. 1826; *Van Ittersum*, De fundamento iuris puniendi, Traj. ad Rhen. 1824; *Zachariae*, Diss. quomodo Iuristi Romani de delictis eorumque poenis philosophati sunt, Vitemb. 1799.

IV. De iure criminali fori ecclesiasticis speciatim tractarunt: *Diaz de Lugo*, Practica criminalis canonica, Romae 1581: *Ziletus* in "Tractatus illustrium iurisconsultorum de iure cognoscendo et interpretando,, Venet. 1584, quod opus collectos continet 1715 tractatus secundum ordinem Decretalium distributos, atque in vol. 23 habentur quaestiones criminales, in vol. 24 agitur de haeresi et magia, tom. XIII et XIV exponuntur principia de potestate Ecclesiae et de censuris. — *Villagut*, Practica criminalis canonica, Bergam. 1585; *Gagliardi*, Tractatus de delictis tam mentalibus quam actualibus, Venet. 1610; *López de Salvedo*, Practica criminalis canonica, Mogunt. 1666; *Passerinus*, Regulare tribunal, Colon. 1699, ubi

(43) In l. II, c. 18-22 agit. de differentiis inter ius canonicum et civile.

multa continentur de generalibus notionibus delictorum quemadmodum in commentariis eiusdem auct. in VI lib. Decret.; *Ullheimer*, De potestate punitiva ecclesiastica et saecul. 1772.

V. De delictis et poenis ac praesertim de censuris scripserunt: *Felicianus*, Enchiridion de censuris, irregularitate et privilegiis, Ingolst. 1583; *Ugolinus*, De censuris eccl., Bonon, 1594; *Sayrus*, De censuris ecclesiasticis aliisque poenis et canonicis impedimentis; *Suárez*, Disputationes de censuris itemque de irregularitate, Conimbr. 1603, Lugd. 1604, Mogunt. 1617; *Altieri*, De censuris eccl. excomm. etc. cum explicatione Bullae Coenae Domini, Romae 1618; *Gibalinus*, Disquisitiones canon. et theol. de sacra iurisdictione in ferendis poen. et cens. eccl., Lugd. 1655.; *Ludovicus de Ameno*, De delictis et poenis, Venet. 1700; *Rosignolo*, Mastix eccl. contra contumaces..... seu de censuris eccl., Mediolani 1722; *Worel*, Nemesis eccles. in sacris canonici iuris sanctionibus expressa, Paris 1725; *Zech*, De iudiciis eccl. P. II de iudic. criminal., Ingolst. 1766; *Riegger*, Diss. de paenitentis et poenis, in Thesauro I. E. tom. VII, p. 157 sq.; *Gasparro*, Institutiones criminales, Romae 1741; *Stremmler*, Traité des peines ecclés., Paris 1860; *De Luca*, De delictis et poenis, Romae 1898.; *Lega*, Praelectiones de iudiciis eccl., ubi tom. III et IV agit de iudicio criminali et de delictis et poenis (44).

Solide de delictis et poenis disputavit *C. Ant. Thesaurus*, De poenis ecclesiasticis, Romae 1640., quod opus denuo edidit et locupletavit *Ubaldo Giraldi*, Romae 1860. Cum insigni eruditione *Kober*, Der Kirchenbann, Tubing. 1857, Die Suspension der Kirchendiener, ib. 1862, Die Deposition u. Degradation nach den Grundsätzen des K. Rechts, ib. 1867; *Eck*, De natura poenarum secundum ius canon., Berolin. 1860; *Hilarius a Sexten*. Tractatus de sens. eccles., Mogunt. 1898.

VI. Principia generalia iuris poenalis eccl. exposuit *Kahn*, Le délit et la peine en droit canon. Nancy 1898.; *Amor Ruibal* in introduct. ad tractatum. "La amoción administrativa de los párrocos,, Compostela 1912, El derecho penal de la Iglesia católica, Ibid. 3 vol. Completa quadam ratione ius criminale Ecclesiae ex fontibus collegit *Hinschius*, Das Kirchenrecht der Katholiken u. Protestanten

(44) Praeterea consulendi sunt Auctores, qui commentarios ediderunt in Const. "Apostolicae Sedis,, v. gr. *D' Annibale* (Commentator Reatinus), *Bucceroni*, *Pennacchi*, *Piat*, *Hilarius a Sexten*.

in Deutschland. tom. IV, V et VI, qui tamen haud raro sensu protestantico et ex praeiudicatis opinionibus de iure poenali disserit. Hinschius sequutus *Schiappoli* in Diritto penale canonico, Milano 1905, ordine systematico integrum ius poenale non neglectis generalibus theoriis atque cum historica eruditione exposuit, canonibus tamen particularibus nonnumquam nimium valorem tribuit. — *Katz*, Grundriss des canonischen Strafrechts, Berolin, 1881; *Muenchen*, Das Kanonische Gerichtsverfahren, Koeln 1866; II. Bd., Das canonische Strafrecht, 2 Aufl. 1874; *Hollweck*, Die kirchlichen Strafgesetze, Mainz 1899. Qui auctor habet singulare meritum, quod in breves canones ad instar articulorum, quibus constant codices moderni, universum ius poenale Ecclesiae redegerit. Praeterea tum in auctoribus Institutionum canonicarum (45), tum in his, qui de iure poenali scripserunt pro foro saeculari, non pauca reperiuntur ad ius poenale Ecclesiae spectantia (46).

VII. Post publicatum Codicem imprimis consulendi sunt auctores qui universum Codicem fusius aut brevius commentati sunt; v. gr. *De Meester*, Iuris canonici et canonico-civilis compendium vol. III, p. II, Brugis 1928; *Vermeerch-Creusen*, Epitome iuris canon. t. IIII Mechliniae. — *Matthaeus a Coronata*, Instit. iuris canonici vol. IV, Taurini 1935.

Specialem libri V commentarium scripserunt: *Sole*, de delictis et poenis, Romae 1920; *Chelodi*, Ius poenale et ordo procedendi in iudiciis criminalibus, Tridenti 1920, ed. tertia ibid. 1933; *Eichmann*, Das Strafrecht des Codex I. C. Paderborn 1920; *Noldin-Schöneger*, De poenis, eccles. Insbruck 1921; *Roberti*, De delictis et poenis, vol. I, pars I., Romae 1930; *Pistochi*, I canoni penali secondo il Codice esposti e commentati, Torino-Roma 1925; *Salucci*, Il diritto penale secondo il Codice di dir. canon. 2 vol. Subiaco 1926-1930; *Stocchiero*, Diritto penale della Chiesa e dello Stato Italiano, Vicenza 1932; Solide et fuse *Michiels*, De delictis et poenis vol. I De delictis, Lublin 1934.

In specie *De censuris* agunt *Cariglioli*, *Pighi*, *Cerato*, *Cipollini* etc. et praesertim completa quadam ratione *Cappello*, Tract. canonico-moralis de censuris iuxta C. I. C. Taurini 1925.

(45) V. gr. *Devoti*, *Permaneder*, *Heiner*, *Vering*, *Laurentius*.

(46) Cfr. *Geib*, Lehrbuch des deutschen Strafrecht. I, § 22 sq.; *Bar*, Geschichte d. deuts. Strafr. u. der Strafrechtstheorien, I, p. 71 sq.; *Hollendorff*, Handbuch d. deutsch. Strafr. § 21 sq.

§ 5. Influxus Ecclesiae in ius poenale civitatis (47)

12. I. Quod Ecclesia maximum et salutarem influxum exercuerit in ius poenale civitatis res est manifesta quae passim a iuristis admittitur. Ecclesia hac in re praesertim consideranda est a tempore, quo destructo imperio Romano propter incursiones barbarorum, ex reliquiis imperii destructi novae sub tutela Ecclesiae efformatae sunt nationalitates: antea namque potius obnoxia fuit persecutionibus, quarum tempore legislatio ecclesiastica non adeo evolvi potuit. Iam apud illos populos in moribus erat posita atque in ipsorum conditione insita privata vindicta; ad quam exstirpandam peculiari ratione Ecclesia iuvamen praestitit auctoritati civili. Sane privata illa vindicta directe opponebatur principiis in lege evangelica propositis; quare dum barbari in fidem conversi in Ecclesiam sunt ingressi, tum contra alia, tum praesertim contra illum morem privatae vindictae Ecclesiam praedicantem audierunt atque commendantem ex praecepto mutuae caritatis remissionem offensae acceptae et dilectionem inimicorum. Quae principia evangelica illis hominibus barbaris et ad vindictam pronis dura quidem et difficilia observatu videri debuerunt; sed ipsa inobedientia erat occasio cur magis magisque ipsis inculcarentur et obligarentur ad faciendam *paenitentiam* (48) propter id quod secundum patrias leges et mores erat ipsis permissum ac veluti modus ordinarius exercendae iustitiae criminalis, ad hoc ut a Deo veniam obtinerent.

II. Ad firmanda principia evangelica Ecclesia aperuit asylum in templis, quod initio praecise erat destinatum ad subtrahendum privatis persecutionibus inimicorum eos, qui ad templa confugissent. Quod ius asyli eo facilius praevaluit, quod in moribus illorum populorum iam erat positum, ut in propria domo et in domo principis

(47) Cfr. *Wilda*, das Strafrecht der Germanen (Halle 1842) pag. 525 sq; *Huc*, Influence du droit canonique sur la legislat. criminelle in Rev. critique de légis. et de jurispr. t. XII (1858) p. 441 sq.; *Du Bois*, Hist. du droit crimin. des peuples anciens (Paris 1845) p. 610 sq; *D'Espinay*, De l'influence des droit canon. sur la légis. française (Toulouse 1856) p. 122 sq.; *Pertile*, Storia del diritto italiano t. v. § 167; Storia del diritto penale (1892) p. 29 sq; *Salvioli*, Manuale di Storia del Diritto italiano dalle invasioni germaniche (1903) p. 531 sq.; *Schiappoli*, Diritto penale canonico cap. I.

(48) *Regino*, De ecclesiasticis disciplinis II c. 23; Liber Poenitentialis Merseburg c. 113.

immunis quis fieret ab insectationibus et vindictis (49). Facile satis fuit Ecclesiae, ut ea immunitas et inviolabilitas in Domo Dei propter eius sanctitatem agnosceretur, quam iam agnoscebant in proprio domicilio et in domo principis; et inde in populis medii aevi firmatum est ius asyli ecclesiastici (50); cuius effectus erat confugientem praeservare a privata vindicta praesertim sanguinis. Clerus ecclesiae ad quam quis confugerat, plena rei investigatione facta, omnem adhibebat operam ad partes inter se conciliandas, sive demonstrando rei innocentiam, sive inducendo offensum ut, loco privatae sanguinis vindictae, acceptaret compositionem quandam pecuniariam, idque ob reverentiam Dei et Sanctorum ad quorum templa reus confugerat (51). Hic erat modus quo primo tempore poterat Ecclesia illos populos adducere ad renuntiandum privatae vindictae: quamvis non erat unicus nec ultimus scopus ad quem spectabat eius opera.

Oportebat omnino subtrahere punitionem delictorum privatae partium offendentis et offensae conventioni atque illam curam tribuere publicae auctoritati, atque auferendo a *compositione* characterem privatae transactionis substituere notionem verae poenae. — In hoc quoque Ecclesia dedit exemplum novis illis populis. Certe ipsa iamdiu bene ordinaverat propria tribunalia ad exercenda iudicia forma quadam statuta et non arbitrario modo, in quibus secundum doctrinam Christi Domini et exemplum apostolorum (52) cognoscebat de delictis fidelium propriis atque etiam de delictis communibus, quae fuissent commissa a clericis (53); quam praxim retinuit in successiva evolutione illorum populorum etiam antequam fuisset recognita et firmata per legem civilem (54). Quare in foro Ecclesiae quodlibet delictum erat obnoxium poenae, quae non

(49) Chilberti decr. 569; L. Alam. Lamfr. 93, 2; L. Ripar 32, 4; L. *Baiuvariorum* t. I, c. 7; L. Wisigothor. l. VI, 7, t. 5, l. 16, 18; Zech, De iudic. criminal. § 34 sq., Id. De benignitate moderata Eccl. Rom. in criminosos ad se confugientes apud Thesaur. *Schimidt* t. V. p. 284 sq. *Daniels*, Hand. der deut. Reichs I, 568.

(50) Cfr. *Pertile* l. c. de legibus municipalibus Italiae.

(51) L. Wisigothor. IX. 3, 4; VI, 5, 18; L. Alaman. 3, 1; Bainr. I, 7; Decret. Gratiani C. XVII, g. 4, c. 36, 37.

(52) Matth. XVIII, 15-18; I Cor. V, 1-6, II ead. XIII, 21, Tit. II, 15; I Timot. I, 20; V, 20.

(53) I Tim. V, 19; L. 23 Cod. Theod. *de episcopis* (16,2), L. 1 ibid. *de relig.* (16,11); Nov. Valentin. tit. 34 *De Episc. iudicio*; Nov. Iust. 83 c. 1.

(54) Decr. Grat. C. 11, q. 1 c. 6, 42; Capit. Pip. 755, 18; § 25, 2; § 96, n. 3.

dependebat a voluntate offensi nec erat dimetienda ex partium pactionibus, sed unice decernebatur a publica auctoritate ecclesiastica. En veram philosophicam et iuridicam notionem delicti et poenae; a quo conceptu toto caelo distabat conceptus legislationis patriae illorum populorum.

III. Modus autem punitionis ab Ecclesia adhibitus erat valde diversus a modo punitionis societatis civilis: cum in hac vindictae privatae successerit expiatio per pecuniam seu compositio pecuniaria (55), Ecclesia reos supponebat corporis et animi afflictionibus vel privationibus, ad hoc ut daretur satisfactio non solum societati sed etiam divinae iustitiae et evitarentur poenae aeternae (56). Praeterea aderat exercitium publicae paenitentiae; insuper omnia delicta, utpote peccati in Deum rationem habentia supponebantur iudicio Ecclesiae in foro interno (57) Hoc exercitium duplicis fori interni et externi et modus peculiaris poenarum ab Ecclesia infligitarum mirum in modum influxum habuit ad inspirandum in illis populis horrorem delicti et ad illa aestimanda ut malum sociale et ut malum quod simul transcenderet praesentem vitam, non ut rem, quae privata partium pactione componeretur: pro tali delicto tantum mihi dabis pecuniae.

Hunc salutarem influxum Ecclesiae iam nunc, ut praemisi, fatentur omnes, qui de historica iuris poenalis evolutione scripserunt.

Nec minorem influxum exercuit Ecclesia in hoc, quod poenas ipsas pro illo tempore et condicione populorum rudium et crudelium aliquantulum acerbiores reddidit tolerabiles, propter finem quem ipsis proponebat et propter caritatem quam exhibebat erga delinquentes. Porro, non contenta satisfactio praestita personae offensae et exteriori culpae expiatione, maxime adlaborabat ab obtinendam internam paenitentiam et vitae emendationem, perducendo reos ad meliorem frugem. Qua in re multis saeculis praelusit theoriis modernorum poenalarum. Hac ratione docuit Statum ut in delictis puniendis sibi proponeret finem altiorem. Ipsi Status persuasi de superioritate Ecclesiae in modo coercendi delicta leges Ecclesiae poenales plures

(55) Cfr. *Pertile* l. c. § 178.

(56) Decret. Gratiani *de poenit.* I. 63; ibid. C. 12, q. 2, c. 11: *D'Espina* t. c. p. 122; *Schiappoli* l. c. p. 615, 616.

(57) Zech, De iudiciis criminal. § 135; Poenitent. Merserburgense c. 1-7; *Wanerschleben* Die Bussordnung der aberländischen Kirche einer reicherdritlichen Einleitung p. 391.: *Regino*, De synod. caus. et discipl. ecclesiast. II, 27.

adoptarunt vel sponte punitionem delinquentium facile relinquebant iudicio Ecclesiae.

IV. Tandem Ecclesia puniendo facta, quae sine laesione privatarum personarum, turbabant nihilominus ordinem moralem et religiosum velut blasphemiam, sacrilegium, haeresim, delicta carnis iuris alieni non laesiva, suicidium, mutilationem proprii corporis, sicut doctrina ita praxi ipsa docebat delictum esse malum absolutum pro societate, cui publica auctoritas congruam deberet sanctionem infligere, et in ipsis delictis quae sunt contra privatas personas inveniri violationem ordinis moralis multo maioris momenti quam sit ipsa laesio personarum, quem publicum moralem ordinem deberet tueri ipse ordo iuridicus societatis (58).

Nec omittendum est quantum valuerit opera Ecclesia, ita completis et ad suprema principia revocantis ius poenale Status, ad conservationem ordinis externi et publici, eo tempore quo nec leges passim habebant sufficientem sanctionem, nec tribunalia Status sufficientem vim et auctoritatem ad reprimenda delicta.

V. Praeter hunc influxum directum Ecclesia in ius poenale medii aevi alium etiam exercuit indirecte, dum tamquam exemplar proponebat sanctiones poenales iuris Mosaici ab ipso Deo originem habentis ideoque maxime apti ad excitandum in populis iam christianis maximam venerationem et desiderium ipsum aliqua ratione imitandi. Inde factum est ut v. gr. in Anglia saec. 9, fuerint illae leges Mosaicae publicatae ut leges Status et ut fundamentum aliarum legum. Aliquid simile factum est in populis subiectis imperio francorum. *Pertile* l. c. p. 38 sq.

VI. Quodsi saeculo demum XVIII coepit reformatio fieri iuris poenalis, et in hanc reformationem maximam partem habuerunt qui promoverunt studia iuris naturae et ethices, certe Ecclesia primas partes semper habuit in his studiis et maximos habuit etiam in hac re doctores; licet a iuristis saecularibus de iuris poenalis reformatione agentibus eo tempore non sint quaesiti doctores Ecclesiae, sed potius philosophi acatholici, qui tamen a doctoribus Ecclesiae maximam partem doctrinae hauserunt et de facto illis multo inferiores erant.

(58) *Geib*. Lehrb. des deutschen Strafrechts p. 125 sq.

CAPUT I

Iuris poenalis generalis praecognita

13. Hanc tractationem ita Latini exorditur (1): Humanae societatis moderatores poenas de delinquentibus sumere consuevisse, omnium temporum, omnium locorum et gentium historia testatur. Hoc factum certissimum, universale, perpetuum, ostenditne aliquod ius corporis socialis, vel e contra nihil aliud nobis revelat nisi *violentiam* a validiori in debiliorem exercitam? En quaestionem de fundamento potestatis puniendi. Illius disiunctivae quoad utrumque eius membrum sunt fueruntque patroni. — Sunt enim philosophi, qui, *moralem* hominis naturam eiusque liberum arbitrium infitiantes, ideam omnem iuris, ideoque etiam iuris socialis puniendi, logice quidam, sed putide reiecerunt. Logice, inquam, nam ubi nulla est moralis libertas, nulla facultas *agendi, omittendi, exigendi* concipi quidem potest. His profecto, factum sociale, quod nobis prodit historia, punitionis delinquentium aliud esse nequit, quam factum collisionis inter societatem et individuum eiusque naturalis quaedam consequentia — Quae putida doctrina, postremis temporibus sub appellatione *scholae criminalis positivae* in scientiae criminalis provinciam invecta est, atque afflante spiritu aetatis, vera philosophia oblivioni data atque contempta, innumeros ubique, brevi lapsu temporis, acerrimos fautores, etiam non infimae notae, nacta est; non lycea tantum et academias, sed tribunalia quoque passim, atque ipsas aulas legislativas, aut palam aut furtim, invasit. Cui scholae positivae aliae non minus erroneae accesserunt, pariter ex pseudo-philosophico conceptu societatis et naturae rationalis hominis derivatae. Ut huiusmodi aberrationes a scientia iuridica arceantur, in antecessum oportet in tuto ponere ius, quo publica potestas poenas constituit et irrogat.

14. Socialis punitionis natura et rationale fundamentum.

Quaestio haec antiquo tempore, (2) moderatius tamen agitata est et

(1) *Latini* - Iuris crimin. philosophici summa lineamenta.

(2) Cfr. v. gr. de theoria Platonis, Aristotelis, et Stoicorum: *Brunner*, Schuld und Strafe, Paderbon 1933 p. 10 sq.; *Lapadatescu*, Le fondement du droit de punir, Paris 1933. p. 20 sq.

variis modis proposita et hodie passim proponitur sub illa forma quam exhibet rubrica proposita, quae reapse confunditur cum illa alia forma qua quaestio fit de intrinseco et essentiali fine poenae.

Cum ergo et philosophi et iuristae conveniant in agnoscenda publica punitiva potestate, valde sunt discordes in adsignando titulo iuridico in quo innititur et fine intrinseco ad quem ordinatur, quae duo sunt inter se intime connexa. — Omnes theoriae, quarum diffusa expositio et, ubi a veritate aberrant, expressa confutatio non est huius loci, facile reduci possunt ad duplicem classem, quarum brevis et succinta declaratio et crisis systema poenale Ecclesiae illustrare potest (3).

15. I. Adsunt primo sic dictae theoriae poenales *absolutae*, quae poenam considerant ut sequelam necessariam delicti, ideoque non ordinatam nec ordinabilem ad aliquod bonum seu finem sociale legitimum; sicut delictum est aliquid absolute malum ita a priori et absolute meretur malum, seu a iustitia exigitur ut ei retribuatur poena: poenae causa est intrinseca delicti malitia. Ius puniendi fundatur iuxta *Kant* et eius asseclas in *necessitate ethica* (imperativum categoricum). Poenae criterium et mensura esset *talio* saltem moraliter aestimandus. Malum (poena) non potest ordinari ad bonum sive individui sive societatis (4).

(3) Cfr. *Latini*, Iuris criminalis philosophici summa lineamenta (1924); *Roberti*, De delictis et poenis I, n. 20 sq.; *Cathrein V.*, Filosofia morale (versio Italica 1920) II, p. 705 sq.; *Id.* Fundamentos del derecho penal (versio Hispanica 1911); *Montes*, Derecho penal español (1917) II, § 37; *Mendizábal*, Trat. de derecho natural (1931) III, n. 861 sq.; *Garçon*, Le droit pénal (1922) cap. 1, 2; *Pessina*, Derecho penal (versio Hispanica 1892); *Carrara*, Programma del Corso del Diritto penale, Parte generale II volumi; *Zuppetta*, Lezioni di Metafisica della Scienza delle leggi penali (1868); *Roeder*, Die herrschenden Grundlehren von Verbrechen und Strafe in ihren Widersprüchen (1867); *Seber*, Gründe und weck der Strafe (1876); *Walter* Naturrecht und Politik (1871) n. 441 sq.; *Ahrens*, Naturrecht, II, 450; *Biederlach*, Die modernen Strafrecht theorien (1899); *Bevolzheimer*, System der Rechts- und Wirtschaftsphilosophie — v. V, Strafrechtsphilosophie 3 sq.; *Brugger*, Schuld und Strafe (1933) p. 61 sq. 103 sq. 142 sq.; *Amor Ruibal*, El derecho penal de la Iglesia católica tom I, cap. 2, p. 23 sq.; *Espasa*, Dicción. enciclopédico v. pena; *Amor Neveiro*, Del derecho de castigar, su naturaleza etc. Santiago 1901.

(4) Kantiana theoria falso et damnato nititur principio, quo ius secernitur a moralitate, officia ethica ab officiis iuridicis; quod iuridicae normae a publica auctoritate impositae sola debeatur externa obedientia, cum alium non habeat

Hegel poenam repetit ex *necessitate logica* seu *dialectica* i. e. ut abolitionem delicti quod sine poena persisteret ut negationem negationis (i. e. delicti), ut redintegrationem iuris. Quae cohaerent cum eius philosophico systemate pantheismi idealistici, secundum quod omnia mutantur et ens absolutum tria stadia in sua evolutione decurrit (thesis, antithesis, syntesis); atque ita delictum esset quaedam negatio (thesis), poena esset alia negatio contra reum (antithesis), ad quam contradictionem e medio auferendam interveniret Status per iustam poenam (synthesis) (5).

Leibnitz (6) delictum constituit in perturbatione seu destructione harmoniae praeconstitutae, quam poena restituit (*necessitas aesthetica*), deductione facta ex ipsius systemate philosophico de harmonia inter monadas seu elementa simplicia quibus omnia constant: quod systema philosophicum liberum arbitrium perimit, in cuius destructione nullum systema iuridicum superstrui potest.

Huic affinis est *Herbart* si repetit ius puniendi ex displicentia luctae inter ius et eius violationem: quod systema proprie nihil explicat; licet ipse repudiaverit evolutionem hegelianam, retento tamen criticismo kantiano, et frustra conatus est admiscere elementum ethicum, quin tamen liberum arbitrium salvum reliquerit (7).

Theoriis absolutis adnumerari potest illa quae fundamentum potestatis puniendi repetit ex contractu seu pacto sociali, quale fuit propositum a Rousseau, quam secuti sunt Beccaria, Filangieri, Renazzi. Quae theoria iamdiu explosa est simul cum pacto sociali, cui philosophia cum historia, scientiae rationales et naturales aperte contradicunt.

finem nisi externam libertatem qua homines in societate una simul vivere possint. Cfr. *Kant* in Metaphysisch Aufansgründe des Rechts § 42. — In principiis consentientes diverso modo rem explicant plures asseclae Kant, velut *Binding*, Handbuch d. deutschen Strafrechts (1885). Grundriss des gemeinen Strafr. (1902), a quo fundamentum potestatis puniendi ponitur in defectu *obedientiae debitae*, qui poenam meretur, unde omnium legum violationes essent poenis coercendae; *Bar*, Handbuch d. deutschen Strafr. (1882); iuxta quem normarum violationes essent puniendae, *ob publicam reprobationem* ortam ex populi conscientia; *Merkel*, Lehrbuch der deutsch. Strafr. (1888) a quo repetitur a necessitate praevaletiae iuris obiectivi per delictum violati.

(5) *Hegel*, Grundlinien der Philosophie des Rechts § 97.

(6) Cfr. *Leibnitz*, Nouvels esshis de Thèodicée P. I, 73.

(7) *Herbart*, Allgemeine praktische Philosophie (1808); Opp. VIII. Analytische Beleuchtung des Natural rechts 315 sq.

16. II. *Theoriae relativae* dicuntur, quae titulum legalem poenae reponunt in aliquo *bono* seu *fine* necessario per ipsam obtinendo, sive a publico bono seu prosperitate sive a delinquente ipso bonum illud exigatur. Quae theoriae in duplicem classem dispescuntur; aliae excludunt veram culpam intellectam de voluntaria et moraliter imputabili legis transgressione, ideoque in poena recusant agnoscere veram expiationem pro commissa culpa, solam in poena agnoscentes normam praeservativam a futuris transgressionibus; aliae vero conceptum culpae et expiationis admittunt (8).

a) *Theoria praeservativa Scholae criminalis anthropologica*, quae duces habuit *Lombroso* et fundatur in extremo evolutionismo materialistico. Delictum potius esset morbus dependens a deficiente organizatione physica; delinquens est homo non sufficienter evolutus physiologicè aut biologice aut qui in statum pristinum insufficientis evolutionis reincidit: constanter habentur in societate anomaliae et atypiae, unde ex quodam atavismo fit regressus ad stadia priora et imperfecta evolutionis. In his casibus habetur delinquens natus ideoque irresponsabilis. Cfr. praesertim *Lombroso* opus *L'uomo delinquente* fere in omnibus linguis Europae versum. In ipsa Italia a *Ferri* fuit usque ad ultimum tempus cum successivis temperamentis defensa illa theoria, quae hodie passim, defervente antiquo plausu, deserta est et in ipsis Congressibus Anthropologico-criminalibus explosa. Cfr. Latini l. c. p. 3 sq. ubi efficax fit confutatio, eo tempore valde necessaria.

b) *Theoria praeservativa scholae criminalis sociologicae seu defensionis socialis*. Illa cui praefuit *Listz* (9) in hoc convenit cum praecedenti, quod liberum arbitrium non agnoscit et scientiam iuris poenalis intendit fundare in factis experientia comprobatis. Delictum ad duplicem causam refert: 1° ad indolem physiologicam delinquentis; 2° ad condiciones sociales in quibus versatur (milieu social) et hoc praecipua

(8) Theoriam utilitariam, ex qua poena pro fine haberet praevenire actus antiuridicos similes illi actui ob quem decernitur poena, prae ceteris patienti studio et sollerti ingenio ad systema reduxit iurista anglus *Bentham*, "Teoría de las leyes penales l. I, cap. 1," et in "Principios del Código penal 2ª. parte cap. III. IV," (versio hispanica). Illius brevem, succinctam et claram expositionem cum efficaci confutatione vide apud *Mendizábal*, Tratado de derecho natural (7ª ed.) tom. III n. 991.

(9) Strafrechtliche Aufsätze und Vorträge II, 83 sq. *Mendizábal* l. c. n. 996.

quodam ratione, cum ipsa conformatio biologica delinquentis dependeat ab ipsis relationibus socialibus, quae influxum exercuerunt in ipsius genitoribus, in ipso delinquente tempore sui ortus et tempore quo delictum patravit. In qua theoria pariter cum libero arbitrio, cadit conceptus culpae et expiationis (10) Quare poena fundaretur in necessitate opponendi in delinquente impulsu contrarium impulsui quo ad crimen impellitur (11).

17. III. *Theoria eclecticica* ultimo tempore dominata est, cuius fundatores fuerunt *Broglie*, *Guizot*, *Cousin*, *Rossi*, *Faustinus Elie*, quam *Saieilles* vocat *neoclassicam* praesertim prout exposita et propugnata est a poenalistis gallicis v. gr. a *Garraud*, Précis de droit criminel. Cfr. quoque *Vidal G.* Principios fundamentales de la penalidad (versio hispanica) a. 1888.

In suo complexu succincte reducitur ad haec principia; 1° Potestas socialis non habet ius puniendi omnem violationem legis moralis; 2° non potest punire nisi actus contrarios legi morali; 3° non habet ius puniendi actum quaempiam nisi in quantum laedit bonum seu interesse societatis; 4° punitio excedere non potest proportionem ab ipsa lege morali requisitam; 5° non potest excedere quantitatem mali socialis.

Non omnia haec principia eodem modo a diversis proponuntur nec semper probantur legitimis et probandis argumentis.

18. IV. Ex alia parte ad theorias relativae, quae salvant conceptum fundamentalem culpae et expiationis, pertinent:

a) *Theoria correctionalistica* quae ius puniendi derivat ex debito publicae auctoritatis delinquentes corrigendi eosque reducendi ad ordinem iuridicum quem deseruerunt (utilitas individualis) (12).

(10) *Cathrein*, Fundamentos del derecho penal p. 112 sq. accuratam expositionem et confutationem theoriae *Listz* vide apud *Cathrein*, Die Grundbegriffe des Strafrechts, Freiburg 1905.

(11) Cfr. quoque *Romagnosi*, Genesi del diritto penale (1834).

(12) Fuit haec theoria maxime ordinata, defensa et propagata a professore *Heidelbergense Roeder* — Commentatio an poena malum esse debet (Gienen 1839) — Fundamento jurídico de la pena correccional (Heidelberg 1846) versio hispanica — La pena correccional y sus instituciones como exigencia del derecho (1864) versio hispanica — Las doctrinas fundamentales reinantes sobre el delito y la pena, versio hispanica; *Gabba*, La scuola di Roeder e l'isolamento, Milan 1869. Cfr. *Mendizábal* l. c. n. 994.

b) Theoria *defensionis*, in qua ius puniendi repetitur ex iure societati competens (ideoque eius publicae auctoritati) se defendendi contra delinquentes ordinem iuridicum violantes.

c) Theoria *intimidationis* in necessitate timorem per poenas incutiendi ut pravi homines in delictum non labantur. Quae intimidatio, ut sit efficax, saltem aliquando poena executioni mandanda est.

d) Theoria *expiationis* motivum et finem poenae reponit in sola necessitate expiationis propter ordinem iuridicum violatum; cui violationi opponi debet reactio seu contraria actio (inflictio poenae) ut obtineatur cessatio violationis et ordinis iuridici violati restitutio seu reaffirmatio (13).

e) Tandem cum poena ex communi sensu sit malum; malum autem per se expeti et quaeri non possit, inflictio poenae debet a publica auctoritate ordinari ad bonum ipsius societatis, ad bonum ad quod protegendum et promovendum ordinatur publica societatis auctoritas; quare in hac re praescindi non potest a necessitate poenae ad conservandam et tuendam publicam securitatem et publicum ordinem; quae *necessitas*, sicut est mensura universae potestatis publicae auctoritati competentis, ita est et fundamentum potestatis puniendi et definit limites intra quos exercitium talis potestatis contineri debet.

19. Verum fundamentum iuris puniendi. Sententiae hoc ultimo capite enumeratae, aliquid veri continent, sed aut sunt vagae et aequivocae quoad formulationem aut finem aliquem extrinsecum et secundarium confundunt cum fine primario et intrinseco poenae et cum fundamento potestatis illam infligendi.

Sententia de officio delinquentes corrigendi et emendandi, omnino negligit respectum ad bonum commune, ad quod procurandum auctoritas publica societatis ordinatur: iam vero bonum publicum saepe exigit punitionem delinquentis, etsi nulla adsit spes emendationis, immo saepe exigit punitionem emendati: emendatio proinde solum potest esse finis secundarius poenae, non primarius et intrinsecus, ideoque non potest suppeditare verum fundamentum iuris punitivi.

(13) Specialem quandam theoriam reparationis, quam germanici vocant *Wiederherstellungs theoria* ad systema quoddam cohaerens reduxit *Weliker*, quam theoriam inter relativas prae ceteris completam habuit *Van Swinderen*, *Esquisse du Droit penal actuel* tom. I. p. 909 sq. Cfr. *Mendizábal* l. c. n. 933.

Theoria *intimidationis* pariter est deficiens. Quid enim, si, non obstante comminatione poenae, pravus homo delinquat? Debet societas homini malefico auferre potestatem ulterius nocendi. Sed quomodo explicatur, quod ad hoc possit ipsi infligere malum, auferre libertatem aliaque iura? hoc est explicandum, quam explanationem, memorata sententia non suppeditat (14).

Theoria *defensionis* habet contra se gravissimum illud praedudicium, quod crimina puniuntur postquam commissa sunt (nemo cogitavit de puniendo delicto possibili vel probabili); quare de defensione sensu proprio sermo esse nequit, nam defensio potius vellet impedire crimina seu efficere ut non perpetrentur. Defensio est inutilis postquam quis offensus iam est. Quodsi defensori sensu sumatur, pro conservatione et custodia boni communis seu ordinis iuridici societatis, vera est sententia sed utitur vocabulo satis ambiguo.

Sententia de *reparatione seu expiatione ordinis laesi* non est quidem sententia falsa, sed forte est principium nimis vagum, et prout supra propositum est videtur esse insufficiens (15). In genere dicta est schola classica seu iustitiae: poena est iusta in quantum est expiatio i. e. compensatio delicti facta per sufferentiam quam poena inducit. Qua in re certe est conformis principiis religiosis et moralibus; apparet in S. Scriptura et fuit acceptata a theologis et philosophis christianis velut S. Thoma (1, 2 q. 46 ad 6; De malo q. 1 a. 4; 1, 2 q. 87 a. 1); speciali quadam ratione fuit exposita et expolita ab hispano insigni theologo franciscano *Alphonso de Castro*, De potestate legis poenalis (Salmantica 1590), qui merito habetur ut parens scientiae iuris poenalis, sicut eius opus fuit prima philosophia iuris poenalis. A quo poenae conceptum deduxit Grotius, quem deinde plures secuti sunt.

Iam vero ordo laesus, qui reparari seu expiari debet, multis modis intelligi potest, multiplex enim est ordo. Omnis quidem poena est expiatio quaedam et reparatio ordinis, et si sermo sit de poena quam infligit Deus, hoc principium sufficiens et verissimum est. Deus enim vult recti ordinis custodiam, in quo eius gloria extrinseca consistit: porro ipse sua omniscientia optime noscit, quantum ordo per crimen laesus sit, et quantam poenam ipsum crimen, etiam secundum subiectivam delinquentis imputabili-

(14) Cfr. *Bevolzheimer*, *Strafrechtsphilosophie*, 15 sq.; *Latini* l. c. p. 29 sq.

(15) Cfr. *Latini* l. c. p. 25 sq. 37 sq.

tatem meretur. At quoad potestatem coercitivam auctoritatis publicae humanae, illud principium, crimen esse expiandum et laesum ordinem esse reparandum, nimis vagum est et expositum periculo ne auctoritati humanae nimium tribuatur, ne id ei tribuatur quod solius Dei est proprium. Auctoritatis humanae, quae societati praest, non est reparare laesum ordinem hominis ad Deum, secus deberet pro quovis gravi peccato capitis poenam infligere, quam a fortiori meretur, cum sola aeterna morte debite puniatur; neque est auctoritatis humanae ordinem individuale (hominis ad seipsum aut alios homines vel publicam auctoritatem) reparare, nisi in quantum hoc est necessarium ad bonum commune societatis. Indubium quippe est principium, auctoritatem publicam nec maiorem nec minorem, sed praecise tantam, habere potestatem, quantam exigit finis ad quem ordinatur; finis autem est bonum commune civitatis seu publica prosperitas et tranquillitas — Theoria expiationis licet limitetur ad ordinem *iuridicum* et non extendatur ad ordinem *moralem* in tota sua amplitudine, non respondet illi iustitiae, cuius tutela competit publicae auctoritati; sed oportet adiungere aliam etiam limitationem petitam ex *necessitate* pro tutela ordinis iuridici, citra quam non extenditur potestas publicae auctoritatis.

20. Quare origo iuridica poenae et potestatis punitivae fundamentum reponendum est in necessitate ad societatis conservationem et debitam gubernationem seu in necessitate tutelae efficacis ordinis publici socialis. Quae sententia in se comprehendit quidquid veri in aliis sententiis forte reperiatur. Cum per delictum laedatur ordo iuridicus ad bonum publicum seu commune constitutus, socialis auctoritas secundum exigentias iustitiae malum iuridicum (poenam) pro malo iuridico (delicto) delinquenti retribuit intra spheram propriae actionis et proprii muneris tuendi praedictum socialem ordinem, et ita naturalem iustitiam abusu humanae libertatis violatam quod ad societatem attinet restituit, publicae conscientiae satisfacit palam ostendens suae protectionis efficaciam, fiduciam et cum fiducia tranquillitatem in civium animis restituit. Sine iure puniendi recta gubernatio societatis esset impossibilis; in magna hominum multitudine semper plurimi sunt, qui solo metu poenarum constanter in officio contineri possunt; si vero crimina impunita manerent, nulla pax et securitas esset possibilis, et audacia improborum in dies cresceret.

Poenam autem spectari potest tum in statu *comminationis* tum in statu *exsecutionis*. Ut poena aliqua sit iusta in statu executionis dependet ab eo, num fuerit iusta in statu comminationis. Iamvero, utrum comminatio alicuius poenae sit iusta necne, dependet ab eo, *utrum sit necessaria ad urgendam observantiam legis* et impediendam eius violationem (laesionem ordinis iuridici): auctoritas publica promovet bonum commune per leges; bonum autem commune in tantum promovetur per leges in quantum leges observantur. Ergo auctoritas publica sicut habet auctoritatem ferendi leges ex quibus complexive sumptis constituitur ordo iuridicus societatis, ita habet auctoritatem efficiendi ut leges promulgatae (socialis ordo iuridicus) efficaciter observentur, adhibita, si necesse fuerit coercitione: inde propositio seu comminatio poenae, per quam subditi deterrentur a legis transgressionem: haec est essentia poenae seu finis intrinsecus poenae ut comminatae, quod sit sanctio legis eamque firmet contra possibles transgressiones ex delictuoso abusu libertatis provenientes. Hinc fieri poterit (id quod historica experientia factum exhibet), ut iuste pro eodem crimine, diversis temporibus aut locis, diversa poena de eadem iuris violatione statuatur, si diversa sit necessitas ad urgendam legem. Legislatorem, in cuius prudenti arbitrio haec sunt posita, dirigit in aestimanda mensura poenae politica criminalis.

In statu deinde executionis poena laesum ordinem reparat non quemcumque, non ordinem moralem in tota sua amplitudine, sed publicum ordinem societatis ab ordine morali generali non disiunctum. Qui legem infringit malum exemplum praebet et ipse, nisi puniatur, incitatur ad legem denuo infringendam, inde concussa publica securitas, infracta persuasio de efficaci tuitione iurium; en ordinem publicum turbatum, publicam securitatem in periculo positam. Debet ergo: 1°) efficacia huius mali exempli per poenam tolli et ostendi subditis non posse impune legem contemni: 2°) ipse etiam nocens debet per poenam efficaciter retrahi a novis criminibus perpetrandis, sive id fiat eum emendando et ad bonam frugem reducendo, sive a reliquo sociali corpore separando, si eidem sit graviter periculosus.

21. Ex dictis apparet formulam, qua debet enuntiari principium de origine iuridica poenae seu potestatis puniendi, esse hanc, necessitatem conservationis seu tutelae publici ordinis socia-

lis. Inde quidem habet poena, quod in statu comminationis deterreat a legis violatione, et in hoc sensu est sanctio legis, legem ipsam firmat et ordinem iuridicum contra perturbatores tuetur et protegit: in statu executionis restaurat ordinem sociale laesum, est reactio ordinis contra deordinationem, ut ait S. Thomas; qui egoistico interesse consulit propria passione ductus contra ius societatis, contra aliorum iura quae ab ordine iuridico proteguntur, per coactionem reducit ad sphaeram iustitiae socialis, et compensatur seu expiatur damnum sociale, auferendo a delinquente tantum bonorum priorum quantum repraesentat dannum aliis illatum (vindicta socialis) et « qui contra ordinem agit, ab ipso ordine *deprimitur*, quae depressio poena est » ut ait S. Thomas 1, 2 q. 87, a. Cfr. quoque *Lugo*, De iust. et iure disp. 15, sec. 2, n. 58.

Inde etiam patet finem intrinsecum poenae esse restitutionem ideoque conservationem et tuitionem publici ordinis in societate: implicite tamquam sequelae obtinetur, ut plurimum, correctio delinquentis, pravorum intimidatio, securitas in bonis et consequens securitas et tranquillitas publica, finis ultimus auctoritatis publicae ut talis.

Quae de societate in genere dicta sunt, tamquam praecognita ad ius poenale ecclesiasticum, eadem in Ecclesia valent, cuius discrimen a Statu in hoc tantum sistit, quod non a natura nec in ordine naturae inveniatur, sed ex positiva divina institutione constituta est societas externa, perfecta in ordine supernaturali: nullum autem ius humanum tam fortiter adhaeret ordini ethico, unde proposita principia deducta sunt, quam ius ecclesiasticum. Cfr. infra dicenda de potestate punitiva Ecclesiae.

22. Scholion. Iuvat adnotare cum Roberti l. c. n. 36 not. 1. iuris criminalis *scientiam* crimen considerare vel sub respectu *iuridico* (leges criminales) vel sub respectu *naturali* sive individuali sive sociali.

Sub respectu *iuridico* agit; 1^o) de *legibus poenalibus*, quibus tutela *immediata* ordini iuridico praestatur; 2^o) de *legibus politiae*, per quas ordini iuridico tutela praestatur mediata remota sive *praeventiva* per quam removentur causae seu occasiones perturbationis ordinis socialis, sive *repraessivae* post admissum delictum.

Sub respectu *naturali individuali*, ad scientiam criminalem spectant *philosophia moralis*, *psychologia*, *anthropologia criminalis*,

psychopathologia, quae actus humanos considerant sub respectu ordinis ethici, vel ex suis elementis psychicis et physiologicis sive normalibus sive abnormalibus. Sub respectu vero naturali sociali habetur *sociologia criminalis* et *statistica* quae in criminibus considerat elementa ambientis socialis quo commissa sunt et eorum frequentiam, iterationem et distributionem inter varias classes et coetus hominum.

Tandem *politica criminalis* dirigit legislatores et societatis rectores praebens illis normas, quibus efficacius consulere possint praeventioni et repressioni delictorum.

Cum leges poenales promulgantur ad immediatam iuris tutelam, praesupponunt in applicatione realem violationem vel eius grave periculum in actu humano contentum. *Leges vero politiae* mediatam ordini iuridico tutelam praestant vel limitando activitatem earum personarum quae aut ex anteacta vita aut ex notoria propensione periculosae censentur, vel prohibendo certos actus, qui viam sternere possunt ad committenda delicta. Per poenas exercetur iustitia socialis; per limitationes et prohibitiones factas in legibus politiae, non fit satis iustitiae sed consulitur publicae utilitati.

Etiam in foro canonico praeter poenas habentur praeterea limitationes libertatis et prohibitiones quae referri possunt ad leges politiae criminalis. Cfr. infra dicenda de remediis poenalibus.

PARS PRIMA DE DELICTIS

CAPUT II

De delicto ecclesiastico

(*Decret. Lib. V. tit. 37. de poenis*)

23. **Scriptores:** *Devoti*, Instit. canon. lib. IV, t. 2; *D'Annibale*, Summula I, n. 296 sq.; *Lega* l. c. tom. III. n. 16 sq.; *De Luca* l. c. n. 2 sq.; *Kahn* l. c. n. 11 sq., 15 sq., 22 sq.; *Amor Ruibal* Amoción administrativa n. 10 sq.; *De-recho penal de la Iglesia* p. 55 sq.; *Hollweck* l. c. § 1. sq.; *Shiappoli* l. c. n. 39 sq.; *Carrara* Programma I. § 21 sq.; *Renazzi*, Elementa iuris crim. c. 3; *Carmignani*, Iur. crim. elementa (ed. 4^a) t. I, pag. 39 sq. — Cfr. quoque *Schertz*, De delictis, Argentor. 1730.; *Claus*, De natura delictorum, Lips. 1810; *Hansel*, De natura delict., Lips. 1810; *Van der Ton*, De delictis, Lovan. 1882, apud *Pes-sina* l. c. § 82 sq. *Latini*, Iuris crim. lineamenta p. 65 sq.; *Roberti*, De delictis et poenis n. 38 sq.; *Michiels*, De delictis et poenis I, p. 55 sq.

§ 1. DE NOTIONE DELICTI ECCLESIASTICI

Genericus delicti ecclesiastici conceptus

24. Nomine delicti (1), quod est principale obiectum circa quod versantur iudicia criminalia et potestas punitiva, intelligitur iniusta externa actio vel omissio auctori suo imputabilis atque or-

(1) *Delictum*, *crimen*, *excessus*, *scelus* etc. sunt vocabula in fontibus iuris generatim promiscue adhibita, *Schiappoli*, Diritto pen. canon. n. 45. Cfr. v. gr. c. 14, X. *de sepult.* III. 28 ubi *homicidium*, *incendium*, *violentia* in personas ecc., *violatio* ecclesiar., *incestus* vocantur *excessus*. Etiam in iure Romano praeter alias voces etiam *crimen* et *delictum* saepe in eadem significatione adhibentur, *Ferrini Contardo*, Diritto pen. Rom. n. 8 sq., 15 sq.

dinem socialem Ecclesiae perturbans (2). Etenim Ecclesia nihil potest punire quod iniustum et culpabile non sit (3); praeterea actus mere interni, licet iudicio interni fori paenitentialis subiiciantur, externo Ecclesiae foro et potestati coercitivae sunt subducti (4); denique cum potestas coercitiva data sit directe in tutelam ordinis socialis, non omnia peccata externa etiam gravia poenis ecclesiasticis sunt subiicienda (5), sed solummodo illa, quae secundum prudentem considerationem competentis legislatoris ecclesiastici ad tutelam ordinis socialis Ecclesiae coercionem publicam requirunt.

25. I. In idem fere recidit illa definitio, qua delictum dicitur "externa legis poenalis violatio dolo malo facta," (6), in qua quasi a posteriori seu per voluntatem legislatoris sanctionem poenalem sive determinatam sive *saltem indeterminatam* statuentis determinantur violationes legis divinae aut ecclesiasticae, quae ordinem socialem Ecclesiae perturbant et verum delictum constituunt.

II. Finis quidem Ecclesiae est omnes et singulos fideles per media a Christo statuta et per alia ab ipsa Ecclesia praescripta ad sanctificationem et ad consequutionem finis supernaturalis perducere. Verum cura sanctificationis uniuscuiusque fidelis duplici ratione ad Ecclesiam pertinet (7): uno modo quatenus fideles considerantur ut singuli de suis admissis vel omissis coram Deo ra-

(2) *Tarquini*, Inst. iur. publ. n. 25; *Devoti*, Inst. can. l. IV. tit. 2. § 1; *Soglia*, Inst. can. l. IV, c. 2, § 9, *Hinschius*, D. Kirchenrecht etc. tom. V, p. 907. convenit quoad substantiam, quamvis definitionem tradat perspicuitate non commendatam; at *Berner*, Trattato di diritto pen. (versio ital.) § 71 in definiendo delicto proficiscitur a falsis principiis de Statu fonte omnium iurium et de voluntate communi repraesentata per Statum; *Kahn*, Le délit et la peine en droit can. p. 17; *Lega*, De iudic. eccl. t. III. n. 16; *Hollweck*, D. kirchlichen Strafgesetze, § 1, p. 65.; *Berardi*, Ius eccl. V. d. I, c. 1.

(3) R. I. 23. in VI.; Regolamento penale Greg. XVI. art. 26. § 2.; *Thesaurus*, De poenis, c. 15; *Suárez*, De leg. l. V, c. 12, n. 5 sq.; *Schmalzgr.* l. V, tit. 37 n. 18 sq.

(4) *Suárez*, l. c. l. IV, c. 12; *Kahn* l. c. p. 7, 18 sq.

(5) Cfr. c. 1, Dist. 81; *Suárez*, De leg. l. IV, c. 11, n. 2, 3; *Zallinger*, Inst. iur. eccl. l. V, § 13.

(6) *Noldin*, De poenis, n. 4; *D'Annibale*, Summula theol. mor. I, 296; *Heiner*, Katholisches Kirchenrecht, 288.; *Laurentius*, Inst. iur. eccl. n. 395; *Aichner*, Comp. iur. eccl. § 216; *Icard*, Praelect. iur. can. III, p. 146; *Ojetti*, Synopsis v. Delictum; *Lega*, De iudiciis eccl. t. III, n. 16 ubi illam definitionem pro foro ecclesiastico non admittit.

(7) *Lega* l. c. n. 17.

tionem reddituri, et sub hoc respectu ab Ecclesia diriguntur potestate vicaria *in foro interno*, in quo a peccatis absolvuntur eisque imponuntur *paenitentiae* voluntarie admittendae, quibus proinde deest ratio strictae poenae, quae fertur etiam in invitos. Alio modo Ecclesia fideles ad eundem finem supernaturalem moderatur et regit per media socialia seu per suas leges in foro externo latas, et transgressio harum legum externo modo facta perturbando ordinem sociale est quae constituit *delictum*, quod est obiectum *poenarum* ecclesiasticarum, si delictum in abstracto consideratur, prout per se eius notio in qualibet societate perfecta verificari potest.

III. Quae distinctio inter peccatum et delictum semper fuit in Ecclesia observata (8), quamvis non semper in fontibus iuris appareat clare proposita, multo minus invenitur expressa notis illis formulis, *nullum crimen sine lege, nulla poena sine lege*. Quae formulae in moderno iure poenali societatis civilis rigidam habent applicationem praesertim ob separationem in diversis subiectis triplicis potestatis legiferae, iudicialis, administrativae. At in foro ecclesiastico illa separatio non adest; nec ex natura rei videtur esse repetendum, quod violationes legum tum solum subiaceant sanctioni poenali, cum haec per antecedentem legem poenalem fuerit statuta (9): nam fundamentum potestatis coercitivae est imputabilitas externi peccati ad poenam, ex alia parte conservatio et tutela efficax ordinis socialis, quae imputabilitatem ad poenam refert ad potestatem socialem (10). Ex quo duplici fundamento non deest in superiore ecclesiastico, perfecta fori externi iurisdictione praedito, potestas ad castigandas veris poenis illas violationes legum, quae ordinem sociale perturbant vel cum gravi fidelium scandalo sunt coniunctae, *saltem praemissa monitione*, qua legis transgressor admonetur desistere a transgressione praesertim tractum successivum habente vel ad reparandum scandalum datum adigitur (11).

(8) Quare quae *Lega* l. c. t. III, n. 48 sq. deprompsit ex *Morino*, de confusione utriusque fori, non sunt accurata. Cfr. *Kahn*, Le délit et la peine en droit can. p. 18. sq.; *Schiappoli*, Diritto penale canonico, n. 3, sq. salvis minus accuratis assertionibus.

(9) Cfr. *Rossi*, Diritto penale, l. IV, c. 1, della legge penale.

(10) *Cavagnis*, Inst. iur. publ. eccl. t. I, n. 126.

(11) At ex alia parte ex ipsa rerum humanarum natura repugnat, ut potestas quaedam publica omnia hominum peccata etiam externa puniat in foro externo, nisi summa introducatur confusio in societate humana. Cui legi naturali vel ip-

IV. At negari non potest, quin ius poenale commune alicuius societatis tum suam perfectionem obtineat, cum accurate delicta sunt notata per leges poenales infligendam poenam saltem intra certos limites (v. gr. summum et infimum) determinantes, quo et evitatur nimium iudicis arbitrium et simul per antecedentem sanctionem legi adnexam melius obtinetur finis deterrendi a legis violatione; sicut suam efficaciam obtinet ius poenale ex eo, quod poenae statutae executioni mandentur (12).

V. Quoniam autem Praelati ecclesiastici, fori externi iurisdictione praediti, vi talis potestatis possunt dare verum praeceptum iurisdictionale illudque possunt munire sanctione poenali (13), talis praecepti poenalis violatio verum delictum ecclesiasticum constituit; unde rursus patet *violationem legis poenalis*, si per ipsam definitur delictum, sumi debere in sensu lato prout comprehendit etiam praeceptum poenale, sicut etiam includit legem poenalem particularem, in quo habetur alia differentia a iure poenali societatis civilis.

VI. Ergo ex dictis practice simplex violatio legis aut praecepti sanctionem poenalem saltem indeterminatam non continentis, licet peccatum sit, foro interno Ecclesiae subiectum ac per paenitentias castigandum etiam publicas a praxi tamen vigenti non alienas, si publice et cum scandalo commissum fuerit (14), verum autem delictum non constituit, unde vera poena ecclesiastica saltem a Praelato R. Pontifice inferiore puniri non potest, nisi praevia monitione comminationem poenalem continente, qua transgressori intimetur, ut a violatione desistat vel actum lege requisitum ponat vel scandalum forte datum reparaet.

VII. *Lex ergo poenalis* etiam in foro ecclesiastico est lex qua sancitur aliquid faciendum vel omittendum, constituta transgressoribus poena determinata aut determinanda arbitrio iudicis iuxta

sum exercitium potestatis ecclesiasticae est subiectum. *Suárez*, De leg. l. III, c. 12, n. 11, 12, l. IV, c. 11, n. 3. Quare practice in omni societate exercitium potestatis coercitivae ita debet ordinari, ut per legem certa crimina castigatione digna notentur iustisque poenis subiiciantur, cetera *plerumque* in foro externo et humano relinquuntur impunita.

(12) Cfr. *Rossi* l. c. l. IV, c. 1, 2, 3, 4; *Pessina*, Diritto penale, l. I, c. 1, 2, praesertim § 42, 44.

(13) *Wernz*, Ius Decret. t. I, n. 135; *Pacelli*, La personalità e la territorialità delle leggi, p. 7, sq.

(14) Conc. Trid. sess. 24, de ref. c. 8, iunct. *Thesaurus*, De poenis, c. 2.

delicti qualitatem et quantitatem; lex autem intelligitur sive universalis sive particularis aut etiam singularis pro certa classe personarum (15). *Praeceptum* vero *poenale* est iussum ad tempus vel in perpetuum singularibus personis aut absque perpetuitate communitati intimatum sub poenali sanctione sive determinata sive indeterminata (16). Ad *praeeptum poenale* reducitur *monitio canonica* in forma iuridica facta, qua urgetur adimpletio alicuius obligationis, praesertim ex illicito facto derivatae, sub interminatione poenae subeundae. Quae *monitio* et *praeeptum* etiam recensentur inter remedia poenalia praeventiva delicti aut relapsus in ipsum ex fine proximo ad quem ordinantur (17).

26. Scholion I. Quae hactenus disputata sunt de notione delicti ecclesiastici, in quibus partim videtur admitti delictum sine praevia aliqua comminatione poenae, partim *practice* videtur negari, lucem accipiunt si quis prae oculis habeat, quae scite disserit *Carmignani* (Iuris crimin. element. I, § 67 sq.) de distinctione inter actionis humanae *imputabilitatem politicam* et *imputationem civilem*, quae etiam in Ecclesia utpote societate perfecta suum habent momentum, si loco *imputationis civilis* substituatur *imputatio ecclesiastica*.

I. *Imputabilitas politica* est quam legislator facit (hoc enim pertinet ad *iura*, ut aiunt, *maiestatica*) dum certas actiones censet esse puniendas quia a societate malum est avertendum, quod ex ipsis in eadem emergeret si libere patrari possent. Hoc iudicium legislator sequitur in legibus poenalibus condendis atque in eo sibi efformando a religionis praeeptis, ab ethicae christianae principiis, a iuris naturalis regulis dirigi debet; atque scientia quae legislatorem ex petitis inde principiis dirigit *politica criminalis* audit. — *Imputatio* vero *civilis* est quae consequitur ex lege poenali, quam legislator tulit ex praeformato iudicio quod determinata actio sit efficaciter per poenam prohibenda, quia secus ordo socialis perturbaretur et malum inde societati immineret.

II. At legislator, legitimis politicae criminalis ductus principiis, potuit reputare certas actiones etiam *moraliter* malas (sive ex natura rei sive ex positiva lege mere prohibente) non esse natas damnum

(15) *Bonacina*, Opus morale, t. II, d. 1, q. 1, p. 7.

(16) *Wernz*, Ius Decr. t. I, n. 135.

(17) Cfr. can. 2306 sq. iunct. Instr. S. C. Ep. et Reg. 11 Iunii 1880; *Lega* l. c. t. IV, n. 278 sq.

societati afferre, et idcirco abstinuit a lege poenali contra ipsas ferenda, quo in casu *imputationis civilis* deest fundamentum, etsi *imputatio moralis* non desit. Cuius rei practicum corollarium est quod in diversis societatibus etiam eiusdem generis non *eadem* delicta in Codice poenali enumerantur et in eadem societate in successivis revisionibus Codicis poenalis nonnulla delicta expunguntur, alia adiiiciuntur vel saltem immutatio fit in ipsa poena.

III. Hinc apparet delictum *abstracte* sumptum esse actionem externam moraliter imputabilem quae ordinem sociale perturbat (ratio qua ducitur legislator ad eam sub poena prohibendam — *imputabilitas politica*). *Practice* vero ex eo quod legislator contra determinatam actionem poenam non tulit, satis intelligitur hactenus non iudicasse eam in perturbationem seu damnum societatis redundare, ideoque non est delictum seu actio criminaliter imputabilis. Cfr. quoque *Lampredi*, Iuris publ. univ. theor. part. I, c. 7; *Cremeni*, De iur. crimin. l. I, c. 1; *Rossi*, Diritto penale, l. I, c. 13; *Pessina*, Diritto penale l. I, c. 1.

27. Scholion II. Si quaeratur utrum de facto reperiatur in fontibus iuris ecclesiastici praecedentis aut formaliter aut saltem aequivalenter memoratum principium "*nullum crimen, nulla poena, sine praevia lege poenali*," quod hodie passim obtinet in moderno iure poenali fori saecularis, ex disputatis de notione delicti videtur assentiendum *Kahn* (l. c. p. 33 sq. 165), *Hinschius* (l. c. t. V, 663, not. 5), *Schiappoli* (l. c. n. 42) qui negativam sententiam tenent contra *Katz* (Kanon. Strafrecht, p. 3) asserentem elementum legale, ut aiunt, esse etiam de ratione delicti ecclesiastici ideoque illud principium propugnat. Nullus enim textus iuris praecedentis in hunc sensum allegari potuit (18). Porro elementum legale est aliquid extrinsecum delicto, quod ipsum delictum sensu philosophico-iuridico intellectum praesupponit. Praeterea sensu moderno huius principii illud *sine lege* intelligitur de lege *communi* (19); porro in foro ecclesiastico praeter communem legem poenalem dantur etiam leges

(18) Merito a *Kahn* et *Schiappoli* urgetur contra *Katz*, illud principium non posse deduci ex c. 3, C. XXXII, q. 4, quod apud S. Ambrosium agit de imputabilitate apud Deum transgressionis legis naturalis ignoratae.

(19) Poenalistae moderni, dum historicam iuris poenalis evolutionem exponunt et illam controversiam de foro ecclesiastico ponunt, nequidem insinuant hanc inter Ecclesiam et Statum modernum distinctionem.

poenales *particulares*. Insuper in Ecclesia iidem sunt veri principes cum perfecta iurisdictione etiam coercitiva, qui sunt iudices in ipsis causis criminalibus; iudex enim ordinarius in quavis dioecesi est ipse Episcopus qui praeditus est potestate legifera et coercitiva, licet pro exercitio potestatis iudicialis habeat officialem constitutum. In foro autem saeculari rigida illius principii applicatio habetur in iudiciis, quia sola potestate applicandi leges sunt praediti, quibus nimium arbitrium non est relinquendum; at ante separationem potestatum in diversa subiecta illud principium passim non erat admissum, nec in ipso iure Romano habuit plenam applicationem (20).

At in iure Codicis inducta est expresse necessitas elementi iuridici potius quam legalis sensu explicato (21), cum ex dictis violatione legis non possit generatim puniri nisi praecedat poenalis lex, poenale praeceptum aut iuridica monitio praecepto aequivalens illius, penes quem in Ecclesia est potestas coercitiva. Inde memoratum principium pro foro ecclesiastico melius exprimitur hoc pacto: «nullum crimen, nulla poena sine *praevia sanctione poenali*».

At si vicissim *Lega* (l. c. t. III. n. 16. 22.) ante Codicem scribens multum insistit in ratione peccati atque ex cap. *Novit* (c. 13. X. de iudic. II. 1.) videtur inferre peccatum omne externum posse

(20) Nam licet ex L. 131. De verb. sign. "Poena non irrogatur nisi quae quaque lege vel quo alio iure specialiter huic delicto imposita est," tamen post *leges publicorum iudiciorum* et *quaestiones perpetuas*, quibus delicta *publica* et *extraordinaria* erant coercenda, magistratus Romanus habuit etiam facultatem puniendi ad *exemplum legis*: "Quamquam temerarii digni poena sint, tamen illis parcendum si non tale sit delictum, quod *vel* ex scriptura legis descendit *vel* ad *exemplum legis* vindicandum est," L. 7, § 3, D. ad legem Iul. maiest. Huc faciunt, L. 12, 13, 27, 32, pr. D. I, 3 L. 131 D. l. c. *Girard*, Manuel de Droit Romain 1901, pag. 389 illud principium in iure Romano solum valere dicit pro delictis *privatis*, dummodo lex accipiatur sensu lato prout complectitur etiam edicta magistratum; quae delicta privata ortum dabant obligationi ex delicto cum respectiva actione in laeso secundum iuris dispositionem. In his delictis *privatis*, praeter reparationem damni, punitio consistebat in summa pecuniae (mulcta), v. gr. damnabatur ad duplum, ad quadruplum, et hoc *secundum legis dispositionem*: At in *publicis* habebantur arbitrariae mulctae a magistratibus impositae et punitiones ad exemplum legis. De facto in cit. lege poena contraponitur mulctae quae a magistratu infligebatur — hic habebat coercionem, non punitionem quae ad iurisdictionem pertinebat. Cfr. *Ferrini*, Diritto penale romano l. 4 cap. IV, n. 12. Cfr. quoque *Van-Eck*, De arbitrio iudicis in poen. infligendis legibus circumscripto. Lugd. Batav. 1776.; *Koenigswater*, De iuris criminalis placito: nullum delictum nulla poena sine praevia lege poenali Amstelod. 1835.

(21) *Kahn*, Le délit et la peine en droit canon. p. 33 sq.

puniri ab Ecclesia et ad hoc esse ordinatas in foro ecclesiastico poenas arbitrarias; inprimis denominatio *arbitrariae poenae* non videtur esse referenda ad *arbitrium* iudicis puniendi quamlibet violationem legis *etiam civilis*, quae externam peccati rationem habeat, sed ad *indeterminationem* ipsius poenae, quae taxative in iure non est definita. Praeterea de qualibet laesione legis etiam mere civilis potest quidem Ecclesia iudicare ratione peccati; at iudicium Ecclesiae est duplex interni et externi fori (22): ad forum internum vere divinum pertinet iudicium de quovis peccato etiam mere interno; at ad forum criminale externum non pertinet nisi cum turbat ordinem socialem Ecclesiae, non solius societatis civilis (23); quam perturbationem induci et meritum ad poenam inde contrahi debet definire Superior ecclesiasticus *regulariter* per legem poenalem aut per praecedens aut saltem consequens praeceptum poenale sensu explicato. In memorato vero capite *Novit* non solum erat quaestio de peccato iniustitiae a Philippo rege Francorum adversus regem Angliae commisso, sed de publica pacis perturbatione in magnum detrimentum religionis, et de violatione iuramenti quo pacis foedera fuerant firmata, ac tandem Innocentius III. iubet *antea* regi Philippo *intimari comminationem poenarum* ecclesiasticarum nisi obligationi, cuius violatio et peccatum et delictum erat, satisfaceret (24).

CAPUT III

De elementis delicti in particulari

28. Post traditam genericam rationem delicti, eius elementa sunt in particulari explicanda. Adest in delicto elementum *obiectivum*, elementum *subiectivum* et elementum *iuridicum*.

29. I. **Elementum obiectivum** est: a) externa transgressio legis vel similis obligationis iuridicae per publicam auctoritatem

(22) Id aperte etiam tradit ipse *Lega* l. c.

(23) *Devoti* l. c. l. IV, tit. 2, § 2: "crimina, quorum coercitio pertinet ad civilem rempublicam, subsunt Ecclesiae iudicio propter peccatum; *et hoc quidem iudicium exercet Ecclesia in foro poenitentiae*."

(24) Cfr. comment. *González Téllez* in cit. cap.; *Cavagnis*, Inst. iur. publ. eccl. t. II, n. 155 sq.

impositae sive per actum positivum sive per omissionem. Transgressio intelligitur legis *ecclesiasticae* (cui ab Ecclesia addita sit sanctio): licet enim cuiusvis societatis sit lex, quod iure naturali aut divino prohibetur vel praecipitur, et a fortiori ordo iuridicus Ecclesiae, divinae positivae institutionis, constat legibus divinis et ecclesiasticis; transgressio legis naturalis et divinae non dicit relationem ad magisterium poenale potestatis publicae quae societati praest, nisi in quantum ab hac, quod naturali et divino iure edicitur, praescribatur aut prohibeatur, sine qua lege iuris naturalis transgressio, quae hominem etiam extra societatem ligat, dicit respectum ad ordinem *moralem generalem* et erit *peccatum* divinae sanctioni obnoxium, non delictum. Quodsi certae obligationes naturales oriuntur ex facto constitutae societatis, hae necessario pertinent ad ipsum ordinem iuridicum societatis, atque, servatis servandis, ad magisterium poenale publicae potestatis ordinem habent illarum obligationum transgressiones. Merito ergo debet haberi adaequata illa divisio delictorum, qua can. 2138 distinguntur in ea quae laedunt legem *Ecclesiae, societatis civilis* vel *utriusque*. Nulla porro est societas in qua generali modo sancitur, quaslibet externas violationes iuris naturalis aut divino-positivi poenali sanctioni subiacere; sed in Codice poenali certae dumtaxat iuris naturalis transgressiones puniuntur. Quare in violatione legis divinae, si praescindatur a lege ecclesiastica, habetur actus illicitus et peccatum, cui ratio delicti et punibilitas in foro externo et sociali accedit ex prohibitione et sanctione canonica (1).

Ut iam deducitur ex ipsa notione delicti, sine actu externo contra legem non habetur delictum: quare cogitatione peccata quidem, at non delicta criminali iudicio et poenae in foro externo obnoxia committi possunt (2).

b) Illa legis transgressio debet esse laesiva iurium quae per legem proteguntur. Ut plurimum habetur laesio iurium determinatae

(1) Legem poenalem ecclesiasticam prohibentem actionem alioquin intrinsece malam novam prohibitionem humanam adiungere non est dubitandum; Suárez, De censuris d. IV, s. VIII, n. 22; S. Alphonsus, Theol. mor. l. VII, n. 350; aliter Michiels l. c. p. 63, not. 2.

(2) L. 18 D. de poenis (48, 19) = c. 14 D. 1 de poenit.; c. 11 i. f. D. 32; c. 33 i. f. X, de simonia (5, 3); S. Thomas summa theol 2, 2 q. 94, a. 4; Muenchen, l. c. p. 46; Kahn, l. c. n. 28; Hinschius, t. V, 144, 270 sq., IV, p. 744 not. 12 ubi allegat c. 4 Conc. Nic. (a. 325) quod ob peccatum cogitationis non infligatur poena eccl.; sed non admittit argumentum a Kober petatum ex c. 23

personae sive physicae sive moralis cum ipsius damno sive in bonis personalibus (v. gr. vitae vel honoris), sive in bonis realibus (v. g. bona materialia aliaque iura). Hoc damnum *immediatum* et in seipso consideratum est damnum *privatum*. Quodsi transgressio directe laedit bonum publicum i. e. leges ab auctoritate sociali latas ad sui existentiam et tuitionem et ad consulendum ordini publico, damnum ex laesione legis causatum merito dicitur *publicum*. Talis immediata laesio boni publici habetur in delictis quibus offenditur fides, religio, publicum officium, publica auctoritas, publica iustitia etc. At ex ipso damno *immediato* privatae personae illato per laesionem iurium stricte individualium, derivatur praeterea in societatem universam damnum *mediatum* sociale per ipsam inobservantiam legis poenalis ordinatae ad defendenda iura singulorum societatis membrorum; quem ordinem iuridicum perturbat, quippe minuit publicam securitatem et opinionem efficacis tuitionis socialis, malos ad delinquendum excitat, scandalum parit, et ipsam publicam auctoritatem, qua lex sancita est, contemnit et parvipendit. Quod damnum sociale non solum oritur ex delicto publico et consummato, sed etiam ex delicto occulto vel mere attentato aut frustrato, ex quo damnum immediatum sequutum non est ex imperfecta criminis actione. In Codice sicut damnum immediatum frequenter dicitur simpliciter *damnum* (cfr. v. g. can. 2196, 2213 § 3, 2218 § 1, 2242 § 2, 3); ita damnum mediatum seu sociale haud raro dicitur *animarum damnum* vel *scandalum* (cfr. v. g. can. 2213 § 3, 2218 § 1, 2222 § 1, 2242 § 2, 3, 2302 § 1, 2305 § 2, 2317 etc.). Quod vocabulum scandalum minus tamen patet quam damnum sociale, quod ex quovis delicto etiam occulto et ab aliis ignorato exurgit etiamsi scandalum non pariat et huic damno sociali adaequari debet poena, quae est in tuitionem et restitutionem ordinis iuridici laesi. Quare ubi nomine scandali intelligitur damnum mediatum seu sociale (cfr. v. g. can. 1935 § 1, 1951 § 3, 2242 § 2, 3) vox scandalum sumitur

(Innoc. I) C. 32, q. 5 « non habent latentia peccata vindictam » eo quod *latentia* ibi significet *non probata*. At c. 25, 29, 30 D. 1 de poenit. agunt quidem de peccaminosa concupiscentia, sed ipsam poenis eccles. puniri posse non declarant.

Pariter qui suo iure utitur, velut iudex in puniendis malefactoribus vel pater in castigandis filiis, non est auctor sceleris neque ex dolo rem facere videtur, nisi in usu legitimo iuris modum excedat; nulla enim lege prohibetur legitimus proprii iuris usus. Regula iur. 151, 155 § 1 D.; Reg. iur. 24 in Sext.; c. 13, 30, 33 C. 23, q. 5; Muenchen l. c. p. 47 sq.

in sensu lato, non in sensu specifico praebens alteri occasionem ruinae spiritualis.

c) Ipsa quoque ruina spiritalis delinquentis, quae ex quovis delicto oritur, in quantum nocetur propriae delinquentis sanctificationi, potius *in se et per se* est damnum privatum, cui medicina adhibetur in foro conscientiae v. gr. per salutes paenitentias impositas et libere acceptatas et per exercitium iurisdictionis fori interni. Attamen in societate religiosa, qualis est Ecclesia, ipsa salus spiritalis delinquentis quam Ecclesia non modo per media individualia procurare debet sed etiam per media socialia, si detrimentum patitur ex delicto, inde etiam in corpus sociale detrimentum redundat, et homo vitiosus est malum publicum pro societate religiosa, habens pro fine speciali sanctificationem et salutem aeternam animarum. Quare dum Ecclesia per poenas intendit talem emendationem veram et internam delinquentis, quae de facto ad eius sanctificationem conducatur, non solum individui bonum prosequitur, sed etiam bonum publicum; cui nocet pertinacia delinquentis in mala voluntate quae proinde est coniuncta cum damno mediato sociali (3). Hoc enim est singulare discrimen inter Ecclesiam et Statum, quod huic promotio et tutela veri ordinis iuridici socialis est finis adaequatus, Ecclesiae non est finis in se, sed medium ex voluntate Conditoris positive ordinandum ad finem supernaturalem ultimum obtinendum, qui est singulorum sanctificatio et aeterna beatitudo. Quare licet dum poenas in foro externo irrogat, imprimis et directe consulat ordini publico restaurando, pro posse curat et curare debet singulorum delinquentium veram et internam emendationem necessariam ad finem ultimum supernaturalem sanctificationis (cfr. can. 2215). Vel ipsa restauratio ordinis socialis speciali quadam ratione pro Ecclesia, attento eius fine, includit exclusionem scandali aliis fidelibus per delictum dati ut auferatur a societate maximum impedimentum sanctificationis, cui totus publicus ordo ecclesiasticus est subordinandus.

Scholion. Quod attinet ad laesionem iuris *privatae personae*, generatim valet principium, quod delictum excluditur si quis sciens

(3) Cfr. *Lega* l. c. III, n. 24; *Roberti*, l. c. n. 154; *Michiels*, l. c. p. 70, 71. Quae specialis indoles societatis religiosae et praesertim finis supernaturalis Ecclesiae haud raro non satis in hac materia consideratur. Cfr. v. g. praeceptum annuae confessionis et communionis, ieiunii etc. quae communi lege dantur et maxime respiciunt internam animarum sanctitatem; et nihil repugnat, quod a legislatore urgeri possint per poenas apte delectas.

et volens (4) actionem admittat, quae alias esset iuris violatio, dummodo agatur de iure cui quis renuntiare potest. Quare ubi actus contra ius alterius positus etiam hoc consentiente retinet suam malignitatem contra ius naturale aut divinum, ut in delicto adulterii aut usurae, vel renuntiationi iuris sese opponit lex v. gr. in *privilegio canonis* quo fruuntur clerici, illius actus imputabilitas per consensum in iniuriam non excluditur. Inde imputabilitate etiam criminali non caret mutilatio sive in proprio corpore sine causa sufficiente voluntarie facta aut voluntarie admissa (5) sive in alio (6) eo consentiente patrata.

30. II. Elementum subiectivum delicti est *moralis imputabilitas* actionis externae, legis seu iuris obiectivi laesiva.

a) Imputare est aliquid alicui attribuire; et distinguitur imputabilitas *physica* quae meram significat relationem causalitatis inter actionem et eius effectum, et imputabilitas *moralis*, quae actus bonus vel pravus alicui personae attribuitur ut auctori; quae imputabilitas omnino requirit ut actus proveniat a causa libera et voluntaria, simul autem cum actu attribuitur personae ut auctori effectus nocivus actionis; et quod dicitur de actione valet de omissione quoad effectum nocivum ex voluntaria et libera omissione sequutum.

b) Distinguitur *imputabilitas* et *imputatio*. Imputabilitas est iudicium quod fit de facto futuro praevisto ut possibili. Imputatio est iudicium de facto praeterito seu de actione iam posita. Per illud iudicium de imputabilitate iudicatur in abstracto de aliqua actione, quod si ponatur tali modo in talibus adiunctis erit attribuenda personae quae illam posuit ut illius actus auctori. Imputatio vero est applicatio illius principii seu iudicii abstracti in casu particulari: talis actio in talis circumstantiis est imputanda actionem ponenti ut auctori; haec persona ita illam posuit, huic ergo imputatur. - Hoc tamen iudicium est subiectivum; porro tale iudicium supponit obiectivam rei

(4) Reg. iur. 145 D. (50, 17); Reg. iur. 27 in Sext. « scienti et consentienti non fit iniuria neque dolus ».

(5) c. 36 (Innoc. III) X, de sent. exc. (V, 39); tit. 10 de usur. (V, 39) iunct. Pirhing. in h. t. n. 11 et *Reiffenst.* n. 85 sq. Ita infantes et amentes de bonis suis disponere non possunt nec cedere proprio iuri in eadem bona, neque quisquam alteri licentiam ad delictum in propriam vitam dare valet.

(6) c. 6 (Innoc. I) Dist. 55; c. 4 X (I, 20); *Schmalzgr.* (I, 20) n. 9 sq.; *Boeninghausen*, De irregul. fasc. II, p. 92 sq.; *Benedictus XIV*, De Synodo dioec. l. 11, c. 7 n. 4, 5.

veritatem. In tantum est legitima subiectiva illa iudicis imputatio, in quantum obiective ipsa actio est imputabilis. - Iam illa *imputabilitas obiectiva* est « proprietas seu qualitas actionis, vi cuius illa alicui tamquam proprio auctori imputari potest. Ratio autem formalis, cur homini actus ut boni vel mali, ut laudabiles vel vituperabiles, ut meritorii vel demeritorii imputari possunt, est ipsa *moralitas* seu dependentia actus a voluntate libere operante ex praevia rationis advertentia ad honestatem vel turpitudinem obiecti. Haec est imputabilitas moralis seu ethica, de qua intelligendus can. 2195. Hanc invenire debet iudex in facto concreto, ut legitima sit eius subiectiva imputatio.

c) Ab hac imputabilitate distinguitur imputabilitas politica (socialis), vel ut alii dicunt iuridica quae a poenalistis Hispanis et Lusitanis dicta est incriminabilitas, qua significatur auctorem actionis ordinis iuridici laesivae esse responsabilis de actu coram societate seu sociali auctoritate, non solum in sua conscientia et coram Deo. Quare « est actus practicus publicae auctoritatis, quae praevidendo possibilitatem alicuius actionis humanae, eam declarat imputabilem tamquam delictum suo auctori, propter rationem politicae convenientiae » *Carrara* l. c. § 5. Hunc actum practicum ponit legislator, dum illam actionem laesivam vetat sub comminatione poenae et actus auctorem, quivis is sit, poenae obnoxium reddit. Praesupposita morali imputabilitate ex intrinsecis ipsius actionis elementis, actus redditur politice seu criminaliter imputabilis ex speciali prohibitione et punibilis ex sanctione. Politica convenientia est necessitas tuendi ordinem sociale, in qua fundatur potestas punitiva. Cfr. quae supra n. 20 dicta sunt de fundamento potestatis puniendi.

d) Quae criminalis imputabilitas permanet, etsi, post patratum delictum, illud eius auctor per veram paenitentiam retractaverit atque adeo paenitentias in foro interno impositas acceptaverit et expleverit, qua paenitentia non obstante nec in foro externo ab imputatione delicti excusatur, nec poenas per iudicem infligendas aut ipso iure statutas generatim effugit; quamvis illa paenitentia invare possit ad mitigationem vel commutationem poenarum aut etiam ad plenam gratiam obtinendam, si v. gr. sit connexa cum plena et spontanea ac sincera externa confessione (cfr. can. 2223 § 2, 3-2^o) (7).

(7) *Thesaurus*, de poenis I, c. 13, resp. II; *Suárez* in 1, 2 tr. V de peccat., De censuris d. IV, sec. 3, n. 10; d. XX sec. 3, n. 16, 17; *Lugo*, De paenit. d. XVI, n. 445, 453; *Reiffenst.*, (V. 39) n. 13; *Ballerini-Palmieri*, Opus mor. t. VII n. 95 cum nota.

31. III. **Elementum iuridicum delicti** est lex poenalis, seu norma iuris positivi, qua aliquid praecipitur aut vetatur statuta poena contra transgressores *saltem indeterminata*. Quare est lex poenalis ea etiam quae determinatam externam actionem edicit *posse* aut *debere* puniri (cfr. can. 2223, § 2-3) relinquendo iudicis arbitrio *intra certos limites* determinationem poenae in individuo (*poena arbitraria*). Per quam legem poenalem determinatur in concreto et a posteriori, quae nam actiones contra legem sint poenae obnoxiae et vera delicta, praesupposito philosophico et vere iuridico conceptu delicti. Qui conceptus philosophico-iuridicus postulat, ut illae dumtaxat legis violationes in delicta imputentur, quae ordinis socialis perturbationem natae sunt inducere cum in tutela ordinis socialis iuridicum habeat fundamentum puniendi potestas. Quae relatio actionis illicitae ad perturbationem ordinis socialis vel eius periculum convenienter non relinquitur definienda et ad facta particularia applicanda arbitrio et criterio iudicis; sed melius determinari oportet ab ipso legislatore, quod fit per legem poenalem; qui praecise in legibus poenalibus promulgandis sua prudentia politica deligit illa facta contra leges, quae sibi videntur esse talia, ex quibus ordo publicus detrimentum caperet, ideoque ea decernit punienda, alia impunita relinquens in *ordinariis* circumstantiis. Inde autem explicatur, quod leges poenales mutantur mutatis adiunctis, et quod novae leges poenales Codici delictorum adiungantur, ubi nova exorta necessitas id exigit; per quas novas leges accedit elementum iuridicum factis illicitis quae decernuntur punienda, in Codice poenali non contemplatis, aut forte poenae iam statutae decernuntur aggravandae, quo casu fit mutatio in ipso elemento iuridico.

32. Lex poenalis in Ecclesia, propter eius constitutionem monarchico-hierarchicam, intelligitur sive communis sive particularis, lata ab his quibus in Ecclesia competit potestas legifera subordinata, sive sint personae singulares (Episcopi) sive collegiales (Concilia particularia), quae in determinata regione (dioecesi, provincia ecclesiastica) publicam potestatem exercent. Unde praeter communem legem seu communem codicem poenalem fideles ubicunque degentes obligantem, dantur huiusmodi leges *particulares*, quarum transgressio erit vel non erit delictum, prout a particulari legislatore, ex iisdem criteriis et rationibus iuridicis, quae de communi legislatore fuerunt commemoratae, fuerit necne adiecta poenalis sanctio sive determinata

sive indeterminata. Quae lex particularis potest esse *nova*, dum aliquid *novum* praescribit lege communi non praeceptum, vel etiam de eadem re iure communi sine adiecta poenali sanctione praescripta infligendo poenam contra communis legis transgressores (cfr. can. 2221 cum limitatione can. 2247, § 1): nihil enim obstat, quominus peculiare loci seu regionis circumstantiae efficiant, ut pro tali loco seu regione prudenter aestimetur, violationem communis legis sanctionem poenalem adnexam non habentis natam esse publici ordinis turbationem inducere, v. gr. ob transgressionum frequentiam aut peculiare scandalum ex ipsis in tali loco proveniens. Quo casu particularis legislator non corrigit auctorem legis communis, sed potius eius vigilantiam ob commune bonum complebit, si communi illi legi, poenali sanctione carenti, suam poenalem sanctionem iuris particularis adiiciat (8).

33. Praeterea legislatoribus in Ecclesia inferioribus et aliis Praelatis iurisdictionem in foro externo habentibus incumbit obligatio pastoralis vigilantiae, ex qua, ob specialem indolem finis Ecclesiae, cura inest, non solum per media socialia et subditis promiscue communia (leges ad bonum commune latae) sed etiam per media singularia unicuique subdito aptata, unumquemque fidelem perducendi ad supernaturalem finem vitae aeternae adipiscendae ad quam integra societas ecclesiastica, tanquam ad ultimum supremum finem ordinatur. Hoc autem praestatur dum vi ipsius potestatis publicae dant singularia praecepta iurisdictionalia, quae efficaciam obtinent ex poenali sanctione adiecta, cuius iuridica ratio eadem illa est, quae legitimam reddit sanctionem legi adiectam, cum externa inobedientia externi praecepti iurisdictionalis plerumque nata est, subvertare debitam subordinationem erga Superiores, in qua maxime nititur publicus ordo ecclesiasticus. Atque inde ratio petitur cur in foro ecclesiastico notio delicti compleatur aequiparatione legis poenalis cum poenali praecepto. Porro poenale praeceptum saepe coniungitur

(8) Innumerae sunt huiusmodi leges sive dioecesanae sive provinciales sive regionales, quae legis communis observantiam per poenas adiectas urgent; qua in re habetur praecipuum quoddam discrimen cum ordinario iure poenali fori saecularis, quamvis etiam in foro saeculari idem possit accidere in Statu ex pluribus statibus foederatis conflato, in imperio ex pluribus statibus adunato etc.; generatim tamen unicus est codex poenalis pro tota societate saeculari, nec in foro civili adsunt generatim legislatores inferiores cum capacitate leges ferendi.

cum monitione canonica in eum finem facta ut subditus removeatur a legis transgressione, ut praeservetur a relapsu, ut desistat ab inobservantia tractum successivum habente (9) et ita conservetur disciplina ecclesiastica, cuius efficax tuitio ad coactivam potestatem pertinet.

Elementum iuridicum delicti ecclesiastici est ergo lex sive communis sive particularis vel praeceptum iurisdictionale habens adnexam poenae comminationem. Externa actio contra leges aut praecepta aliter puniri non potest nisi aut praecesserit monitio cum comminatione poenae aut subsequatur monitio cum poenali praecepto circa obligationem in futuro implendam.

34. Huic principio de necessitate elementi iuridici non opponitur can. 2222, sed potius illud firmat. Etenim in duobus casibus paragrapho prima illius canonis contemplatis elementum legale non deest, cum lex communis illo canone contenta auctoritatem tribuat puniendi ideoque sit vera *lex poenalis* (non minus quam v. gr. can. 2389, 2390, 2404, non minus quam can. 1743 § 3, 1554, 1625 etc.) comminans poenam indeterminatam et arbitrio illius superioris determinandam, cui commissum est prudens iudicium de verificato casu scandali aut de legis gravitate ex generalibus iuris principiis et ex specialibus loci circumstantiis aestimanda. Legislator communis in redigendo Codice poenali plerumque respicit casus communiter contingentes, idemque obtinet dum novas leges promulgat, nec potest consulere omnibus casibus extraordinariis v. gr. alicuius gravis scandali ex violatione legis forte obventuri vel specialis gravitatis quam in

(9) Quisque facile videt, ex praemissis singulare discrimen quod intercedit inter finem societatis civilis et Ecclesiae: illa curat publicam prosperitatem temporalem per media socialia, nec ad eam pertinet sollicitudo quod determinati cives ea non fruuntur inordinata vivendi ratione, modo aliorum iura non laedant et publicum ordinem non turbent: Ecclesia instituta est ad perducendos singulos homines ad finem vitae aeternae, quae in ea sola obtineri potest, nec potest negligere singulares fideles, qui media ad illam assequendam per communes leges proposita non adhibent, sed illos debet urgere per peculiaris praecepta ne pereant. Cfr. can. 2214, § 2, de indole iuris poenalis Ecclesiae ex Tridentino sess. XIII de ref. cap. 1; can. 2216 et can. 2306 sq. de diversis mediis coercitivis Ecclesiae propriis.

Prior ex cit. canonibus ex Tridentino Episcopum exhibet duplici praeditum munere *pastoris et iudicis*, *pastorali baculo* et *virga poenali* instructum, quorum prius magis respicit salutem singulorum, posterius magis directe respicit bonum commune.

determinato loco legis transgressio induit: at talis specialis gravitas, tale grave scandalum de se inducit publici boni perturbationem, quam legislator communis non potest prudenter velle impunitam, ideoque dat subordinatis superioribus facultatem puniendi per legem poenalem characteris generalis. Quare hoc sensu quaevis lex ecclesiastica, fit etiam lex poenalis pro illo duplici casu vi can. 2222, § 2. Inde etiam accipit explicationem, quod pauca omnino recenseantur delicta cum respectivis poenis in parte speciali libri V (10).

Quae explicatio et coordinatio canonum, quam iam plures sequuntur (11) omnino est praefenda sententiae eorum, qui in canone 2222 vident exceptionem a principio can. 2195 (12), quae esset exceptio sane rara, cum verificari possit in omnibus fere legibus ecclesiasticis, cum fere in omnibus occurrere possit vel specialis gravitas transgressionis vel speciale scandalum. Multo minus videtur probanda illa explicatio, quod sanctio poenalis sit violatione posterior et contineatur in ipso actu superioris poenam infligentis habito ad instar legis cum vi retroactiva ad momentum transgressionis (13): quae subtilis explicatio hoc habet inconueniens quod sit nimis subtilis et introducit vim retroactivam penitus absurdam in lege seu actu iuridico poenali: si actus positus non meretur poenam, qui fieri potest ut per posteriorem actum Superioris illam mereatur? quodsi non meretur, qua ratione poena iusta esse potest?

Illud plane concedendum est, quod propter nimiam generalitatem principii can. 2222, superior prudenter aget, si in casu gravis scandalum vel gravissimae iuris laesionis, quae iam in se continent publici boni perturbationem, illi legis transgressionem castigandae praemittat praeceptum, quo transgressor adigatur cum comminatione poenae (plerumque a se determinatae) ad scandalum hoc vel illo modo reparandum, ad satisfaciendum laeso etc., quo pacto et transgressio

(10) Cfr. de controversia hac in re exorta: *Roberti* l. c. I, n. 49-53; *S. D'Angelo*, Saggi di Questioni giuridiche, I, p. 102 sq; *Michiels* l. c. p. 79 sq.

(11) Cfr. *Roberti* l. c. n. 53; *Michiels* l. c. p. 79 sq.

(12) Ita *Sole*, De delicto et poenis n. 6, 85; *Falco*, Introduzione allo studio del Codex, p. 240; *Salucci*, Diritto penale I, p. 105 sq.; *Vermeersch-Creusen* quoad modum explicandi, non quoad ipsam rem; nam canon 2222 in qua agnoscitur illa extraordinaria superioris facultas est profecto canon poenalis, ut apparet ex dictis in textu.

(13) Ita *S. D'Angelo*, Saggi di questioni giuridiche I, p. 105 sq. et in *Ephem. Theol. Lovanien.* III, p. 213 sq. ubi pro se allegat *Maroto*, Instit. I, n. 184 a, et *Cicognani*, In canonic. II, p. 87 necnon *Ruibal*, Derecho penal I, p. 98 sq. 165, 174.

impunita non relinquitur et efficacius restauratur ordo iuridicus laesus. Quare in sententia, quam quoad partem carpsit *Michiels* l. c. p. 81, not. 1, nihil incohaerenter traditur, etiamsi non agatur de censura sed de poena vindicativa. Porro merito dixeris Codicem de industria provocasse ad superiorem, cui magis congruit ut relinquatur prudens arbitrium in exercitio potestatis punitivae, quam ipsi iudici, ut optime animadvertit *Roberti* (l. c. p. 76), illud etiam addens, ibi incipere arbitrium iudicis, ubi cessat determinatio legis, atque ipse iudex pendet et subordinatur Episcopo qui est primario et per se iudex dioecesis (cfr. in hanc rem can. 1946, 1954 etc.).

In omni ergo externa transgressione, ut sit delictum poenae obnoxium, requiritur elementum iuridicum, quod erit vel lex poenalis vel praeceptum poenale vel canonica monitio obligationem imponens comminatione poenae munitam ut habetur in fine can. 2222, § 1.

CAPUT IV

Divisio delicti ecclesiastici

35. Delicta seu crimina ecclesiastica dividi possunt (1).

I. *Ratione auctoris*, in delicta *communia*, quae ab unoquoque fidei sive clerico sive laico committi possunt, et in *propria* quae solummodo ratione certi status vel gradus perpetrantur v. gr. delicta clericorum, regularium, delicta contra officia parochi (2).

II. *Ratione executionis*, in delicta *attentata* et delicta *consummata*, prout delictum fuerit plene executioni mandatum aut initium tantum fit executionis ex proposito delictum perficiendi (3); quibus accedunt delicta frustrata.

III. *Ratione iuris accusandi*, dividuntur in *publica*, quae ab unoquoque fidei accusari possunt, et in *privata*, quorum persecutio

(1) Cfr. *Amor Ruibal*, Derecho penal de la Iglesia p. 79 sq.

(2) Cfr. v. gr. Instruct. Prag. (a. 1870) § 92.; L. 2, D. de re mil. XLIX, 16: "Militum delicta aut propria sunt aut cum ceteris communia," *Michiels* l. c. p. 126.

(3) Cfr. excommunicationem statutam contra *provocantes* ad duellum et contra *procurantes* abortum cum effectu secuto; Regolamentoo penale art. 8 sq.; *Berner* l. c. § 100 sq.; infra cap. XV.

arbitrio partis laesae est commissa (4). Iure Codicis haec divisio referenda est ad damnum immediatum per delictum causatum, quod vel fit in iuribus singulorum (homicidium, furtum) vel in iuribus societatis v. gr. offensa in religionem.

IV. *Ratione competentiae*, in delicta *mere ecclesiastica* sive soli foro ecclesiastico reservata, in *mere civilia*, quorum coercitio spectat ad auctoritatem civilem, et in delicta *mixta* sive mixti fori, quae sub diverso respectu ab utraque potestate ecclesiastica et civili coerceri possunt. Cuius diversae competentiae fundamentum est, quod alia delicta directe nocent fini Ecclesiae, alia fini societatis civilis, alia tandem utriusque societatis fini opponuntur (5). Quae distinctio, ob requisitum iure Codicis elementum iuridicum, apte proponitur can. 2198 per hoc quod lex Ecclesiae vel societatis civilis vel utriusque societatis per delictum violetur. At potestas civilis requirente Ecclesia tenetur praestare brachium suum saeculare in exsequendis sententiis ecclesiasticis, nec prohibetur in suo quoque foro sanctionem poenalem statuere in crimina contra religionem admissa in quantum haec prosperitati quoque temporali societatis civilis adversantur, cum de facto religio publicae moralitatis sit praecipuum et maxime necessarium fundamentum: sed vicissim Ecclesia in crimina illa civilia, quae directe licet secundo etiam ordinem Ecclesiae socialem perturbant, poenas statuere et iudicio quoque instituto infligere potest, ut publicae offensioni satisfiat (6). Porro in hac re attendenda est exceptio quoad crimina etiam civilia pro iis qui gaudent privilegio fori.

V. *Ratione notitiae* in *oculta*, *publica* et *notoria*. Notorium (7) dicitur illud quod ipsa evidentia rei ita certum est, ut nulla possit

(4) § 1. Inst. de publ. iud. IV, 18.; L. 1, D. de publ. iud. 48, 1, haec tamen divisio sensu iuris Romani non videtur locum habere in foro ecclesiastico, praesertim post abolitam praxi ipsa proceduram iudicalem per accusationem; cum omnia delicta vere talia ad forum ecclesiasticum spectantia ex officio iudicio criminali Ecclesiae subiici possint. *De Luca*, De delict. et poen. n. 23. Porro iure Codicis monopolium accusationis habet Promotor iustitiae (Can. 1934).

(5) *Devoti*, Inst. can. lib. IV. tit. II. n. 3. sq. Cfr. v. g. varias sententias antiquorum doctorum de iudice competente in causis criminis usurae apud *Schmalzgr.* lib. V, tit. 19, n. 292 et *Lugo*, De iust. et iur. disp. 25, n. 249, 250, qui controversiam sobrio iudicio dirimunt; *Hollweck* l. c. § 3.

(6) Cfr. c. *Novit* 13 de iudic. II. 1.; *Schmalzgr.* l. II, t. 1, n. 62 sq.

(7) C. 24, X, de V. S. V. 40; *Hollweck* l. c. § 5; *Molitor* l. c. p. 103; *Roberti* l. c. n. 44 (III, 2) n. 15 sq.;

tergiversatione celari (*materialiter*) et nullo iuris suffragio excusari (*formaliter*). Quare delictum notorium est factum criminis ipsa evidentia rei non solum ut factum sed etiam ut delictum ita certum, ut nulla tergiversatione possit celari: v. gr. occisio hominis in oculis hominum puta magnae partis communitatis facta potest esse factum notorium, at, si dubitetur num facta sit in iusta defensione, occisio hominis tamquam delictum minime est notoria (*notorium materialiter*, non etiam *formaliter*) (8).

Quae notorietas delicti si nititur ipsa evidentia rei sive operis publice perpetrati in loco publico et adstante hominum multitudine et regulariter tempore diurno (9), dicitur *notorietas facti* sive permanentis sive transeuntis, sive interpolati (10); quod si inducitur per spontaneam confessionem rei in iudicio factam nec revocatam aut per sententiam condemnatoriam ad poenam vel declaratoriam criminis quae transiit in rem iudicatam, habetur *notorietas iuris* (certitudo iudicialis) Cfr. can. 2197. n. 2, 1750 (11).

Publicum est vocabulum genericum quod sub se complectitur *notorium*, *manifestum* et *publicum simpliciter* (seu sensu specifico); sc. sunt tres gradus seu formae publicitatis, et in hac generica significatione, ut per se patet, non opponitur notorio, sed tantum opponitur occulto. Ergo prout opponitur et notorio et occulto, seu publicum sensu specifico, est illud delictum quod iam divulgatum fuit aut patratum est in iis adiunctis vel saltem nunc in iis adiunctis versatur ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum

(8) C. 8. X. de cohab. cler. III. 2.; *Schmalzgr.* l. V, tit. 1, n. 14, 15; *Pirhing*, h. t. n. 114; *D'Annibale*, Summ. I, n. 242; *Reiffenst.* (v, 2) n. 248 sq.

(9) *Schmalzgr.* l. c. n. 4, 5, 6; *Durantis*, Speculum, tit. de notoriis crimin. § 4 n. 3.

(10) *Schmalzgr.* l. c. n. 2.

(11) Probationes iudiciales, etiam quae plenae videantur, iure Codicis non sufficiunt, quia et ante sententiam appellatam possunt elidi non solum per aliquam tergiversationem sed etiam per solidas probationes ideoque plenam certitudinem iuridicam non gignunt quae solum habetur per sententiam absolute definitivam. Cfr. *Michiels* p. 220 C. 7. 10. X. de cohab. cler. III. 2.; c. 24. X. de V. S. V, 40; *Schmalzgr.* l. c. n. 1; *Durantis* l. c. n. 2: unde patet discrimen cum iure praecedenti. Quare ut optime notat *Roberti* l. c., si post rem iudicatam obtenta fuerit restitutio in integrum, interim cessat iuris notorietas.

Iudex autem debuit esse competens. Quare sententia iudicis absolute incompetentis, cum sit prorsus nulla, notorietatem iuris non inducit; quodsi iudex tantum relative fuerit incompetentis, eius sententia, si non fuerit impugnata, sanatur et iuris notorietatem inducere potest.

iri. Quodsi illa divulgatio non est facta nec datur illud facile periculum proximae divulgationis delictum dicitur *occultum*; tandem *omnino occultum* dicitur quod in foro externo probari non potest (12). Cum delicto publico non est confundendum delictum *manifestum* quod exigit ut plures certi sint testes, qui per scientiam certam et sensum corporeum rem cognoverint et desuper testimonium dare possint (13).

VI. *Ratione sanctionis legalis*, in *ordinaria* quorum poenae in ipso iure speciatim sunt statutae, et in *extraordinaria*, quorum puniatio prudenti arbitrio iudicis ecclesiastici est relicta (14).

VII *Ratione gravitatis*, in *levia*, *atrocia*, *atrocissima*; quae de-

(12) Ita in Codice manet decisa implexa quaestio, quae erat inter Doctores de notione criminis occulti et publici. Cfr. *Thesaurus* l. c. II, c. 21; *Reiffenst.* V. 1, n. 243 sq.; *Benedictus XIV*, Inst. eccl. 87; *Gasparri*, De sacr. ord. n. 222; *Ballerini-Palmieri*, Opus mor. t. VII n. 149 sq.; *Stremler* l. c. p. 65 sq.; *D'Annibale* l. c. n. 242; *Lega* l. c. t. III n. 206; *Hollweck* l. c. § 5, 6. Certe *publicitas* dicit ordinem in hac quaestione ad aliorum notitiam; ergo quamdiu res divulgata non est, nec est morale periculum proximae divulgationis, ipsa adhuc *secreto* teneri potest etsi a paucis sciatur per quos probari possit, a quibus tamen prudenter non sit timenda divulgatio. Quare regulae ab auctoribus traditae de *numero* eorum, qui rem sciunt, videntur parum practicae, et tandem ipsi debent convenire cum *D'Annibale* l. c. not. 49, quod in his rebus facti prudens iudicium est relinquendum aestimationi boni viri. At si idem *D'Annibale* in eadem nota commemoratam sententiam *Bonacinae* de crimine occulto cum grano salis dicit esse accipiendam, forte idem iudicium est proferendum de notione criminis occulti ab ipso in textu tradita, sc. "*occultum est quod non est notorium, et possit aliqua tergiversatione celari, etiamsi per aliquod testes probari possit*", nisi propter incisum additum "dummodo adhuc latere queat", coincadat cum sententia supra proposita; nam iuxta omnes *notorium* est species *publici*, ergo occultum prout contradistinguitur a publico non potest definiri per oppositionem ad notorium, cum dentur facta publica, quae notoria non sunt. Cfr. quoque *Michiels* l. c. p. 117 sq.

(13) *Reiffenst.* l. c. n. 245.; *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 149.

(14) L. 8. D. de extraord. crim. XLVII. 11. ubi in iure Romano crimen extraordinarium sumitur speciali quodam sensu connexo cum historia ordinis iudicarii in cognitione criminum. Cfr. c. unic. i. f. de consangu. IV. in Clem.; Concilium Tridentinum sess. XXIV, c. 1 de ref. matr. de poenis parochi, coniugum, testium, qui violant formam Tridentinam. — Huc quoque referri potest divisio in delicta *simplicia* et quasi *regularia*, quibus ordinariae sive regulares sanctiones criminales sunt applicandae et in delicta *specialia*, quae speciali iuri a communi iure discrepante subiiciuntur. Quod ius speciale si contineat odium speciale maioris severitatis, delictum huic iuri obnoxium fit qualificatum, e contra si mitiorem poenam statuat veluti pro delictis puerorum, sunt illa quasi delicta privilegiata. *Muenchen* l. c. 72 sq. 95.

licti gravitas seu quantitas obiectiva, licet fundetur in natura uniuscuiusque delicti, tamen quia delictum ut tale dicit respectum ad legem poenalem, per quam legislator certas legum violationes, quae ordinem sociale perturbant, sanctioni poenali subiicit, practice et quasi a posteriori illa gravitas seu momentum uniuscuiusque delicti desumitur ex gravitate poenae infligendae.

VIII. *Ratione vestigiorum*, quae relinquunt, in delicta *facti permanentis*, in delicta *facti transeuntis* et in delicta *facti iterati*.

IX. *Ratione concursus* delictorum, in delicta *obiective* et *subiective* concurrentia. Qui concursus obiectivus potest esse homogeneus, vel heterogeneus, simultaneus vel successivus sive ob repetitionem sive ob continuationem delicti, materialis et idealis. Cfr. *Muenchen* l. c. p. 73 sq.; *Pessina* l. c. § 108 sq. *Schiappoli* l. c. n. 80 sq.; Regolamento pen. Gregoriano, art. 13 sq.; infra cap. XIII, XIV.

36. Scholion I. Illa distinctio inter *delicta* et *transgressiones* seu *contraventiones* (vel *crimina-delicta-transgressiones*) quae passim obtinet in recentioribus codicibus criminalibus, et quam etiam in iure criminali Ecclesiae ante Codicem propugnavit *Lega* l. c. tom. III, n. 15, 37, 38, si agatur de iure constituto, ad quam etiam illam distinctionem cl. auctor videtur referre, in fontibus iuris ecclesiastici non videtur habere solidum fundamentum. Quod fundamentum ceteroquin ab A. non allegatur. Multo minus videtur posse admitti etiam de lege ferenda criterium a cl. A. propositum, ut *delicta* dicantur facta lege poenali *prohibita quia mala*, *transgressiones* vero illa facta, quae sunt *mala, quia prohibita* (delicta creationis politicae). Certe etiam in foro ecclesiastico dantur delicta magis et minus gravia; at plura delicta gravissima, quae non possunt reduci ad conditionem alicuius contraventionis, non continent nisi violationem legis ecclesiasticae humanae. Nec etiam probandum videtur discrimen n. 37, 38, assignatum, quasi transgressio sit illius legis violatio, qua crimina praeventuntur et bonum societatis positive promovetur; nam imprimis omnes leges poenales sunt vero quodam sensu delictorum praeventivae, cum ex natura rei sanctio poenalis legi cuiuspiam adiuncta ab eius violatione retrahit ideoque delictum praeventit et arcet; promotio vero boni communis ex ipsa definitione cuiusvis legis est propria. Quodsi in titulo § 3 quod praecedit n. 37 insinuat aliud discrimen, quod cum praecedentibus pugnare videtur, quod transgressio magis laedit *bonum societatis* quam *iura civium*,

certe saltem in foro ecclesiastico *maxima* delicta saltem generatim sunt, quae contra bonum societatis (Ecclesiae) patrantur, puta haeresim; atque hoc omnino est consonum notioni delicti, cuius est perturbare ordinem sociale.

In foro saeculari duplici ratione est introducta illa distinctio, aut ex diversitate poenarum, aut ex diversitate iudicum, quibus committitur cognitio. Quae duae rationes in foro ecclesiastico non obtinent. Cfr. *Berner*, Trattato di diritto penale, § 73; *Pessina* l. c. § 32 sq; *Latini* l. c. n. 83 sq; *Michiels* l. c. p. 128; *Roberti* l. c. n. 43. Criterium intrinsecum distinctionis clarum et praecisum non affertur; ab uno allegatum ab aliis impugnatur (15).

Scholion II Divisio sub n. IV proposita est evidenter quaestio iuris publici internationalis, cum versetur circa limites publicae potestatis erga proprios subditos in materia in qua duplex suprema potestas ecclesiastica et civilis ratione materiae est competens.

(15) Cfr. *Florian*, Parte generale del diritto penale (4^a) I, § 35. *Amor Ruibal*, qui etiam pro foro ecclesiastico transgressiones admittit licet de ipsis Codex non loquatur, ita (l. c. n. 275) transgressionem definit: sunt transgressiones *normarum prudentialium ordinis administrativi* cum sanctione legali ad observantiam aliarum legum et publicum civium (respective fidelium) bonum. Si agitur de *delicto* lex v. gr. dicit *non occides*; in casu *transgressionis* edicit hos vel illos actus non pones, quibus in discrimine ponitur vita alicuius. Quodsi transgressiones Codex non memorat, non allegari congrua ratio potest cur in iure Codicis sint admittendae. Quidquid aequum et iuridicum est in legibus sic dictis politiae, in foro et pro foro ecclesiastico obtinetur partim per ordinarias leges communes, partim per leges particulares legibus communibus superadditas, partim per vigilantiam Praelatorum in qua includitur potestas imponendi praecepta sive *generalia* sive *singularia*, ubi opus sit, sanctione poenali munienda.

Vicissim *Latini* in iure poenali philosophico legem politiae ita definit: Praeceptum aut vetitum in materia per se, generatim indifferenti, a politica auctoritate ad publicam securitatem vel maiorem civium utilitatem, addita congrua sanctione poenali, legitime promulgatum. - Transgressionem vero: Actio vel omissio, libera quidem et effectiva, contra aliquam politiae legem legitime promulgatam, etiam independenter ab intentione legem ipsam violandi, ex qua, scilicet, nullum aestimabile materiale damnum reapse sequutum fuerit. - Optime quidem iu iure poenali philosophico, sed quoad applicationem ad forum eccl. videntur valere quae supra dicta sunt.

CAPUT V

De subiecto delicti ecclesiastici (1)

37. *Subiectum activum* (autor, factor) delicti tantum potest esse homo (2) doli capax (3): I. De personis *physicis* sive individuis, principia quibus determinatur eorum subiectio ad leges poenales, sunt eadem quae in libro I Codicis tit. I, proponuntur generali modo de subiecto legum ecclesiasticarum, quae non sunt hoc loco repetenda. Quicumque autem legi poenali subiicitur ceteris paribus est subiectum capax delicti committendi. Rubrica iuris Decretalium (V, 6) «De iudaeis, sarracenis, et eorum servis» habet monumentum historicum et iuridicum, de quo agendum erit in parte speciali III, de

(1) Cfr. *Cretschner*, De delict. et poen. universitat. 1680; *Willemberg*, De univ. delinquente, Gedan. 1720; *Guncling*, De univ. delinquente eiusque poenis, Hal. 1724; *Malblanc*, Observ. ad delicta universit., Erlang. 1794; *Sintenis*, De delict. et poen. univ., Servest. 1825; *Voss*, Diss. utrum univ. delict. admittere possit necne, Groning. 1837; *Lauenstein*, Diss. de univ. non delinquente, Gott. 1840, apud *Pessina*, Diritto pen. § 49 sq.; *Gierke*, Das deutsche Genossenschaftsrecht; *Hinschius*, l. c. V, § 342, p. 916-919; *Hefter*, D. Delikts u. Straffähigkeit der Personenverbände, p. 15-18; *Schiappoli*, Diritto pen. n. 49; *Lega*, l. c. t. III, n. 39; cfr. quoque *D'Annibale*, l. c. I, 43 sq.; *Amor Ruibal*, La amoción administrativa etc. p. 57 sq.; Derecho penal de la Iglesia I, p. 137 sq., 221 sq.

(2) Si c. 4 C. XV, q. 1, pecus cum qua mulier peccavit morti dicitur tradendum cum muliere, iam ipse Gratianus in suo dicto optimam dat explicationem quod hoc fiat « non propter conscientiam peccati, sed quia refricant memoriam facti » cui rationi accedit alia symbolica cuiusdam expiationis publicae secundum praeformationem in V. T. contentam (Exod. XXI, Levit. XXI, 18-21); *Glandclaude*, lus can. t. III, p. 510; *Kahn*, l. c. p. 36; *Schiappoli*, l. c. n. 48. Huc quoque spectant quae suo modo disserit *Hinschius*, l. c. V, p. 302, de poenis contra mortuos (?) et V, p. 302, IV, p. 758, de procedura in mortuos (?). Cfr. quoque *Ménabréa*, De l'origine, de la forme et de l'esprit des jugements rendus au moyen-âge contre les animaux, p. 122 sq. *Amira*, Thierstrefen u. Thierprocesse; Zeitschrift für Kath. Theologie (1909); *Amor Ruibal*, Der. penal canónico I, n. 328; *Berriat Saint-Prix*, Rapport et recherches sur le procès et jugements relatifs aux animaux (Paris 1829); *Adossio*, Bestie delinquenti (Napoli 1892) ubi recensentur plurimi processus contra animalia; *Mendizábal*, Derecho natural I, n. 47.

(3) L. 23, D. 47, 2; R. I, 23, in Sext.; *München*, l. c. p. 39, sq.

singulis delictis cum respectivis poenis. - II. Specialis difficultas esse potest de personis moralibus. Iam vero utrum sola persona individua an etiam corporationes (universitates), quae pluribus personis singularibus constant, sint in foro ecclesiastico subiecta capacia delictorum in controversia est. Qua in controversia tenendum est ius poenale Ecclesiae illam delinquendi capacitatem in suo foro agnovisse atque sapienter peculiari indoli huiusmodi delicti a communitate ut tali commissi suas poenas accommodasse (4). Nam Ecclesia huiusmodi personis moralibus per modum corporationis seu collegii constitutis personalitatem iuridicam tribuit, quae non est mera quaedam fictio sed fundatur in reali vinculo iuridico individuorum, quae collegium constituunt (5), atque vi istius personalitatis sunt vere et reatiter (non fecte) subiectum capax iurium et obligationum, possunt inire negotia iuridica quae postulant declarationum voluntatis (6). Si iurium et obligationum capaces sunt, nihil est cur delictorum et poenarum incapaces dicantur: nam in exercitio iurium abusum committere possunt qui in detrimentum boni publici redundet et merito sub poena prohibeatur; porro aliarum personarum sive physicarum sive moralium iura invadere possunt, iniuste et delinquendo, quorum iuridica tutela ad publicam auctoritatem pertinet et denique obligationes, quibus ligantur, corporationes ut tales per actum collegialem trasgredi possunt.

Quodsi ad delictivam et poenalem imputabilitatem requiruntur actus deliberati, hi etiam dantur in collegio seu corporatione, eadem veritate qua haec est subiectum iurium et obligationum distinctum

(4) *Suarez*, De censuris, disp. 18, s. 2, n. 2, « nam universitas ut sic i. e. collegium seu capitulum, graviter delinquere potest, ergo et puniri » disp. 28, s. 3, n. 2, 3, 7; *Gibalinus*, De censuris, disp. IV, q. 5 et sq.; *Schiappoli*, l. c. n. 49; paulo aliter *Lega*, l. c. t. III, n. 39, 168.

(5) Cfr. de controversia quae tempore Innocentii IV (i. e. *Sinibaldi Flisci*) agitata est circa personas morales atque illius controversiae applicationem ad ius poenale: *Gierke*, op. cit. t. III, p. 343, sq. 282 sq.; *Schiappoli*, l. c.; *Amor Ruibal*, l. c. n. 39 sq. 42 sq. ubi sententiam in textu propositam apte propugnat, uberius vero in *Derecho penal canónico* I, n. 240 sq.; II, n. 329; *Kahn*, l. c. p. 36, not. 1; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 30, 523, 916 sq.

(6) *Cavagnis*, Inst. iur. publ. t. I, p. 7 sq., t. II, p. 324 sq.; *Aichner*, Comp. iur. eccl. § 143 sq. Cfr. quoque *Schiffini*, Philos. mor. n. 315 et *Cathrein*, Moralphilos. t. II, p. 119 sq. de dominio personae moralis. Quare *Vermeersch*, Monumenta de Religios. p. 73 sq. et *Periodica de Religios.* t. I, p. (91) falsam tradit notionem subiecti domini bonorum ad monasterium spectantium.

ab ipsis membris, propter iuridicum vinculum voluntatum (7), ex quo exurgit voluntas collectiva, cuius condiciones determinat lex statuens numerum suffragiorum requisitum ad actum collegialem. Quod vinculum iuridicum voluntatum sicut sufficit ut universitas possit ponere actum, qui ab individuis ipsam componentibus positus valore iuridico careret, ut possit acquirere iura et contrahere obligationes quae iura et obligationes individuorum non sunt, in quibus etiam requiruntur actus deliberati, ita etiam erit sufficiens ad delictivam et poenalem imputabilitatem (8).

Quibus argumentis *ex natura rei* petitis, supposito instituto iuridico personalitatis moralis, accedit quod ius ecclesiasticum antiquum et novum evidenter continet leges poenales, quarum subiectum passivum sunt corporationes ut tales, in quarum transgressione consistit delictum (9). Conf. suspensiones et interdicta in *Const. Apostolicae Sedis* contenta; *Conc. Trid.* sess. XXIII, c. 10; c. 23. *X, de elect.* I, 6; c. 40, de *elect.* in *Sext.* I, 6 etc. (10). Quibus

(7) *Carmignani*, Iuris crimin. elementa, t. I, 229, 326, « voluntas generalis, quae universitatis voluntas est, omnibus qui moralem personam constituunt aequae obest, quamvis non omnes singuli in delictum consenserunt » — « Delicta universitatum iurium amissione plectuntur, quae universitatis praerogativas continent ».

(8) *Amor Ruibal*, l. c. n. 48. Ceterum personae morales sunt [entia socialia in ordinem iuridicum admissa, quae perinde in ordine iuridico agunt sicut personae physicae: si possunt peragere actus iuridicos non est cur non possint ponere actus antiuridicos, illicitos. Cfr. *Ferrara*, Teoria delle persone giuridiche, p. 884 sq.; 890 sq., 922 sq.

(9) Si *Lega*, De delictis et poenis, n. 50 (2^a edit.) capacitatem delinquendi in personis moralibus, quam in textu videtur negare, in nota argumento deducto ex poenis admittit, non videtur sibi constare; dicere autem suspensionem et interdictum quoad personam moralem esse privationem, non poenam videtur esse lusum verborum, nam pleraeque poenae in foro ecclesiastico nunc in praxi vigentes nihil aliud sunt quam iuris privationes. Similiter si *Pessina* l. c. § 46, dicit auctoritatem publicam personae morali poenas infligere non posse, sed ad summum posse illam dissolvere seu personalitatem iuridicam auferre; immerito negatur hanc dissolutionem esse poenam, quin potius merito aequiparatur poenae capitali quoad individua; *Cremani*, De iur. crim. l. I, part. 1, c. 6, § 6: « sicut universitas iure constat, ita de ea sumi poena dicitur, cum eodem iure privatur ».

(10) *Suárez*, l. c. disp. XVIII, sect. III, n. 1 sq. ubi declarat triplici modo ferri posse suspensionem: in Capitulum ut tale, in Capitulum distributive ita ut suspensio afficiat singula membra, et in Capitulum simul eiusque membra. Ita etiam *Lega* l. c. t. III, n. 68; *DAnnibale*, l. c. I, 44; *Covarruvias*, t. II, Variar. Resol. I, II, c. 8; *Hilarius a Sexten*, De cens. p. 18, quibus consonant canones in textu citati.

praescriptis poenalibus consonant Codicis canones 2224, 2285, 2391, 2332. Innocentius IV, dum c. 5, de sent. exc. in Sext. V, 11, prohibuit in universitatem vel collegium proferri excommunicationem non negavit corporationibus capacitatem delinquendi et poenas stricte dictas subeundi, sed potius eam implicite agnovit excludendo determinatam poenam ob peculiarem eius indolem (11). Nec ex iure romano argumentum efficax contra praemissam doctrinam peti potest (12).

38. Subiectum delicti *passivum*, si materialiter spectatur sunt quaevis res, quaevis personae, in quas crimen executioni mandatur; *formaliter* vero sunt semper personae physicae vel morales, quae sunt subiectum iurium, quae per delictum violari possunt. Nihil autem refert num persona quae delicto offenditur sit persona ecclesiastica, vel sit persona ab Ecclesia separata (haereticus, schismaticus) vel omnino extra Ecclesiam (infidelis) si verum ius talis personae violetur a fidei.

(11) Praeter rationem in ipsa decret. Innocentii IV, allegatam, ne innocentes teneantur subire effectus excommunicationis, Suárez l. c. disp. 18, s. II, n. 3 optime assignat disparitatem inter excommunicationem et alias poenas « quia bona quibus principaliter privat excommunicatio personalia sunt seu ad singulas personas pertinentia ». Alia ratione discrimen assignat *Lega*, l. s. cit. Ipse Innocentius IV (Sini-baldus de' Fieschi) qui in sua theoria de persona ficta dixerat « impossibile est quod universitas delinquat » coactus est admittere: « fatemur tamen quod si rectores alicuius universitatis vel alii aliquod maleficium faciunt *de mandato universitatis - universitas punitur* » apud *Gierke*, Das deutsche Genossenschaftsrecht III, p. 344.

(12) *Ferrini Cont.*, Diritto pen. Romano, si n. 44, probat in personis moralibus ius Rom. non agnoscere capacitatem delicti et poenae, at eodem loco et n. 13 admittit in personis morales cadere *castigationem*; at forum eccl. etiam admittit discrimen in poenis quae individuis et moralibus personis infliguntur, sed non habet fundamentum in fontibus iuris eccl. discrimen inter poenas stricte dictas et disciplinares.

CAPUT VI

De fontibus imputabilitatis seu de imputabilitate ex dolo et ex culpa

39. Duplicem imputabilitatis fontem assignat can. 2199: « Imputabilitas delicti pendet ex dolo delinquentis vel ex eiusdem culpa in ignorantia legis violatae aut in omissione debitae diligentiae » (1).

Ut actio dannosa seu ordinis iuridici laesiva puniri possit debet esse moraliter culpabilis seu moraliter imputabilis, id quod iam in ipsa notione delicti posuit legislator ecclesiasticus. Ordo iuridicus socialis est *pars* ordinis moralis a Deo constituti ex obligatione conscientiae servandi, et qua pars huiusmodi ordinis moralis generalis principiis ordinis moralis subordinari debet: ubi deest culpa, actio inculpabilis ad demeritum imputari non potest ideoque neque ad poenam, sicut ordo moralis generalis laedi non potest nisi per actus vere humanos culpabiliter positos.

Praesuppositum necessarium imputabilitatis moralis est liberum arbitrium, seu dominium proprii actus (S. Th. 1, 2, q. 21, a. 1).

Haec moralis imputabilitas, unde proveniat hic in abstracto considerandum est; quae quaestio ad hoc reducitur, quid requiratur in agente ad hoc ut determinatum delictum iu foro externo debeat censi culpabiliter positum ideoque criminaliter imputandum.

Imputabilitas practice in hac materia confunditur cum *responsabilitate*. Cum est quaestio de imputabilitate unice consideratur relatio *actus ad agentem*; si sermo est de responsabilitate inspicitur relatio *agentis ad eos quibus agens subiicitur*, in casu ad societatem seu potestatem sociale. Quare imputabilitas habetur in omnibus actionibus moralibus, est aliquid ipsi actioni liberae intrinsecum, cui quoad Deum inhaeret etiam responsabilitas apud divinum forum; sed quoad humanam societatem, quoniam huius non est praemia reddere pro actionibus ordini iuridico sociali conformibus, responsabilitas non habetur nisi in actionibus illius ordinis socialis laesivis; ideo

(1) Cfr. *Roberti*, l. c. n. 61 sq.; *Michiels*, l. c. p. 98 sq. iunct. p. 87 sq., ubi evolutio historica apte proposita continetur.

practica in iure poenali responsabilitas habetur in actionibus laesivis moraliter imputabilibus, et de laesione ordinis iuridici socialis debet respondere qui illud violavit per actionem moraliter imputabilem; publicae auctoritatis est definire quando pro tali laesione retribuenda sit poena ordinis laesi restaurativa. Secundum hanc potestatis publicae determinationem habetur responsabilitas *legalis*, quae superadditur morali eamque supponit.

Moralem practice excludunt sectatores scholae positivae deterministicae, qui proinde iustitiam poenae explicare non possunt; quin potius totus ordo iuridicus sine admissione liberi arbitrii nihil aliud est quam chimaera (2).

Si in foro civili iuste castigantur *transgressiones*, in quibus elementi interni imputabilitatis moralis non consideratur, ideoque videtur dari poenalis responsabilitas legalis sine morali imputabilitate, illa poenalis seu castigatio saltem praesupponit culpam *iuridicam*, aliquam scilicet obiectivam transgressionem legis vel normae praeceptivae (3). Relate ad talem praeceptivam normam variis modis Status se habere potest. *a)* In pluribus casibus praesumit culpam subiectivam donec contrarium probetur; *b)* in aliis non admittit innocentiae seu inculpabilitatis protestationes, ne via aperiatur indiligentiae et socordiae civium in ponenda aut omittenda re ad bonum et ordinem publicum necessaria ideoque praecepta; *c)* tandem plures huiusmodi regulae seu normae politiae praeceptivae habent characterem legis *mere poenalis*. In primo casu non excluditur exigentia elementi interni moralis, sed res regulatur secundum exigentias fori externi, in quo praeprimis attendendum est factum externum, quod ex communiter contingentibus, si libere positum est, etiam culpabiliter esse positum iure praesumitur. Fere idem est dicendum de altero casu sub *b)*, quamvis ex circumstantiis ex iurisprudencia praesertim forte colligi poterit agi de lege quae tractatur ut lex mere poenalis. Porro a legislatore civili posse duplici modo ferri legem, regulam seu normam, ut directe obliget ad culpam, vel ut directe obliget ad solam poenam si imponatur in casu transgressionis non est dubitandum. Iam ad hanc alteram classem, ut plurimum, pertinere plures normas quae dicuntur leges politiae satis communiter

(2) Cfr. *Latini*, l. c. p. 3 sq.; *Cathrein*, Principios fundamentales del derecho penal, pag. 38 sq.

(3) Cfr. *Cathrein*, l. c. p. 138 sq., 139 sq.

admittitur: quo casu nec transgressio est vere et proprie *delictum* (culpa criminalis), nec actio persecutoria est actio *criminalis*, nec castigatio est stricte dicta *poena*, quamvis hoc nomine designatur accepto in sensu lato.

§ 1. De imputabilitate ex dolo (4)

40. Dolum Codex hoc pacto definit can. 2200: «Dolus heic (i. e. in materia poenali) est deliberata voluntas violandi legem, eique opponitur ex parte intellectus defectus cognitionis et ex parte voluntatis defectus libertatis (5).

«Posita externae legis violatione, dolus in foro externo praesumitur donec contrarium probetur».

Ex hac notione duplex in dolo requiritur elementum:

a) ex parte intellectus praevia cognitio legis seu obligationis legalis et deliberatio seu advertentia ad characterem actionis quae ponitur, quod sit contra legem i. e. in hac materia contra iura quae per legem proteguntur; *b)* voluntas deliberata. Quare dolus non consistit in actu rationis, sed in actu voluntatis, in intentione positiva ponendi actum qui legi seu iuri per legem protecto cognoscitur esse contrarius. Conscientia criminis seu oppositionis ad legem est praerequisitum ad hoc ut illa intentio positiva habeatur; ipsa sola dolum non constituit (6).

(4) Cfr. *Hall*, De dolo, Amst. 1812; *Rosendael*, De dolo in delictis, Lugd. 1818; *Michelet*, De doli et culpa in iur. crim. notione, Berol. 1824; *Wissinger*, Differentia inter delicta dolosa et culposa, Brux. 1824; *Waidland*, De libera vol. ad delicta contrah. necessaria, Amst. 1787; *Bichou*, De dolo in delictis, Traj. ad Rhen. 1850; *Lega*, De delictis et poen. n. 74 sq., 44 sq.; *Latini*, l. c. p. 77 sq.; *Roberti*, l. c. n. 63 sq.; *Michiels*, l. c. p. 101 sq.; *Amor Ruibal*, Derecho penal de la Iglesia católica I, p. 255 sq.

(5) In materia civili-canonica seu in actibus iuridicis dolus est illa «calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita» *Ulpianus*, ex Labeone in l. s, 2 D., de dolo malo IV, 3. Nihil impedit quominus haec ipsa fallacia in negotio iuridico adhibita a lege poenali respiciatur, tum dolus in sensu poenali erit intentio hanc fallaciam adhibendi, quo casu simul habetur responsabilitas civilis et canonica.

(6) Cfr. *Cathrein*, Principios fundamentales del derecho penal, p. 184 sq. contra *Liszt* aliosque poenalistas patronos sic dictae theoriae cognitionis, perceptionis aut repraesentationis (*Vorstellungstheorie*), oppositae theoriae classicae, quam dicunt theoriā voluntatis (*Willenstheorie*); *Carrara*, Programma § 69, ubi praesertim confutat a *Carmignani* traditam doli notionem; *Amor Ruibal*, l. c. n. 258.

Dolus ergo habetur quotiescumque conscienter intenditur actus, cuius executio vel omissio est contra aliquod bonum seu ius quod a lege protegatur: quare dolus non consistit praecise in intentione directa ad legem qua talem violandam; sed in intentione directa ad actionem vel omissionem tametsi cognoscatur legi contraria et delictuosa (7). Si intentio praecise directa contra legem formaliter constitueret *dolum*, in maxima parte actuum criminalium deficeret elementum essenziale delicti, cum pauci sicut omnino casus in quibus illa expressa voluntas habeatur: quare cum agitur de probanda existentia doli, non fit investigatio circa propositum violandi legem, sed circa propositum ponendi actum vetitum, qui vetitus cognoscitur. Atque ita intelligitur Codex, dum *dolum* ponit in deliberata *voluntate* violandi legem, ut apparet ex applicationibus can. 2200 variis locis facta, quae violatio pro diversa natura legis fit per actum vel actus omissionem.

Sicut autem delictum non est confundendum cum motivis actus delictuosi, ita cum his non est confundendus dolus; nam propositum faciendi rem, quam lex prohibet, cohaerere potest cum finalitate, seu cum motivis subiective bonis. Ita est delictum punibile usurpatio rei alienae ex motivo seu fine succurrendi indigenti, etc.

41. *Doli species variae*. Solet in hac materia distingui:

1. Dolus *genericus* et *specificus*: quae divisio petitur ex intentione, quae potest esse *generica* i. e. simplex intentio violandi legem semper requisita in actu doloso, et *specificum* cum illi intentioni accedit intentio specificum determinata et a legislatore expresse requisita v. gr. animus nocendi, vel motivum v. gr. odii aut vindictae vel specialis finis, puta abducere species consecratas ad malum finem cfr. can. 2320, 2337, etc.

II. Ratione effectus intenti potest dolus esse *determinatus* vel *indeterminatus*; prior habetur cum voluntas violandi legem tendit directe ad obtinendum effectum per se connexum cum violatione legis sive unicum sive multiplicem, ad quem vitandum lex poenalis ordinatur; *indeterminatus* habetur, cum intentio effectus est *generica* sive quoad omnes effectus sive quoad unum vel alterum ex possibilibus. Qui furtum determinatae rei intendit committere et de

(7) Ad *dolum* non requiritur cognitio poenae nec character poenalis legis (can. 2202), licet eius ignorantia possit ex positiva legis dispositione a poena excusare.

facto eam furatur agit cum dolo determinato; qui ingreditur domum ad surripienda quaecumque inveniatur vel sibi utilia sunt, sive uno sive variis actibus, agit cum dolo indeterminato respectu singularum rerum furto ablatarum. Valet regula: *dolus indeterminatus determinatur eventu*. In utroque casu doli, dolus est expressus et directus tum coram lege tum apud conscientiam, quamvis diverso modo referatur ad effectum.

III. Solet etiam distingui dolus *directus* et *indirectus*; quae divisio ita solet explicari ut *directus* dicatur dolus, si quis advertens relationem causalitatis quae intercedit inter propriam actionem vel omissionem et effectus nocivos, hos intendit; quod si cum eadem advertentia, effectus nocivos non vult et nihilominus ab actione non desistit vel in omissione perseverat dicitur versari in dolo *indirecto*. Verius tamen in iure Codicis dolus semper est directus: vel enim agens eventum laesivum actionis vel omissionis praevideat et nihilominus actionem vel omissionem libere et deliberate posuit aut omisit, et dolus est directus, nisi agatur de actione duplicem habens effectum innocuum et nocivum (8); vel eventum praevisum noluit et est in culpa, quam alii dicunt *dolum indirectum* vel culpam dolo proximam. Si autem eventum nocivum non praevideat, cum praevidere potuisset, de communi sententia habetur stricte dicta culpa: Cfr. can. 2207, iunct. *Roberti*, l. c. n. 65; *Michiels*, l. c. p. 105.

§ 2. De imputabilitate ex culpa (9)

42. Factum iuris laesivum sine dolo positum sed cum negligentia culpabili, solitum est appellari *quasi-delictum*. Ita v. gr. *Cal-*

(8) Res est passim nota et sententia communi theologorum probata exclusio imputabilitatis in casu duplicis effectus, modo agatur de actione bona vel indifferenti; effectus nocivus non intendatur sed mere permittatur; effectus, bonus saltem aequae immediate sequatur atque effectus malus seu non sequatur mediante effectu malo; adsit causa relative gravis ad effectum malum permittendum. Cfr. *Lehmkuhl*, Theol. mor. I, n. 12, II, et alios passim.

(9) *D'Annibale*, Summ. I, n. 297; *Lega*, l. c. t. III, n. 83 sq.; *Passerini*, l. c. ni 478 sq.; *Hollweck*, Die kirchlichen Strafgesetze, § 13; *Muenchen*, Das canonische Gerichtsverfahren und Strafrecht II, p. 24 sq.; *Latini*, Iuris crimin. physonische Gerichtsverfahren und Strafrecht II, p. 100 sq.; *Rolosoph*, s. lineamenta, p. 77 sq.; *Michiels*, De delictis et poenis, p. 100 sq.; *Roberti*, De delictis et poenis, n. 66 sq.; *Amor Ruiual*, Derecho penal de la Iglesia catól., I, n. 268 sq.; Pro foro saec. cfr. *Pessina*, Diritto pen. § 61 sq.; *Carfora*, in Digesto Italiano v. Colpa (materia penale). Cfr. quoque *Suarez*, De censuris et irregularit. disp. 45 cum in irregularitate praesertim tractaretur haec quaestio.

vinus « quasi delictum dicitur cum culpa punitur ita quasi revera esset delictum. Culpa enim proprie a delicto sic distinguitur, quod in hoc dolus est, in illa non est, veluti cum iudex male per imprudentiam iudicando litem suam fecit. Imprudentia enim pars culpae est, culpa autem pars quaedam delicti; poena igitur damnato sic imponitur ac si deliquisset, cum tamen eius factum proprie delictum dici non possit ». — Ergo quasi delictum est eventus criminosus, qui alicui imputatur, ex cuius *culposa* (non *dolosa*) actione vel omissione ortus est. — Culpa vero (*iuridica* non *theologica*) est incon-sulta actio vel ommissio, ex qua ortus est eventus criminosus (i. e. nocumentum iniustum) qui ab agente vel omittente potuit ac debuit praevideri (c. 9, X. de iniur. et damno dato V, 36) (10). Inconsulta dicitur actio vel ommissio ut culpa distinguatur a dolo, qui intentionem nocendi saltem indirecte includit. Porro potest esse vel actio, v. gr. si quis ignem incendit a quo comprehenditur acervus frugum (c. 5 eod. tit.) vel ommissio v. gr. si aegrotus sine sacramentis moritur, quia parochus illius curam neglexit; si Eucharistia vel Chrisma non custodiatur clavibus et inde aliquid nefandum contigerit (c. 1, X de custod. Euchar., III, 44); si quis Litteras Apostolicas ante non examinaverit et inde falsis vel falsatis utatur (c. 7 de crim. falsi V, 20). Eventus criminosus debet esse talis qui potuerit et debuerit praevideri, secus tribuendus est casui, qui imputabilitatem excludit, non ei ex cuius actione vel omissione ortum duxit (11). Haec culpa iuridica saepe in fontibus dicitur negligentia, culpa, incuria, immo non raro casus. Cfr. theologos et canonistas agentas de homicidio casuali.

Fundamentum imputabilitatis quasi-delicti in eo est positum, quod licet lex *directe* obliget ad evitandam *voluntariam* ipsius transgressionem, *indirecte* etiam obligat ad adhibendam diligentiam, ne ex nostra actione, licet forte ex se non prohibita, *idem* nocumentum sive in aliam personam sive in bonum publicum redundet, quod ex voluntaria legis transgressione oriretur; v. gr. lex prohibens homicidium non solum prohibet voluntariam et iniustam alterius occisionem, sed etiam me obligat ad adhibendam diligentiam ne ex mea

(10) *Paulus*, in L. 31 D. ad L. Aquil. (9, 2) « culpam esse quod cum a diligenti providi potuerit, non esset provisum, aut tunc denunciatum esset cum periculum evitari non posset ».

(11) Cfr. cit. c. 9 (Gregori IX) X. de iniur. V, 36; *Pessina*, l. c. n. 62.

actione, etsi forte in se honesta, occisio hominis sequatur (12) non mere casualiter.

Ex quo fundamento apparet merito quasi-delictum imputari ad poenam propter violationem iuris in culpa iuridica contentam, cui voluntarietas non deest, cuius impunitas posset saepe redundare in magnum boni publici detrimentum, ut elucet in negligentia magistratus ecclesiastici in adimpletione officii sui, in administratoribus bonorum ecclesiasticorum (cfr. c. 2, § 1, de relig. domib., III, 11 in Clem.) v. gr. negligentia in custodiendis documentis et instrumentis quibus iura ecclesiastica in bona temporalia nituntur.

43. At licet in hac imputabilitate et punitione maxime habenda sit ratio maioris damni ex negligentia orti, praesertim contra bonum publicum (relate ad bonum privatum potius est quaestio de indemnitate praestanda), semper tamen minor est imputabilitas et proinde mitior per se ceteris paribus debet esse poena in quasi-delicto quam in delicto. Praeterea attendendum an damnum acciderit ex sola culpa iuridica, an culpae admixtus sit dolus, ut non raro accidit, cum sc. posita est actio *prohibita*, aut ommissa actio *praecepta*, ex qua ortus est eventus criminosus non praevius, qui praevideri tamen et potuit et debuit; multo magis dolus culpae admiscetur cum illa prohibitio expresse est facta ad finem evitandi eventus noxii et criminosi ex illa facile secuturi (13). Maximus autem culpae gradus, qui merito

(12) *Pessina*, l. c. n. 62, 64, ubi notat iure Romano antiquiori culpae ut contradistinctae a dolo et casu rationem habitam non esse; deinde in lege Aquilia inductam esse imputabilitatem ex culpa, verum non criminalem, sed civilem tantum inducentem obligationem praestandi indemnitate, atque sub hoc respectu praesertim fuit consideratum quasi-delictum. Cfr. tit. V, libr. IV, Inst. « *De obligationibus quae quasi ex delicto nascuntur* »; quo loco iuris Iustiniani etiam est sermo *de poena* in quadruplici specie facti culposi sc. imperitia male iudicantis; deiectio vel effusio ex coenaculo; positio vel suspensio eius, quod transeuntibus periculo esse possit; denique damnum in navi, caupona vel stabulo datum. Quamvis tempore Imperatorum admissa quoque est doctrina de punibilitate ob nonnulla delicta culposa. L. 1, de leg.; L. 5, § 2, L. 16, § 8 D. de poenis. De iure populo- rum germanicorum, cfr. *Del Giudice*, Diritto penale germanico, c. V.

(13) *Passerini*, l. c. n. 137; *Pessina*, l. c. n. 64, cfr. *Michiels*, l. c. p. 94, ubi ex Decret. Innocentii III (c. 13, X, V, 12) et Decret. Honorii III (c. 3 Compil. II, V, 6) recte asserit communiter Decretalistas collegisse danti operam rei illicitae ex qua secutum est homicidium seu in genere effectus antiuridicus, hunc effectum imputari, si actio ipsa illicita fuit deliberate volita. « Illicita res nocet », « ex quo quis rem illicitam facit, omne quod sequitur imputatur ». Semper tamen cen-

dicitur *proximus* dolo tunc habetur cum effectus noxius propriae actionis praevius fuit et nihilominus ea posita fuit cum conscientia criminis committendi, etsi non voliti praetendatur (14).

Quare etiam in foro ecclesiastico non solum quoad civilem sed etiam quoad poenalem imputationem locum habet illa distinctio culpae in *latam*, *levem* et *levissimam*, atque pro foro externo *lata* dolo aequiparatur, *levis* est fundamentum imputabilitatis quasi-delicti, *levissima* dissimulari solet (15). At sicut privata pactione in contractibus potest quis obligari ad praestandam culpam levissimam, ita in casu particulari, id exigente bono publico, lex poenalis, (16) potest obligare ad culpam levissimam sub sanctione poenali praestandam; quo in casu defectus summae diligentiae cum gravi culpa ex se est coniunctus.

44. Ex praemissis tria in quasi-delicto seu in actione non dolosa, iuris tamen laesiva, verificari debent ut effectus nocivus ad culpam imputari possit cum consequente imputabilitate poenali: 1° ut alicuius legis poenalis, seu iurium quae ea proteguntur, laesio ex facto nostro (17) voluntario tamquam ex causa sequuta sit, quin talis laesio intenta fuerit. Haec est enim hypothesis, quae hic vertitur, sc. de laesione culposa, non de dolosa iuris laesione; exclusae lae-

sebant in hoc casu haberi culpam gravem, moraliter in conscientia imputabilem, seu verum peccatum, et ideo legitimari punitionem seu culpae admixtum esse dolum, dum a decretistis varias in hac re haberi sententias. Cfr. *Zech*, De iudiciis criminalibus § 331 sq.; *Cathrein*, Philos. mor. n. 34.

(14) Casus in quo evidenter admiscetur *dolus* et *culpa* est v. gr. casus quo quis Titium sciens volens libere vulneravit, praevidebat periculum occisionis, at nihilominus non abstinuit a vulnere inferendo. In casu habetur dolus manifestus quoad vulnus; ipsa occisio non intenta et de facto subsequuta arguit culpam maximam dolo proximam. Ab aliquibus, v. gr. occisio in casu dicitur ex dolo indeterminato, v. gr. a Carrara.

(15) *Suárez*, De cens. d. 45, s. 5, n. 4 sq.

(16) *D'Annibale*, l. c. I, 297; *Lega*, l. c. n. 34, 35; *Hollweck*, l, c. p. 75.

(17) Cum dicitur ex *facto* nostro intelligitur sive actio sive omissio; porro ex omissione actionis posse sequi iuris laesionem, quae tamen non est volita nec directe voluntaria, patet ex exemplis in explicanda notione culpae allegatis, Paulo aliter *Latini*, l. c. p. 81. Semper tamen praesupponitur quod adsit obligatio effectum impediendi; nam ubi illa obligatio non adest, per nostrae actionis omissionem non potest effectus tribui omissioni ut causae *physicae* illius effectus, ut per se patet, neque ut causae *moralis*, cum deficiat nexus inter omissionem et nocivum effectum. Cfr. quoque *Cathrein*, Philosophia moralis, n. 34.

sione, nihil remanet nisi factum inconsultum, imprudens, quod forte prohibeatur aliqua lege poenali sed de hac lege non est nostra quaestio (18); 2° Necessarium est ut illa laesio esset praevidebilis et evitabilis: si praevidebilis non erat vel erat inevitabilis non concipi potest omissio debitae diligentiae ideoque illa culpa iuridica quae est fundamentum imputabilitatis; quae negligentia, excludens diligentiam *debitam*, est agenti moraliter imputabilis utpote voluntarie admissa. Laesio nec praevidebilis nec vitabilis casui non culpae tribuenda esset (19). 3° Ut laesio ex tali negligentia praevisa non fuerit nec vitata: nam si praevisa fuit et, cum vitari posset ac deberet, vitata non est, iam non agitur de facto *inconsulto* sed de facto *doloso*; si tamen effectus praevius sit ut *certus* et *inevitabilis*, agens non nisi ridicule praetenderet se noluisse, quod ex propria libera actione certo sequuturum noverat (20). — In casu non praevisionis effectus antiuridici praevidebilis, ob negligentiam voluntati etsi indirecte tribuendum est quod noluerit adhibere *debitam* in agendo diligentiam ne quomodocumque sua actione noceat.

Inde patet in maiori vel minori praevidebilitate verificari diversos *gradus* culpae, quae dicitur *lata* cum ab omnibus, *levis* cum tantum ab homine diligenti, *levissima* cum ab homine tantum diligentissimo eventus iniustus praevideri poterat. Imputabilitas criminalis verificatur in culpa *lata* et ad summum in *levi*, non in *levissima*; nam publica auctoritas regulariter extraordinaria exigere non potest, nec ex defectu extraordinariae diligentiae publica tranquillitas seu

(18) Non sufficit proinde merum periculum laesionis v. gr. in allegato exemplo de Eucharistia non custodita, si eius profanatio sequuta non fuerit, licet periculum adfuerit.

(19) Si diligentia dicitur debita ad evitandum effectum noxium, excluditur culpabilitas et poenalis imputabilitas effectus noxii, quando actio, ex qua sequitur aut possibiliter secuturus praevideatur, est actio ad quam quis habet ius et honestum motivum ad illam ponendam et noxius effectus per accidens sequitur; tunc illius vitandi seu impediendi obligatio non adest, ideoque si per accidens sequatur effectus noxius nec ad culpam nec ad poenam imputatur. Cfr. supradicta de actione bona vel indifferente ex qua *immediate* sequitur duplex effectus bonus et antiuridicus et *Lehmkuhl*, Theol. mor. I, 12.

(20) Si effectus nocivus fuit dumtaxat praevius ut *possibilis* et *evitabilis*, et agens vel erronee putavit posse facile vitari etiam nulla adhibita diligentia speciali, aut diligentiam insufficientem adhibuit iterum recurrit culpa seu factum culposum. Cfr. casum praecedentis notae, ubi si possibilis diligentia adhibita fuerit, ad hoc ut dum intenditur effectus bonus, non sequatur effectus noxius eiusdem actionis, tunc et dolus et culpa manet exclusae.

BIBLIOTHECA
MUSEI HISTORICO-NATURALIS
CIVICIS S. MARCI PAULI

securitas exturbatur: porro nulla est culpa tam lata quae pro dolo accipi possit; dum lex Romana pluries proclamat *latam culpam plane dolo aequiparari*, de iure civili agitur, non de criminali (21).

Recte autem monet Suárez huiusmodi diversos culpaee gradus non discerni aliquibus certis regulis, sed prudenti arbitrio, considerato genere operis et circumstantiis eius et tandem ipse recurrit ad mortale peccatum, in quo tamen habetur eadem difficultas. Porro ipse animadvertit id esse arbitrandum secundum naturam negotiorum, temporis et personarum, et negligentia quae respectu unius possit haberi inculpabilis, respectu alterius prorsus erit culpabilis. Suárez, De cens. et irreg. disp. 45, sec. V, n. 4-7. Merito ergo can. 2203 generaliter statuit in casu delicti quavis ratione culposi imputabilitatis gradum maiorem aut minorem a prudenti iudice ex diversis facti adiunctis esse aestimandam et determinandam.

45. Casus seu etiam, ut dici solet, casus fortuitus, imputabilitatem excludit. Casum fortuitum Codex can. 2203 § 2 definit effectum actionis vel omissionis, qui praevideri non potuit aut cui praevisto occurri non potuit. Sicut defectus praevisionis discriminat culpam a dolo; ita impossibilitas praevisionis casum a culpa distinguit. Optime autem aequiparatur impossibilitas praevisionis cum impossibilitate praeveniendi seu impediendi effectum praesertim cum quis invenitur in necessitate agendi. Non potest alicui imputari ommissio diligentiae, cuius usus esset inutilis ad impediendum effectum nocivum; supponitur enim quod consequutio effectus nocivi non poterat praevideri etiamsi diligentia adhiberetur.

§ 3. Culpa in ignorantia legis violatae

46. Agitur de ignorantia legis seu iuris, quae sc. versatur circa existentiam, naturam vel comprehensionem legis actus subditorum ordinantis, quae habetur dum quis erronee arbitratur aut legem non adesse, aut determinatam actionem vel omissionem non cadere sub obligationem determinatae legis aliunde notae; intelligitur autem tum ignorantia *negativa* seu merus defectus cognitionis tum *positiva* seu falsum iudicium sc. erroneum et veritati contrarium; immo compre-

(21) Cfr. v. gr. L. 1, § 1, D. (11, 6); L. 1, § 2, D. (47, 4); L. 226, D. (50, 16).

henditur atiam *inadvertentia* (oblivio) seu carentia cognitionis *actualis* in eo qui habitualiter legem cognoscit, sed de ea hic et nunc non cogitat (cfr. can. 2202, § 2).

Imputabilitatem posse provenire ex culpa quae habetur in ignorantia legis violatae expresse asserit can. 2199, in quo assignatur duplex species culpaee, quae fundamentum imputabilitati praebet: culpa iuridica de qua in praecedentibus, unde desumitur appellatio *facti culposi* et etiam *quasi-delicti* et culpa in ignorantia legis, quae illis vocabulis non designatur. Palam est agi non posse nisi de ignorantia vincibili; quod ex illa ignorantia fit, (i. e. in casu legis violatio), nec moraliter, nec criminaliter imputari potest, nisi ipsa legis transgressio sit volita in alio seu indirecte i. e. in ipsa ignorantia legis directe et culpabiliter volita, pro diverso gradu negligentiae in adhibendis mediis ad deponendam ignorantiam admissae, secundum normas can. 2202 propositas.

Cum ignorantia legis violatae sit ignorantia iuris, in foro civili relate ad imputabilitatem poenalem nulla habetur ratio *ignorantiae iuris*, cuius rei illa datur ratio quod bonum publicum exigit, ut praesumatur cognitio legis, cuius cognoscendae omnibus incumbit obligatio. Solet solum fieri, potius quam a lege, a doctoribus iuris poenalis illa exceptio alicuius peregrini ante non multos dies, quibus is suam in loco sedem constituit et legem violaverit a iure naturali longe dissitam et alibi passim non notam; item attenditur qualitas personae, rudis, mulieris, minoris, etc. (22). Ius nostrum merito rem facit dependentem a culpa; et si prorsus inculpabilis est, imputabilitas denegatur; secus transgressio legis imputabilis habetur pro maiori vel minori culpa contenta in ignorantia, pressius inhaerendo iuri naturali, ex quo ubi culpa non est exsulat imputabilitas.

De imputabilitate facti culposi et facti positi contra legem ignoratam inferius sub propria rubrica.

47. Cur autem cum culposa iuris transgressione iure nostro coniuncta sit ea quae fit cum culpabili ignorantia facile reddi ratio potest. In casu adest culpa in ignorantia, illa ignorantia est vincibilis: porro indoles ignorantiae et erroris vincibilis et natura culpaee iuridicae sunt valde similes ac veluti pares; solum differunt obiecta circa quae

(22) Carrara, Programma I, § 258 sq.; Wau Pelt, De ignorantia et errore in delictis, § 14.

hi status animi versantur. Qui agit irretitus ignorantia praevidit quidem omnes effectus suae actionis, sed *omisit* investigare vel legis praescriptum vel facti ad quod tendit relationem cum lege; quae *omissio* est plerumque effectus *negligentiae*; ergo in ignorantia vincibili seu culpabili datur defectus diligentiae culpabilis: qui vero culpose agit nec quoad legem nec quoad facti qualitatem fallitur, sed idcirco impingit in factum lege vetitum, quia neglexit praevidere actionis suae effectus possibiles, qui tamen praevideri poterant. Utraque agendi ratio oritur ex negligentia. Hinc Codex ignorantiae et culpae iuridicae theoriam eodem canone complectitur, quam conjunctionem item faciunt nonnulli doctores iuris criminalis (cfr. v. gr. *Cremani*, De iure criminali, l. I, p. I, cap. 3).

48. Cum can. 2199 ponat imputabilitatem *pendere* ideoque esse deducendam ex dolo vel culpa, praesertim propter ea quae adduntur, in illa positione continetur implicite duplex principium: *a)* exsulat imputabilitas ubi deficit et dolus et culpa; *b)* ad imputabilitatem poenalem sufficit sive dolus sive etiam sola culpa iuridica; quae culpa, et quidem gravis debet apparere in facto externo (cfr. can. 2218 § 2).

At quoniam internum doli elementum non est facile cognoscibile in can. 2200 § 2, ponitur principium iuridicum: « Posita externa legis violatione, dolus in foro externo praesumitur, donec contrarium probetur ». In foro interno attenditur veritati propriae fori divini, in quo foro petitur veritas ex sincera ipsius delinquentis confessione, et, ubi culpa gravis apud Deum non est admissa, moralis gravis imputabilitas non datur, qua deficiente etiam criminalis imputabilitas exsulat, ideoque, v. gr. poena latae sententiae non erit incursa et in illo foro non erit servanda. Quare per accidens in casu particulari forte aderit conflictus inter forum internum et externum, cui conflictui aliquam solutionem suppeditat can. 2232.

Ceterum principium de praesumptione doli, admissa tamen contraria probatione, nititur generaliori principio quod ex communiter contingentibus homo in suis actibus deliberate agit, ideoque cum actu externo legis laesivo coniunguntur interna elementa actus deliberati, et in ordine ad ignorantiam quoad legem vel poenam vim habet can. 16, § 2.

49. **Scholion.** Imputatio criminalis sine dolo et sine culpa non datur in foro ecclesiastico, sed potius contrarium principium

valet expressum c. 2 (Coelest. III) *de iis quae fiunt a prael.* III, 11, « cum peccata suos auctores tenere debeant » (23). Cui principio non opponitur praxis, si in nonnullis poenis videntur comprehendi innocentes, v. gr. in interdicto generali, in quo innocentes non proprie puniuntur, sed sentiunt privationem nonnullarum rerum, ad quas strictum ius non habent, idque licet sine propria culpa, at non sine gravi delicto communitatis aut saltem capitis ipsius, cuius etiam illi innocentes partes sunt; bonum autem publicum postulat ut delictum a communitate commissum non relinquatur impunitum, etsi ex punitione aliquod privatum incommodum resultet (24). Pariter si propter nonnulla delicta atrociora, ut haeresis (25), apostasia, raptus christianorum eorumque venditio Saracenis, occisio S. R. E. Cardinalis (26), nonnullae poenae extensae fuerunt ad filios aut descendentes delinquentis, praeterquam quod ageretur generatim de privatione rei, ad quam strictum ius non habebant, qui illa sine propria culpa ob culpam parentum afficiebantur, tali privatione non intendit Ecclesia punire innocentem filium, sed in incommodo filii ipsum parentem reum, ad melius et efficacius absterrendos fideles ab huiusmodi atrocioribus delictis et obtinendam rei resipiscentiam; quam praxim olim in pluribus poenis et quoad plura delicta sine pusillorum scandalo usurpavit potestas saecularis atque etiam nunc a foro saeculari non est penitus aliena.

Quare, si *Schiappoli*, l. c. n. 68, *Hinschius* sequutus, postquam huius praxis Ecclesiae aptam dedit explicationem, Ecclesiam ex hac ipsa praxi incusat, quasi, conculcatis obviis iustitiae principiis, quaelibet media adhibuerit ad defendendas suas suique cleri rationes, sibi constans non est et manifesto partium studio duci se sinit.

At iure Codicis illa extensio poenae v. gr. infamiae ad consanguineos vel affinas excluditur (can. 2293, § 4).

(23) Aliter *Hinschius*, l. c. t. V. p. 123 sq. 929 sq., qui de hac re suo modo disputat.

(24) *Suarez*, De cens, d. XXXVI, sect. III.

(25) C. 2, 15, de haeret. V. 2, in Sext.; S. Off. 3, Febr. 1898, in Arch. f. k. Kirch., p. 178, p. 521.

(26) C. 12, X, de poen. X, 37; c. 5, de poen. V, 9 in Sext.; Clem. 1, de poen. V, 8.

BIBLIOTHECA
MUSEI HISTORICIS
CIVICIS S. MARCI VEN.

CAPUT VII

De qualitate et quantitate delicti

50. In ipsa delicti notione habentur expressae condiciones quae debent verificari in aliquo facto ad hoc ut possit incriminari tamquam delictum a publica auctoritate ecclesiastica. Sed illa incriminatio non potest esse arbitraria, sed existunt normae obiectivae, quae illud arbitrium coarctant. In genere delicta debent imputari cum proportione ad eorum *qualitatem, quantitatem* et *gradum*. Haec tria elementa reperiuntur in factis concretis, diversa in diversis, licet abstracta notio delicti sit unica. Codex can. 2196 mentionem facit de qualitate et quantitate, sed comprehendit etiam id quod melius proprio nomine dicendus esset gradus delicti, qui utique practice reduci potest ad quantitatem delicti in *concreto* spectatam non in *abstracto*, nam in delicto abstracte considerato gradus saltem subiectivus non intrat.

51. **Qualitas delicti.** In ratione generica delicti omnia delicta conveniunt, sed sunt inter se valde varia, et haec varietas determinatur per qualitatem seu speciem: inter varia delicta, in quibus integra verificatur generica notio delicti, sunt variae species, quarum diversificatio fit per *qualitatem* non quidem *accidentalem* et arbitrarie assumptam sed *substantialem*; quo sensu qualitas invenitur in ipsa natura facti criminosi. In ordine ad delicta diversa qualitas seu diversa species delicti est diversus titulus criminosis. Aliud factum criminosis positum est contra bona fortunae alterius et vocatur *furtum*; aliud contra vitam et vocatur *homicidium*; aliud contra honorem vel famam et vocatur *iniuria*.

Ex canone 2196 Codicis *qualitas* dicitur desumenda *ex obiecto legis*. Porro leges poenales ordinantur ad protegenda iura, ideoque legis obiectum est determinati iuris protectio: ergo tot erunt species delicti quot sunt species iurium quae per legem poenalem proteguntur (1).

(1) Ita explicatur quod lex aliquid praecipiens vel prohibens ex motivo alicuius virtutis, facit illam rem materiam necessariam illius virtutis, quia sc. lex in-

Codex varias species delictorum in pauca capita generalia complexus est, ut apparet ex rubricis Partis tertiae Libri V, in quibus sequutus est criterium qualitatis in ipso canone 2196 propositum.

52. **Criterium quantitatis.** Quantitas delicti potest spectari in abstracto et in concreto: in *abstracto* consideratur, si spectatur delictum in sua propria specie in sola sua entitate ontologica praescindendo a circumstantiis obiectivis et subiectivis actus et subiecti delinquentis i. e. independenter ab eo quod factum criminosis de facto exstiterit. Quaestio illa abstracta huc tandem vertitur: quodnam est delictum maius seu gravius v. gr. homicidium an furtum; comparatio instituitur inter delicta specie diversa, quae diversitas specifica pendet ex *qualitate* ut supra dictum est. Nimis evidens est et communi sensu admissum varias species delictorum esse prorsus inaequales quoad *gravitatem* seu abstractam quantitatem. Quis non videt et sentit occisionem Titii in ratione delicti esse rem multo graviolem, quam furto ab ipso auferre rem aliquam aut eam destruere?

Unde autem petenda sit haec gravitas definit idem can. 2196: «*Quantitas delicti dimetienda est ex diversa gravitate legis*». Gravitas autem legis, profecto agendo de lege poenali quae fertur ad protegenda iura, desumenda ex natura rei est a maiori vel minori aestimabilitate iuris, quod per legem protegatur et per delictum violatur. Quae aestimabilitas iuris laesi pendet: 1° a maiori vel minori bono cui nocetur; 2° etiam a boni ablati seu laesi reparabilitate; 3° ab eo quod facilius delictum diffundi possit, unde publica securitas maius detrimentum patiat. Horum iudicium practicum facit legislator, cuius est ferre poenas gravitati delictorum proportionatas (2); quod tamen non vetat, quominus adsint criteria iuridica, quibus determinetur modo theoretico in quibus delictis specie diversis maior adsit quantitas.

Etiam in hac re, vel inter ipsos classicos poenalistas adfuit sententiarum diversitas. V. gr. *Romagnosi* criterium quantitatis desumen-

tendit protegere illam virtutem, unde eius violatio est contra virtutem quam lex protegat, v. gr. in simonia iuris ecclesiastici.

(2) Legislator in statuenda gravitate poenarum multas peculiare circumstantias, praeter ontologicam delicti gravitatem, considerare debet, v. gr. determinati delicti frequentiam, unde publica securitas minuitur.

dum esse dixit ex impulsu criminoso (3); *Rossi* (4) ex momento obligationis violatae, in quo dimetiendo subintrat et violatio ordinis moralis per factum criminosum et societatis seu ordinis socialis perturbatio, quae ut per se patet est formula vaga; *Filangieri* (5) desumit ex dolo; *Carrara* (6), sequutus in hac re *Beccaria* (7) et *Carmignani* (8) cuius doctrinam expolivit reponit quantitatem in damno immediato et mediato, distinguendo quantitatem *naturalem* resultantem ex ipsa iuris laesione, et quantitatem *politicam* resultantem ex publico ordinis seu publicae securitatis turbatione. Quae doctrina, est conformis formulae a legislatore ecclesiastico adhibitae de gravitate legis laesae.

53. In violatione legis poenalis, qua *efficaci modo* proteguntur iura, intervenit damnum *immediatum* sive *directum* et damnum *mediatum* sive *reflexum*. Immediatum est illud damnum sive detrimentum quod ex actu antiuridico sentit is (sive unus sive plures) qui est subiectum passivum delicti. Mediatum est illud, quod persentiunt omnes, etiam hi qui directe in suis privatis iuribus non sunt laesi. Quivis homo in societate praeter patrimonium *naturale* complectens omnia bona quae ad ipsum tamquam individuum spectant, gaudet alio patrimonio, quod potest dici *politicum* ad eum pertinens tamquam membrum societatis, in quantum in societate obtinet securitatem circa sua bona et iura et opinionem fundatam huius securitatis (officium publicae auctoritatis in quo firmiter nititur iurium

(3) *Romagnosi*, *Genesi del diritto penale* § 454. Evidens autem est, quotidiana experientia comprobatur, impulsus ad delictum saepe esse maximum in delictis valde exiguis, minimum in delictis gravissimis: sic qui ex fame furatur quantum appetitus postulat ad famem depellendam maximo ducitur impulsu (*spinta*), qui occidit inimicum ex odio et vindicta maximo impulsu fertur, qui occidit ad furandum ut sibi procuret media itineris voluptuosi, minimo; atqui tam huius quam illius homicidium est multo gravius.

(4) *Rossi*, *Traité de droit poenal*, l. II, chap. VI sq. Ipsa expositio suae theoriae a *Rossi* facta est vaga et confusa, nec apparet unde mensurari debeat diversum momentum seu gravitas obligationis, ex qua possit sumi quantitas delicti unius prae alio.

(5) *Filangieri*, *Scienza della legislazione*, l. III, c. 38. — Delictum minus evidenter committi potest cum maiori dolo, ideoque tale criterium ad mensurandam quantitatem non est aptum.

(6) *Carrara*, *Programma*, § 187 sq.

(7) *Beccaria*, *Dei delitti e delle pene*, passim.

(8) *Carmignani*, *Iuris criminalis elementa*, § 104 sq.

protectio), citra quam eam habere non potest nisi modo precario et incerto, utpote innixam solis propriis viribus. Habet quoque ius ut publica iuridica societatis ordinatio, unde provenit illa protectio ab omnibus servetur seu non laedatur: factum quod nullum individuum in particulare laedit, cum offendit corpus sociale, laedit singulos associatos, non in patrimonio naturali, sed utique in politico, cum offendens auctoritatem, qua omnium iura proteguntur, in periculum vertit securitatem omnium.

Si delictum laedat iura singulorum, damnum est *immediatum* et *privatum, particulare*; si offendit seu laedit iura quae habent ut socii damnum est *publicum, universale*: in primo casu manet laesa securitas privata; in altero securitas publica. Sed damnum immediatum potest esse *publicum* non solum quando delictum obtinuit id quod est in detrimentum omnium, sed etiam quando physicum damnum inflictum est uni vel paucis sed potentialiter omnibus v. gr. falsae monetae. Semper datur damnum *immediatum publicum* seu universale quando delictum offendit rem, in qua omnes associati habent commune interesse v. gr. si offenditur religio, auctoritas, quies publica, proprietas publica, publica iustitia, fides publica, etc., cum omnes habeant ius ut ea quae ad commune interesse pertinent non offendantur. Damnum *immediatum publicum* non datur, sed tantum *particulare* seu *privatum*, cum delictum offendit rem in quo interesse non habebant nisi hi qui fuerunt subiectum passivum delicti, veluti in furto.

Sed ultra damnum *immediatum* sive publicum sive *privatum*, adest semper in delicto aliud damnum, et quidem publicum quia omnes afficit, sed *mediatum*. Quod damnum mediatum est trepidatio (alarme) in bonis orta ex facto delictuoso et malum exemplum excitatum in male inclinatis: unde oritur character politicus (socialis) cuiusvis delicti. Offensio quae immediate unum individuum laedit, opinionem in omnibus inducit diminutae propriae securitatis: dum enim vident offensum ius non obstante legis protectione, sibi timent et de propria securitate diffidunt ex possibilitate iterationis, quae potest evenire ex parte omnium aliorum et contra omnes — si esset impossibilis iteratio illius determinati facti criminosis, hoc characterem politicum non haberet. — Non est damnum mere *potentiale* (periculum incursum quod evitari potuit), sed damnum proveniens ex facto criminoso quod *realiter* existit. Factum laesivum individui est factum laesivum legis quod ius individui protegebat;

damno physico individui adiungitur damnum (morale) mediate in omnes redundans ex diminutione securitatis et opinionis seu persuasionis de ipsa.

Non semper eidem quantitati damni immediati respondet par quantitas damni mediati et viceversa. Quare quantitas delicti abstracte considerati, si delictum spectetur in sua propria specie, in sua entitate ontologica, desumenda est *ex damno immediato et mediato simul sumptis*: haec est praecise *gravitas* legis laesae quae iura protegit et damna avertit, quae tantum habet ponderis seu gravitatis, quo maius est damnum cui avertendo occurrit. (9)

54. Ex explicatione autem data de *facto culposo* ex quo provenit iurium laesio, quae lege poenali proteguntur, patet criterium dimetiendi delicti seu quasi-delicti quantitatem in facto culposo idem esse debere, supposita ipsius morali imputabilitate superius requisita.

Quae dicta sunt de delicti quantitate abstracta non soli iuri poenali fori saecularis applicanda, sed etiam iuri poenali Codicis; in quo non solum poenae subiiciuntur delicta, quae directe impetunt ipsam societatem ecclesiasticam eiusque auctoritatem, sed illa quoque quibus singulorum iura laeduntur, ut apparet v. gr. ex tit. XIV, libri V. Ea autem optime comprehenduntur sub generali formula "gravitas legis laesae", in qua quidquid opportune dictum est a poenalistis diversarum scholarum apte comprehenditur. (10)

(9) Carrara, Programma § 187 sq.; Carmignani, l. c. I. p. 58 sq.

(10) Praecise cum gravitas legis pendeat etiam ex damno *mediato*, quod non semper pari passu procedit cum immediato, valde difficile est a priori eam definire; sed pendet a maiori vel minori necessitate rei praeceptae ad ordinem sociale conservandum et bonum religiosum tuendum et promovendum; quam necessitatem prudenti iudicio ex circumstantiis socialibus capto definire debet legislator, quod ab ipso praestatur per promulgationem legis poenalis, ex cuius graviore sanctione in transgressorem constituta practice dignoscenda est maior vel minor gravitas legis et delicti, praesertim a iudice. Porro circumstantias sociales etiam attendi debere in aestimanda obiectiva delicti gravitate, inde patet quod ex illis maius damnum publicum immediatum et mediatum exoriatur. — Ita olim assassinium, cum esset crimen frequens in circumstantiis socialibus in quibus lata est Decretalis Innoc. IV in Conc. Lugdun. I (a. 1245) — c. 1 § 2 (V, 4) in Sext. debuit gravissimis poenis affici; quae specialis circumstantia homicidii hodie in aliis hodiernis socialibus adiunctis poterit considerari ut mere aggravans delictum.

CAPUT VIII

De delictorum gradibus
seu de iis quae imputabilitatem criminalem
minuunt aut aggravant vel forte perimunt

55. Licet delictorum relativa gravitas seu quantitas in abstracto et ontologice considerata (violatio huius vel alterius legis poenalis) praescindat a diversis delinquentis adiunctis, tunc enim fit quaestio de genere seu specie delicti; in praxi tamen iudicium est ferendum de *individuo* delicto prout a determinato delinquente procedit. Iam vero in facto individuo seu singulari facile accidere potest ut aliquid desit de condicionibus ordinariis seu normalibus vel forte aliquid intervenit supra ordinarias condiciones. En considerationem *gradus* in delicto. Occisio hominis potest esse *multum* imputabilis vel *parum* vel nihil: merito ergo dicitur in can. 2196 quantitatem delicti in concreto seu in individuo considerati etiam pendere ex maiori vel minore imputabilitate.

In delicto requiritur *voluntas* et *actus physicus*. Voluntas potest esse magis et minus perfecta, magis et minus libera. Etiam actus physicus potest constare pluribus actibus inter se conexus a primo actu executivo ad ultimum consummativum. En tot gradus, qui possunt distingui in maleficio. Quando adest perfecta voluntas (plena cognitio et libertas) atque inde habetur plena executio, delictum erit omni ex parte perfectum; quando sive in voluntate sive in executione aliquid desit, etiam minuetur imputabilitas tot gradibus quot desint ad perfectum delictum (degradatio delicti).

56. Codex, vestigiis insistens iuris Decretalium (1), dum decernit poenas ad individui delicti gravitatem esse aptandas, varias enumerat circumstantias unde pendet concreta delicti gravitas,

(1) Iure praecedenti systematice non erant propositae variae causae imputabilitatem minuentes aut perimentes, quamvis earum ratio haberetur per principia in iure sparsa, quin etiam non deerat generale quoddam principium simile illi quod ex canone 2218 relatum est, Cfr. v. gr. Decretalem Alexandri III ad Exoniensem Episcopum (cap. 6 X. (V. 2): „ . . . Plenius nosti quod in ex-

quarum praecipuas exponit proposito criterio de gradu imputabilitatis: "Attendi debent (sancit can. 2218, § 1) non modo obiectum et gravitas legis, sed etiam aetas, scientia, institutio, sexus, condicio, status mentis delinquentis, dignitas personae quae delicto offenditur aut quae delictum committit, finis intentus, locus et tempus quo delictum commissum est, num ex passionis impetu vel ob gravem metum delinquens egerit, num eum delicti poenituerit eiusdemque malos effectus evitare ipse studuerit, *aliaque similia*„. Quae ultima verba satis significant enumerationem in canone factam sive personalium sive realium non esse taxativam, ideoque pro his quorum influxus in Codice non declaratur utimum iudicium relinquatur iudici, cuius est ea prudenti consideratione aestimare, sicut ipsi iudici aestimandum committitur factum concretum et existentia alicuius ex enumeratis adiunctis in imputabilitatem influxum habentibus.

57. Diversi gradus imputabilitatis a Codice admittuntur tum in dolo tum in culpa; "imputabilitas delicti *pendet* (ait can. 2199) ex *dolo* delinquentis vel ex eiusdem *culpa* etc., Porro verbum *pendet* idem valet ac mensuratur, ut magis patet ex iis quae eod. can. subiunguntur "quare omnes causae quae *augent, minuunt, tollunt* dolum aut culpam, eo ipso augent, minuunt, tollunt delicti imputabilitatem„ — De *culpa* autem expresse et separatim idem asseritur can. 2202, 2203.

In *dolo*, qui praesupponit deliberatam voluntatem seu intentionem transgrediendi legem, causae quoque aggravantes passim admittuntur et habetur: *a)* summus gradus in *dolo praemeditato* dum frigido caleulo preparatur crimen, exquisitis mediis ad illud executioni mandandum, cum perseverantia in illa mala voluntate. *b)* succedit in gravitate seu gradu *dolus deliberatus* seu simplex delibatio, qua quis pacato animo delictum concipit et exsequitur, qui

cessibus singulorum non solum quantitas et qualitas delicti, sed aetas, scientia et sexus atque conditio delinquentis sint attendenda, et non solum secundum praedicta, et secundum locum et tempus quo delictum committitur, unicuique poenitentia debet indici, quum, sicut tu ipse non ignoras, idem excessus magis sit in uno quam in alio puniendus". En perfecte indicatum *gradum*, praeter qualitatem et quantitatem delicti in sua specie considerati; qui gradus manifeste declaratur inveniri diversus in individuo delicto secundum diversa adiuncta in imputabilitatem influxum habentia. Hic peculiaris influxus systematice non declaratur, subintrarunt in expositione theologi moralistae et praecesserant libri paenitentiales. Ceterum tribunalia ecclesiastica merito poterant insistere illi Decretali.

gradus proprius accedere potest ad gradum praecedentem quo longior adest mora seu longius tempus perseveratur in prava voluntate semel concepta; *c)* tandem consideratur *dolus repentinus*, quem plerumque excitat aliqua passio ob alterius iniuriam, provocationem, et inde fit ut repentino motu incitetur voluntas ad crimen concipiendum, quod sine interposita mora ex eodem impetu executioni mandatur: in qua facile intervenire potest circumstantia minuens imputabilitatem, sicut dolus praemeditatus censetur gravior, et dolus deliberatus habetur ut gradus normalis imputabilitatis.

Quod autem attinet ad *existentiam* doli in facto criminoso assumit ius nostrum principium passim a poenalistis classicis admissum "Posita legis violatione, dolus in foro externo praesumitur donec contrarium probetur„ (can. 2200 § 2). Quae iuris praesumptio fundatur in generali principio, quod homines in communiter contingentibus libere et deliberate agunt in humana et sociali vita ducenda; quare effectum intendunt suae actionis, ad quem producendum ipsa actio directe et natura sua tendit: porro in hac relatione actus cum suo effectu cognita et volita praecise stat dolus. Nec deest criterium, quo sub memorato generali principio, praesumptio doli teneat: aut enim effectus nocivus actionis, est huius non solum naturalis sed ordinaria consequentia cuius cognitio in homine normali deesse non potest, et praesumptio legitima est effectum fuisse volitum et interfuisse *dolum*; aut effectus nocivus non est effectus ordinarius actus et facile aut non cognitus est aut cognosci non potuit tamquam consequentia propriae actionis in circumstantiis aut agentis aut rerum, quo casu praesumi dolus non poterit etsi forte admittenda sit *culpa* (2). Forum externum assumit factum indubitatum laesionis iuris, quod lege poenali protegatur, apprehenso auctore illius facti ipsi intimat "tu fecisti„; huius erit allegare causas excludentes intentionem necessariam ad dolum; iudicis erit certiorari de illarum causarum existentia et expendere earum vim secundum iuris principia.

58. In Codice causae habentes influxum in minuendam aut forte auferendam imputabilitatem secundum determinatum ordinem systematicum non proponuntur, sed una post aliam brevi enume-

(2) Quare difficultates quas congerit *Florian*, Parte gen. del diritto penale I, n. 365, congruam explicationem habent.

BIBLIOTECA
MUSEI SACRAMENTARIUM SANCTI PETERI

ratione indicantur. Ceterum cum de delicto non consummato et de conatu delicti separatim agatur in Codice, causae in eodem enumeratae referuntur potissimum ad duplex elementum intellectus et voluntatis in voluntate deliberata suas partes habens. Quae duo elementa haud raro miscentur in peculiaribus adiunctis in Codice contemplatis (3). Ob hanc ipsam causam ordini Codicis insistere

(3) Systematicum ordinem secutus est *Roberti* I, n. 75 sq. A quo primum dividuntur in causas *personales* quae inhaerent personae delinquentis et *reales* quae cum ipso delicto cohaerent.

Inter *personales* enumerat ignorantiam, aetatem, sexum, condicionem, scientiam et institutionem delinquentis (haec in personis sanis). — In personis aegrotis considerat causas morborum mentis: a) causae *praedisponentes*: 1° *generales* (elementa naturalia — facta socialia). — 2° *particulares* (hereditas, morbi, aetas, sexus, artes et professiones, vitia). — b) causas *determinantes* distinguit in causas provenientes ex variis toxicis sive endogenis sive exogenis, et in eas quae proveniunt ex variis infectionibus, laesionibus, ex morbis functionalibus, ex morbis acutis et chronicis, ex psychosibus congenitis; porro consideratur amentia in variis suis gradibus et diversis eiusdem causis, epilepsia, hysteria, somnambulismus, hypnotismus, neurasthenia.

Inter causas *reales* enumerat *metum*, necessitatem et grave incommodum, immoderatam defensionem, provocationem, passiones, finem intentum, paenitentiam delicti, remotionem effectuum delicti.

Tandem separatim tractat de causis delicti imputabilitatem *augmentibus*, quas pariter distinguit in *personales* et *reales*.

Iam vero non omnes convenient in enumeratione quam praeclarus Auctor facit causarum sub determinata classe. Ceterum quod attinet ad innumeras morborum species eorumque influxus etiam bonus canonista et quoad doctrinam et quoad applicationem ad casum particularem facile remittet et Superiores et iudices ecclesiasticos ad psychiathras seu peritos in arte, quorum iudicio tandem standum erit, modo agatur de peritis qui non sunt imbuti falsis determinismi principiis et scientiam suam hauserint ex negatione liberi arbitrii et libertatis humanae.

Alii ob rationes in textu allegatas causas distinguunt in eas quae se tenent ex parte intellectus et eas quae se tenent ex parte voluntatis: *Latini*, Iur. crim. philos. lineamenta p. 100 sq.; *Michiels*, op. cit. p. 140 sq.; *Carmignani*, Elementi I. I. p. 1^a, sec. III cap. 1. Id. Teoria delle leggi di sicurezza sociale t. II cap. 9-11; *Carrara*, Programma, P. G. I. cap. 8. Et additur subdivisio in causas *physicas* (aetas, sexus, somnus, sordomutismus, morbus mentis) et *morales* (ignorantia et error). Inter influxum habentes in voluntatem ponunt coactionem propriam et improprium, impetum passionum, ebrietatem.

Adest etiam alia divisio in causas: a) dirimentes vel diminuentes; b) in iustificantes; c) in excusantes. Cfr. v. gr. *Chauveau-Hélie*, Théorie du code pénal I. ch. 12; *Ortolan*, Eléments du droit pénal § 1083; *Lucchini*, v. Attenuanti in Dig. Ital.

visum est utile, derelicta alia qualibet systematica expositionis methodo. Porro distinctio inter causas eximentes et minuentes non est divisio inter membra opposita, cum eadem causa secundum diversum gradum influxus potest esse vel causa minuens vel omnino excludens imputabilitatem.

Illud autem in antecessum iuvat notare, non solum imputabilitatem penitus excludentes, sed minuentes quoque, si a gravi peccato excusent, etiam a poena excusare, modo in foro externo illa excusatio evincatur (can. 2218, § 2).

59. *Quoad iuris historiam* in genere dici potest iure Romano praeformatam theoriam de causis excludentibus vel minuentibus delictum, quamvis generalis systematio in illo iure non reperiatur (4). Pari ratione in iure poenali germanico frustra quaeretur aut plena enumeratio harum causarum aut efformata generalis theoria de causis in imputabilitatem influxum habentibus (5).

Ius eccl. praecedens causas impunitatis sparsim enumeraverat (necessariam defensionem, statum necessitatis, imperium Superioris cui oboedientia debetur, violentiam seu constrictionem physicam vel moralem) et quoad generalem theoriam ipsa Ecclesia fuit, quae induxit, ut in imputando delicto praecipua quaedam ratio haberetur elementi subiectivi necessarii ad hoc ut in delicto et culpa verum haberetur peccatum eiusque peculiaris gravitas aestimaretur. Qua in re, ratione habita doctrinae theologorum circa circumstantias influxum habentes in actus voluntarietatem (6) et praxis minutissimae excutiendi illas circumstantias contenta in Libris Paenientialibus, continui usus dum vixit disciplina de publica poenitentia et deinceps per sat longum tempus (7), principia generalis promulgata sunt de aestimandis circumstantiis subiectivis in poenis et paenitentiis imponendis non solum a iudice fori interni sed etiam a iudice fori

(4) Cfr. *Pessina*, Exposizione storica del diritto pen. rom. n. 46-53. Nihilominus etiam ius Romanum posuerat generale principium, quatuor genera delictorum (facta, dicta, scripta, consilia) consideranda esse septem modis: causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, eventu, L. 16. § 1 D. de poenis 48, 19.

(5) *Del Giudice*, Diritto poenale germanico rispetto all'Italia n. 53 sq.

(6) Cfr. S. Thom. Summa I, 2 q. VI art. 5, 6; q. VII art. 1, 3. Cfr. c. 19 § 1 Dist. 1 de poenit.

(7) Cfr. v. gr. c. 4 (Hieron.) C. XIV, q. 6; Lib. IV Paenientialis Halitgari apud *Smitz*, Die Bussbücher und die Bussdisciplin der Kirche I. 723.

externi (8), cui maximum arbitrium in illa aestimatione relictum fuit, praesertim cum proceduræ per accusationem substituta fuit canonica procedura per inquisitionem. Specialis autem finis, quem Ecclesia maxime prosequatur, obtinendi per poenas delinquentis veram emendationem et spiritualem meliorationem, effecit ut tum quoad poenæ speciem tum quoad eius durationem, respici deberet etiam a iudice fori externi interna delinquentis dispositio, quatenus per externos actus se proderet.

Modernæ legislationes non sunt omnes concordēs circa causas imputabilitatem minuentes, dnm a nonnullis singulæ causæ enumerantur et determinantur, ab aliis generali modo aestimandæ remittuntur ipsis iudicibus nulla facta speciali enumeratione. Codex, ut iam apparet ex præmissis, præcipuas in particulari explicat, reliquæ prudenti arbitrio iudicum aestimandæ decernuntur.

§ 1. De aetate delinquentis consideranda

60. Relate ad aetatem Ecclesia generatim sequuta erat ius Romanum in distinguendis variis aetatum gradibus, sc. infantiam usque ad septennium; impubertatem usque ad 14 annum pro maribus, 12 pro feminis, minorem aetatem usque ad 25 (Codex restrinxit ad annum 21) annos, inde aetatem maiorem (9); quare nihil mirum, quod de impuberibus eadem adesset in iure ecclesiastico incertitudo quoad imputabilitatem criminalem, quæ iam reperitur in iure Romano saltem in diversis illius iuris epochis (10).

I. Iam iure Iustitiano relate ad imputabilitatem criminalem, cum infantes omnis culpæ expertes habeantur, minoris aetatis per se ratio non habetur in his, qui pubertatem excesserunt (11). In impubertate vero occurrit illa distinctio inter impuberes infantiae proximos et proximos pubertati, atque hi non illi reputantur capaces doli *in delictis privatis* (12);

(8) Cfr. supra cit. cap. 6 (Alex. III) X. de homic. I, 12; cap. 8 (Inn. III) X. de paenit. V, 38; cap. 4 (Alex. III) X. de off. iud. deleg. I, 29.

(9) *Lega*, l. c. n. 28; *Reiffest.*, V, 22, n. 5. Aliter *D'Annibale*, I, 33.

(10) *Ferrini Cont.*, Diritto pen. romano, n. 47.

(11) Solum admittitur ut circumstantia minuens culpabilitatem in nonnullis delictis, quæ tamen in delictis carnis non attenditur, L. 37, § 1, D. XLVIII, 5; *Ferrini Cont.*, l. c. n. 47.

(12) L. 4 § 26; D. XLIV, 4 § 18. Inst. IV, 1; L. 108, D. L. 17; c. 7, Cod. IX, 47; *Ferrini Cont.*, l. c.

in delictis vero *publicis* imputatio non datur nisi in his, qui iam pubertatem excesserunt. Valde tamen incertum est qua ratione in impuberibus aestimaretur proximitas infantiae vel pubertati (13), dum alii (14) illam aestimandam dicunt ex gradu discretionis unde remittunt ad iudicis arbitrium, alii (15) vero propinquos infantiae dicunt qui infra pubertatem decimum aetatis annum cum dimidio excesserunt.

II. Simile dubium habebatur in fontibus iuris canonici (16); ubi praeterea non est admissa illa distinctio inter delicta privata et publica saltem sensu iuris Romani. Praeterea in foro ecclesiastico capacitas *peccandi* praesumebatur septimo aetatis anno completo, a quo tempore per se incipit subiectio legibus ecclesiasticis. Quæ subiectio et peccatum in transgressione commissum cum supponat deliberatam voluntatem, exclusio imputabilitatis *delicti* non potuit ex hoc capite per se repeti: dolus enim qui requiritur ad delictum nihil aliud est quam deliberata voluntas transgrediendi legem, quæ supponit ex parte intellectus cognitionem et libertatem ex parte voluntatis. Si ergo supra septennium excusatio admittatur et incapacitas delinquendi, id erat repetendum ex positiva dispositione, qua maior quidam dolus seu perfectior mentis discretio exigetur a legislatore. Nulla porro erat lex ecclesiastica, quæ expresse et directe malitiam sufficiens ad delinquendum *generali modo* non agnosceret usque ad determinatam aetatem in iis, qui iam infantiam excessissent (17); neque etiam erat lex *generali modo* licet *indirecte* idem statuens, in quantum ab omnibus poenis incurrendis impuberes liberaret; sed

(13) *Van Vetter*, Cours de droit romain, § 43, 2°.

(14) *Ferrini Cont.*, l. c.; *Schilling*, Lehrbuch, f. Inst. u. Gesch. des römischen Privatrechts, II, § 35, not. ff.

(15) *Tribuat*, System d. Pandektenrechts I, § 121; *Mainz*, Cours de droit rom. I, § 99, i. f.

(16) Cfr. *Schmalzer*, V, 23, n. 3. Cfr. *Ojetti*, Comment. in Codic., II, p. 19 sq., ubi scite discutit, num sive iure praecedenti, sive iure Codicis, feminae in *criminalibus* dicendae sint iuridice impuberes usque ad a. 14 perinde ac pueri, concludens pro sententia negativa. Cfr. affirmativam sententiam apud *Lega*, De iudiciis III, 28; *Reiffenstuel*, V, 23, 5; *Pichler*, V, 23; *Sole*, De delictis et poenis, n. 31. Quæ quaestio, attento praesertim can. 2230 et veritate casus delicti *ecclesiastici* in puellulis non videtur esse momenti valde practici. Dicendum omnino est pro sententia affirmante nullum posse afferri textum legalem in iure Codicis.

(17) C. 2, C. XV, q. 1, nec est generalis de omni delicto, nec refert sensum omnino clarum, nam in verbis « impubes qui doli capax non est » particula *qui* potest significare *quia*, *si* vel *donec*; praeterea habet contrarium c. 1. X, de de-

potius expresse in nonnullis poenis includebantur (18). At cum etiam darentur textus impuberes a certis poenis excusantes aut iubentes puniri mitius, concludendum erat imputabilitatem criminalem relate ad impuberes plerunque relinqui aestimandam prudenti arbitrio iudicis ecclesiastici, qui tamen prae oculis habere deberet praesumptionem iuris de minori culpabilitate impuberis ante decennium completum (19), et de maiori malitia seu deliberalione quam generatim supponit delictum commissionis quam delictum omissionis (20), ac varias iuris dispositiones de poenis impuberibus applicandis, ex quibus apparet criterium Ecclesiae in aestimanda impuberis culpabilitate. Quare nimis generaliter asseruit *D'Annibale*, l. c. I, 312, impuberes ex indulgentia iuris canonici a poenis ratione aetatis excusari, nec adeo generalem assertionem probant textus ab eodem in nota allegati, qui potius contrarium evincunt, licet ex iisdem inferatur aetatem impuberem esse per se circumstantiam minuentem a iudice prudenti arbitrio in singulis casibus aestimandam (21).

III. In *Codice* potius fit tripartita divisio aetatis in infantiam, minorem aetatem et aetatem maiorem; et minor aetas subdividitur in impubertatem et puberem aetatem.

61. Ius vigens ex Codice. — I. Infantes in iure censentur non sui compotes (can. 88 § 3); quae iuris praesumptio si obiectivae veritati respondeat, ex ipso iure naturae delicti sunt absolute incapaces et nulli poenae sunt obnoxii (can. 2201), cum in tali hypotesi nec ulla lege ecclesiastica teneantur (can. 12) nec divina. Quodsi in casu particulari illa praesumptio non verificatur, licet factum contra legem ecclesiasticam vel divinam moraliter sit imputabile et peccatum, responsabilitatem poenalem infantes non incurrunt, cum responsabilitas poenalis per legem ecclesiasticam inducatur, qua etiam in tali casu non tenentur (can. 12 iunct. can. 2226, § 1). Violationes

lict. puer. V, 23, et c. 1, 60, X, de sent. exc. V, 39. Cfr. *Hollweck*, l. c. p. 74; *Schmalzgr.*, V, 39, n. 42; *Thesaurus*, l. c. I, c. 17; *Amor Ruibal*, l. c. n. 45 sq.; *Lega*, l. c. t. III, n. 29; *Schiappoli*, l. c. n. 53; *Suárez*, De censuris, disp. V, s. 1, n. 17 sq.; *Hilarius a Sexten*, De cens. p. 17.

(18) Cfr. canones in nota praeced. allegatos.

(19) *Hollweck*, l. c. p. 74; *Amor Ruibal*, l. c. n. 46; *Schmalzgr.*, V, 23, n. 7 sq.

(20) Arg. c. 1, 2, h. t. 23; *Schmalzgr.*, l. c. n. 10, 11.

(21) C. 6, X, de homic. vol. V, 12; *Hollweck*, l. c. p. 74, n. 3.

divinae legis, si quando illius sint capaces, imputabilitas est apud Deum, non in foro ecclesiastico humano, ubi exsulat lex ecclesiastica.

Quoad *minores infantia egressos*, hi tam impuberes quam puberes delicti et peccati per se sunt capaces, cum septennio expleto praesumptio de defectu evolutae mentis non adsit et ad delinquendum non requiratur perfectior discretio mentis quam ad peccandum (22). At ius nostrum generali principio definit: « minor aetas nisi aliud constet, minuit delicti imputabilitatem eoque magis quo ad infantiam minor propius accedit », ubi praescinditur ab omnibus disputationibus iuris praecedentis, et iudici aestimandus relinquitur gradus diminutionis imputabilitatis, quae diminutio dicitur esse debere maior quo magis receditur a maiori aetate et propius ad infantiam acceditur.

De ratione imminutae imputabilitatis in minoribus inter iuristas concors sententia non habetur, dum alii illam diminutionem in *politica* ratione quaerunt, alii vero ad *iustitiae* rationem provocant et vel in intellectus vel in voluntatis condicionibus considerandam dicunt, illam etiam quaestionem moventes, num debeat admitti periodus absolutae irresponsabilitatis et quibus illa periodus definiatur limitibus. Pro statuto Codicis haec sufficiat ratio, quae ipsa experientia comprobatur, videlicet, puerilis intelligentia est obvoluta quadam quasi nebula, quae non evanescit nisi paulatim cum progressu aetatis et educationis seu instructionis simul cum vitae experientia. Tria haec elementa simul influunt in excutienda illa nebula. Secundum progressum luminis intellectualis debet progredi imputatio: sed quia in illum progressum influunt tria memorata elementa, quae non in omnibus individuis pari passu procedunt, res criterio *numerico* definiri non potest sed criterio iuridico per iudicem aestimando. In infantia habetur absolute exclusa imputabilitas, etiamsi raro aliquo in casu datur malitia praecox, de qua iudicium fertur ex legibus bonae gubernationis non ex legibus poenalibus. In minori aetate, si haec ex natura rei consideretur habetur generatim sufficiens mentis discretio; minor et in pluribus casibus nulla in impubertate; supra pubertatem usque ad maiorem aetatem erit regula generalis, quamvis non sit oblivioni dandum evolutionem naturalem nonnumquam tarde ac lente fieri, praesertim ob defectum instructionis; semper tamen imputatio debet esse minor, quia licet adsit usus rationis, deest experientia ad

(22) Cfr. *Baumer*, in « Apollinaris » XI (a. 1933) p. 453 sq.

ea bene utendum et ad opponenda consilia ex experientia vitae desumpta vivis passionum suggestionibus, quae passiones in iuvenili aetate coactionem psychologiam exercent fortiolem. Unde diminutio imputabilitatis videtur verificari et ex parte intellectus et ex parte voluntatis minus fortis ad resistendum impulsui passionum.

In casu particulari exceptio erit facienda sive in unum sive in alium sensum; et ideo additur in canone *nisi aliud constet*; quae exceptio in sensum plenae imputabilitatis facilius locum habebit in minoribus valde proximis aetati maiori et in regionibus ubi iuvenes citius evolvuntur; in alium sensum ex rationibus contrariis.

Quoad *poenas* vero relate ad impuberes standum est praescripta can. 2230 (23).

III. De statu senili merito non fit quaestio, in senibus enim de se nec defectus in intellectu nec in voluntate reperitur: adest in senibus experientia vitae, passiones in ipsis potius defervescunt, boni exempli gravior urget obligatio. Poterit forte esse quaestio de diminutione poenae ob imbecillitatem corporis, non de diminutione imputabilitatis (24). Utique senectus tendit etiam ad plenam mentis imbecillitatem et si nimium protrahatur haud raro ad eam de facto perducit; sed tunc aderit causa generalis (25).

§ 2. Sexus, condicio, scientia et institutio

62. Quoad *sexum* non est hic quaestio de circumstantiis obiectivis ratione subiecti passivi delicti, sed de directe influxum habentibus in imputabilitatem delinquentis (26). Fuit quidem valde disputatum inter poenalistas circa minorem imputabilitatem in sexu

(23) Cfr. supra cit. cap. 2 (Alex. III) X, (V, 23) ubi de puero 10 annorum: « quoniam in pueris relinqui solet inultum quod in aliis provectoris aetatis humanae leges dicunt severius corrigendum »; quod cap. conferendum est cum consideratione morali cap. 1 eiusd. tit. (Gregor. IX). *Latini*, l. c. p. 102 sq.

(24) *Latini*, l. c. p. 105 cum lege Romana L. 3, § 7, D. de SC. Siliano 29, 5 « ignoscitur etiam his qui aetate defecti sunt »: quae tamen nostro iure vix obtinent cum plerumque poenae sint spirituales.

(25) De legislationibus modernis in hac parte cfr. *Roberti*, l. c. I, n. 79; *Michiels*, l. c. p. 147; *Herboe*. Les conditions subjectives de la culpabilité (1932) tom. II, p. 54 sq.

(26) Facile tunc occurrere potest aut pluralitas delictorum (v. gr. si occidatur mulier praegnans) aut saltem circumstantia aggravans vel forte mutans speciem delicti.

femineo, qui etiam dicitur sexus debilis; quae minor imputabilitas de regula generali neganda est (27), sed in feminis persaepe adest etiam maior malitia et exquisitissimae industriae adhibitae ad designatum delictum patrandum. Quae vero dicitur debilitas sexus poterit esse ratio, cur in eadem imputabilitate minuatur poena et praesertim ad adhibendas diversas poenas. Pro foro ecclesiastico, in quo ad decernendas poenas dicitur habenda esse ratio etiam sexus (can. 2218, § 1), quoad poenas ecclesiasticas spirituales nulla est difficultas et quoad atrociora delicta solent cavere codices poenales civitatis. Quod facilius accidit in feminis est propensio ad status physiologicos v. gr. ad psychoses, quibus valde perturbantur, tumque causa diminutae imputabilitatis erit morbus, quo non solum corpus sed mens quoque afficitur.

63. De *condicione, scientia, institutione* in modo citato canone agit Codex, ubi sermo est de poenarum irrogatione: qui nullam receperunt institutionem, qui a prima aetate inter vitia adoleverunt praesertim ex pravis aliorum exemplis, qui vitam egerunt otiosam et errabundam praesertim iam a minori aetate, certe non sunt apti ut legem violent ex pleno et perfecto dolo; sed facile fiunt recidivi et habituales ideoque sunt affecti vero morbo morali, cui licet poena non sit exclusa, cum christiana miseratione medicina moralis applicari debet, adhibitis omnibus mediis naturalibus et supernaturalibus, quibus ad bonam frugem, si fieri potest, reducantur: qua in re plurimum potest industriosa et patiens sollicitudo boni confessarii, si ad confessionem adduci possunt. Etiam in foro saeculari, huiusmodi delinquentibus, praeterquam poenis, etiam congruis specialibus institutis consuli solet, praesertim si agatur de minoribus. Etiam in his casibus miscetur debilitas mentis et voluntatis, quamvis utraque sit vitiosa et sensum moralem aut minuit aut etiam in casibus extremis perimat.

§ 3. Defectus usus rationis

64. Generale principium ponitur: « doli sunt incapaces qui actu carent usu rationis », quae incapacitas doli excludit capacitatem

(27) Cfr. cap. 6 (Alex. III) X. de homic. V, 12 ubi agitur de poenis vel poenitentibus irrogandis; can. 4 (August.) C. XXXII, q. 6, ubi pari ratione dicitur puniendum adulterium viri et mulieris, iunct. can. 5 ead. quod « vir caput est mulieris ».

delicti, id quod ex ipsa delicti notione infertur. Qui defectus primo loco habetur in infantibus de quibus iam dictum est (can. 2201 § 1).

De amentia. Nimis evidens est, quod is qui actu corripitur amentia, dum in tali statu delictum patrat, tale delictum non est ipsi imputabile (cfr. paragr. praec.). Sed hi etiam qui habitualiter amentes sunt, licet quandoque lucida habeant intervalla, aut in certis quibusdam ratiocinationibus vel actis sani videantur, delicti tamen incapaces praesumuntur (can. cit. § 2). Quae habitualis amentia differt a momentanea phrenesi, qua quis ob causam transeuntem affici potest et relate ad ius, est ille habitus morbosus, qui auferens ab homine facultatem cognoscendi relationem suae actionis cum lege, eum induxit ad violandem legem quin habeat conscientiam illius violationis. A psychiathris seu peritis in arte erit sciendum, an hic determinatus homo talem patiat morbum, quamvis in pluribus casibus res facile erit nota et manifesta omnibus. Sagaciter legislator sub respectu ecclesiastico se expedit a molestis quaestionibus circa amentiam per principium *incapaces praesumuntur* (28).

(28) De theoriis, quas ultimis temporibus circa dementiae et amentiae vim nonnulli psychiathrae et criminalistae professi sunt, non multum refert hic disputare, cum in foro ecclesiastico multum tribuatur prudenti aestimationi iudicis sive in diiudicanda delinquentis imputabilitate sive in poenarum moderatione, a quo, ubi id exigat necessitas, prudenter fiet recursus ad iudicium peritorum. At a *novis et peregrinis theoriis* esse cavendum iam prudenter monuit *D'Annibale*, I, 31, not. 18 et *Lega*, l. c. t. III, n. 29. Et profecto omnino reiiciendae sunt omnes criminalistarum theoriae, quae in putido materialismo et negatione humanae libertatis nituntur, aut quae in condicionibus pathologicis personae rationem delinquentiae reponunt, quasi quidam iam sint nati delinquentes. Cfr. v. gr. doctrinas a *Lombroso* eiusque scholae asseclis disseminatas apud *Delassus*, *Les théories modernes de la criminalité*, Paris 1903.

Pariter admittendae non sunt sic dicta *moralis* amentia seu dementia, *moralis* insania, quasi incolumi intellectu seu mente, una voluntas tali aegritudine afficiatur, ut ineluctabili quadam arcana vi subactus, plena cum cognitione aut agenda omittere (*abulia* seu *anenergia*) aut omittenda agere ex impulsu infrenabili erga determinata delicta cum plena cognitione sine morali imputabilitate patrata. Nam voluntas potentia spiritualis, nata est sequi iudicium rationis, nec contra propriam naturam vi morbi physici ita potest ligari ut non amplius sit vis electiva eorum, quae ab intellectu, ut supponitur, normali modo eidem proponantur. Passiones quae sunt in appetitu, quandam vim profecto habent ad inducendam voluntatem, at si mens integra perseverat, libera manet voluntas et in eius potestate est aut passionem sequi aut contra ipsam agere. . Aliud est dicendum de actibus a voluntate imperatis, quod magis ad ius poenale pertinet,

Multae disputationes factae sunt et fiunt circa lucida intervalla et circa partialitatem amentiae in monomaniaticis. Forum ecclesiasticum hac in re non habet adeo magnum interesse sub poenali respectu. Inter alia habetur etiam illa ratio, quod graviora et periculosiora crimina veluti homicidium, graviora carnis delicta, incendia etc. iam diligenter puniuntur a potestate civili, in qua habetur praeterea respectus publicae securitatis, cui facile consulitur per coactam reclusionem in manicomio vel in carcere, etiam praescindendo ab examine circa imputabilitatem. At extra materiam poenalem v. gr. in matrimonio, interesse peculiare ecclesiasticum non deest; ceterum in dies crescit opinio vix admittens dementiae partialem si sit perfecta in determinata materia.

65. Praeter amentiam defectus usus rationis habetur in deficiente evolutione mentali ob infirmitates psychicas congenitas provenientes ex vitio corporis congenito vel durante infantia vel adolescentia contracto, quo fit ut cum evolutione physiologica progrediente mens non evolvatur, sed aut infantilis maneat aut in statu incipiente sistere cogatur. Talis mentis status *phrenasthenia* dicitur, cuius duplex est species *totalis* (idiotia) aut *partialis* (imbecillitas): In totali phrenasthenia (idiotia) videtur haberi radicalis organica impotentia ad vitam intellectivam et moralem; in partiali (imbecillitate) incompleta habetur facultatum intellectualium et moralium evolutio: illa infantiae, haec minori aetati est valde similis: utriusque tamen status existentia peritorum iudicio comprobanda est. Quae iudice ecclesiastico sunt attendenda, nam utriusque morbi non est rarus casus; porro scite animadvertit *Latini* l. c. p. 106 poenam proprie dictam adversus huiusmodi infelices homines latam parum aut nihil satisfacere et ad eorum emendationem parum aut nihil prodesse: quare, ubi periculosi fierent, consultius esset in speciali detentionis domo eos recipere, ubi mali eorum instinctus patienter corrigantur. At hic quoque valent quae supra dicta sunt de amentibus et dementibus, rem maius interesse pro foro saeculari quam pro ecclesiastico habere.

in quibus admittendum est imperium sive impulsivum sive coercitivum voluntatis effectu carere posse: id accidit in aphasiis, in hemiplegiis, in paralysi et aliis similibus morbis; iussa enim voluntatis, quae exterius organorum ope sunt exsequenda, incassum cedant, necesse est, siquidem organa quavis ex causa muneris proprio obeundo imparia sint. Cfr. *Latini*, l. c. p. 131 sq., *Michiels* l. c. p. 178 sq.

§ 4. Surditas — Surdomutismus

66. Unum ex vitiis corporis quibus mentis evolutio aut omnino aut partim impeditur est surditas a nativitate aut ante adeptum usum rationis contracta, quae plerumque tali vitio congenito affectum reddit etiam mutum. Iam vero abstractae ideae boni et mali, iusti et iniusti, iuris et obligationis sine communicatione cum aliis, quae fit per auditum et loquelam, acquiri saltem perfecte nequeunt. Inde etiam imputabilitas sine talibus ideis in factis concretis exulare dicenda est. Quodsi surdomutus aut practicam et domesticam aut praesertim scientificam receperit instructionem cum vera et propria locutione, in hoc altero casu nullum dubium esse potest quin doli sit capax et imputabilitas; in priori casu parum fidendum est domesticae illi instructioni ab imperitis mechanico tantum modo datae, et praesumptio est potius pro incapacitate doli et delicti; quis enim scire potest gradum cognitionis ideoque gradum responsabilitatis in huiusmodi infelicibus hominibus? (29).

§ 5. Somnus.

67. Nihil attinet dicere de somno, in quo totaliter intercipitur usus rationis et liberi arbitrii et plerumque etiam externorum sensuum functiones praesertim illae quae voluntatis imperio subduntur, ideoque inducitur plena delicti incapacitas. At omissiones praevisae in somno voluto dum urget obligatio actum ponendi, v. gr. dum ultima diei hora urget obligatio recitandi officium divinum, ut per se patet, imputabiles sunt. Porro imputabilitas ex culpa non est exclusa, cuius exemplum exhibet ius Decretalium (cap. 3, X. V, 10) ubi poenis decernuntur plectendi parentes vel nutrices tenerum infantem penes se in lecto habentes, si forte in somno oppressus aut suffocatus fuerit.

68. Quodsi agatur de *somnambulibus*, *noctambulibus* *somniloquis*, quidquid sit de natura horum phaenomenorum, licet ex illis facile inferri possit saltem apparentem in eis adesse certam seriem idearum

(29) Cfr. *Latini* l. c. p. 106 sq.

coordinatarum, quae tamen nihil sunt aliud quam species phantasiae, certum videtur normalis iudicii efformandi capacitate destitui ideoque etiam doli et imputabilitatis argui non possunt in factis materialiter delictuosis in somno forte patris (30).

69. *Somnus artificialiter procuratus* inducit statum physiologicum somnambulismo naturali similem, in quo abest conscientia reflexa propriarum actionum et usus libertatis.

I. Praecipua species est *somnus hypnoticus* seu per hypnotismum inductus, quo nomine significatur ars seu modus excitandi hypnotismum (statum somnolentiae seu somno simillimum), in quo receptivitas suggestiva ita augetur, ut hypnotizatus repraesentationes atque affectiones, quae sibi ab hypnotizante verbo proponuntur veluti obiectivas habeat et actiones ab eo imperatas exsequatur (31). Quae hypnosis variis modis inducitur: a) praesertim *suggestione* qua somnus persuadetur, somni excitata idea per verba, gestus etc.: b) excitata in sensibus *vivida impressione* et consequente defatigatione v. gr. ostenso obiecto splendenti in quod hypnotizandus intendat acie oculorum et pleno mentis conatu; c) etiam ope palpationum, gestuum et attractionum, etiam fixo oculorum obtutu in hypnotizandum etc.

II. Porro per suggestionem hypnotizans hypnotizato vel hypnotizando ideam rei, actionis aut affectionis alicuius suggerit seu communicat; hypnotizato vero tales ideae suggeri possunt, quae, sine reflexa conscientia, ad nutum agentis ab ipso hypnotizato retinentur et executioni mandantur. Atque hic est effectus praecipuus hypnotismi *vulgaris* praecipue in nostra poenali materia considerandus, illa videlicet dependentia, qua, aucta suggestibilitate, fit hypnotizatus sub imperio et sub lubitu hypnotizantis, si forte actiones exsequitur

(30) Cfr. *Latini* l. c. p. 108 sq.

(31) Cfr. *Latini*, l. c. p. 110 sq.; *Capelmann-Bergmann-Lehmkuhl*, La Médecine pastorale (versio gall. Bénéjac) p. 58 sq.; *Antonelli*, Medicina pastoralis (1905) tom. I, n. 244 sq. ubi praesertim allegantur facta a medicis relata et sanationes morborum obtentas; *Roberti*, l. c. I, n. 114; *Ojetti*, Comment. in Codic. I, II, praep. 160 sq.; *Michiels*, l. c. p. 152 sq. Consulendi quoque sunt moralistae, praesertim ubi quaestio est de liceitate hypnotismi v. gr. *Ferreres*, Theol. mor. I, n. 361 sq.; *Génicot-Salmans*, *Lehmkuhl*, Theol. mor. I, n. 934, not. 1; *Coconnier*, El hipnotismo franco (versio hispanica 1896); *Sánchez Herrero*, El hipnotismo y la sugestión; *Arcelin*, Rev. des questions scientifiques, vol. 48, p. 145 sq; *Lapponi*, Ipnatismo e spiritismo, *Pesch*, Inst. psychol. 2, n. 703

quae materialiter delictuose sint. Quidquid sit de hypnotismi natura, cuius explicatio pertinet ad psychologos et psychiathras, cum passim admittatur hypnotizatum proprio mentis iudicio et agendi libertate carere, de hypnotizato quoad poenalem responsabilitatem idem fere iudicium est proferendum ac de somnambulo naturali, sc. responsabilitatem poenalem esse generatim excludendam.

III. Attamen extra casum quo hypnosis in subiecto inscio et invito inducatur, hoc est admittendum discrimen cum naturali somnambulismo quod dum inducitur hypnosis in volente seu consentiente, hic licet involuntarie operetur dum materialiter actum ponit ex hypnotizantis voluntate, actus formaliter seu in causa potest esse voluntarius; quare de his actibus fere idem dicendum est ac de ebriis seu de procurantibus sibi statum inconscientiae. Quare dum legem poenalem transgreditur: 1° qui hypnotizatus fuerit inscius et invitus, dicendus erit versari in *casu* et legem ab eo violari sine ulla imputabilitate; 2° qui ex causa honesta vel indifferenti sciens volens hypnotizatur, velut ad curationem morbi pro qua a medico indicatum est illud medium, si nefarium propositum hypnotistae nec praevidere potuit, pariter in *casu* versatur circa materialem legis transgressionem; si praevidere potuit, licet de facto non praeviderit, erit *in culpa*; 3° qui vero hypnotizatus fuerit ex proposito seu ex condicto cum hypnotista ad delinquendum, delicti inde patrati erit reus *ex dolo* licet non immediate et concomitanter, certe mediate et antecedenter. Cfr. *Latini*, l. c. p. 112.

IV. De licitate vel illicite hypnizationis ex causa honesta, puta morbum depellendi, consulendi moralistae, a quibus etiam responsa S. O. et S. Paenit. adducuntur.

Somno artificialiter procurato valde similis est status inconscientiae plus minus completae ad quem perducunt variae corporis, praesertim nerveorum elementorum, intoxicationes: tales sunt intoxicatio alcoholica, morphinica, cocainica ut nihil dicam de chlorophormica quae praesertim adhibetur in peragendis operationibus chirurgicis. Codex loquitur expresse de poenali imputabilitate in ebrietate (can. 2201 § 3).

§ 6. De ebrietate

70. *Ebrietas* modo complexo influit in imputabilitatem: hinc diverso modo de ea agunt poenalistae, et dum aliqui illam ponunt

inter causas quae auferunt cognitionem, alii potius inter causas quae voluntatem impellunt. Fortasse unum et aliud sit verum, nempe ebrietatem et obfuscare cognitionem intellectus et impellere voluntatem ita ut haec minus libera sit. Porro in ebrietate sunt multi gradus, de quibus singulis non idem iudicium est proferendum et diversae causae unde ebrietas est orta sc. aut voluntarie aut praeter voluntatem.

I. Distinguenda videtur ebrietas, ebriositas et alcoholismus qui ex habituali ebrietate ut plurimum oritur. Ebrietas accidentaliter habetur seu transeuntur, et negari non potest quin mentem obnubilet et ex hac parte imputabilitatem minuit; ebriositas seu habitus sese inebriandi multo magis mentem obfuscatur, immo ebriosis tandem fiunt hebetes seu stupidi, est status alcoholismi in quem facile inciditur ex habitu sese inebriandi. Porro sub respectu imputabilitatis omnino distinguenda est ebrietas voluntarie procurata, et ebrietas accidentaliter habita sine ulla voluntate et praevisione v. gr. in eo qui moderate bibit et sive ob statum morbosum ignoratum sive propter qualitatem non cognitam potus in ebrietatem incidit omnino involuntariam. Codex respicit directe influxum in intellectum.

II. Atque imprimis ebrietas directe quaesita et praedeterminata ad patrandum vel excusandum delictum nec tollit nec minuit imputabilitatem: dolus in tali casu non deest; ebrietas assumitur tamquam medium vel instrumentum vel quia quaeritur tamquam incitamentum, vel quia adhibetur ad compescendos conscientiae timores vel quia excogitatur tamquam excusatio.

III. Ebrietas voluntaria, sine tali praemeditatione, delictum ab imputabilitate non liberat, minuit tamen respectu illius qui plene sui compos idem delictum commisit si sit plena; etsi dolus deficiat saltem aderit *culpa* si culpa conditiones adfuerint.

IV. In ebrietate involuntaria, si usum rationis plene ademptus fuerit, imputabilitas exsulat omnino; minuitur, si ex parte tantum (can. 2201 § 3). Ex modo quo rem considerat Codex noster, apparet similitudo cum statu inconscientiae plus minus plenae, in quem coniicit somnus.

71. Ex abusu continuato potuum alcoholicorum facile devenitur ad statum chronicum *alcoholismi*, in quo omnia corporis organa eorumque functiones ita graviter et profunde perturbantur, ut conscientia penitus amittatur, sensus moralis exstinguatur, et facile deve-

BIBLIOTHECA
PATRIAE SIKSTINAE SANCTI PETRI

nitur ad delirium alcoholicum et veram dementiam. Porro pronitas ad delicta patranda, sensu morali exstincto, praeter innumeros morbos, est etiam tristis effectus alcoholismi, qui haberi debet ut pestis socialis teterrima. Quod ad periculositatem horum hominum relate ad delicta contra publicam securitatem, remedium adhibere pertinet ad publicam auctoritatem civilem; poenae spirituales plerumque effectu carebunt, tametsi status mentis adhuc sit talis, ut imputabilitas non sit penitus exclusa. Hi miseri homines praesertim iuvandi sunt per opera socialia v. gr. per capsas parsimonia, per associationes opificum in quibus curetur institutio religiosa et moralis et inspiretur amor parsimoniae, per societates temperantiae, etc. (32).

72. Codex noster quod statuit de imputabilitate delicti in ebrietate commissi extendit ad alias similes *mentis* perturbationes. Tales reputandae sunt *Morphinismus, Cocainismus, Aetheromania* (33). Quae res caret difficultate relate ad materiam poenalem; at relate ad actus iuridicos perficiendos, in quibus requiritur plenus voluntatis consensus v. gr. ad matrimonium, res est multo salebrosior, propter varios gradus et varias vicissitudines triplicis illius status morborum; quare plerumque erit recurrendum ad examen et iudicium peritorum, eorum praesertim qui in illa specie morbi sunt singulariter docti.

73. Cum canon 2201 § 4 statuatur *quamlibet mentis debilitatem delicti imputabilitatem minuere, sed non penitus auferre*, etiam hoc loco sermo esse posset de pluribus morbis, qui maximam perturba-

(32) Cfr. *Latini*, l. c. p. 139 sq.; *Roberti*, l. c. n. 91 sq.; *Michiels*, l. c. p. 157 sq.; *Harboe*, Les conditions subjectives de la culpabilité, tom. II, p. 72 sq.; *Antonelli*, Medicina pastoralis, I, n. 339 sq.; *Capellmann*, La Medicina pastorale, p. 83 sq.; *Zerboglio*, L'Alcoolismo; *Pistolesi*, Alcoolismo e delinquenza; *Fordini*, L'ubriacchezza e i suoi rapporti col diritto penale, p. 106.

Novus Codex poenalis Italiae accurate distinguit plenam ebrietatem (sine actuali capacitate intelligendi et volendi) derivatam ex casu vel vi maiori, in qua omnino excluditur imputabilitas, ab ebrietate non plena, in qua diminuta admittitur imputabilitas (art. 91). — Ebrietas vero voluntaria et culposa non admittitur ut causa minuens; quodsi fuerit praeordinata in finem delicti patrandi, petendi inde excusationem, potius in augmento poenae reputatur imputabilitatis augmentum (art. 92). Delicta vero commissa in statu ebrietatis *habitualis*, graviora censentur et severius puniendae decernuntur (art. 94). Vicissim status chronicae intoxicationis habetur ut circumstantia minuens imputabilitatem delicti in eo statu commissi (art. 95).

(33) Novus Codex poen. Ital. ebrietati aequiparat abusum morphinae et cocaina (art. 93, 95). Cfr. quoque art. 446 eiusd. Codicis. Cfr. *Latini*, l. c. p. 110 sq.; *Roberti*, l. c. I, n. 91 sq.; *Capellmann-Bergmann*, l. c. p. 50 sq.; *Antonelli*, l. c. I, n. 354 sq.

tionem functionalem inducunt systematis nervi, quales sunt omnes qui comprehenduntur sub generali vocabulo psychoneurosis velut neurasthenia, hystera, hypocondria, etc. Atque imprimis neurasthenia est morbus nostro tempore valde communis, qui in statu graviore reddit hominem pene abulicum, dum mens, excitata ex vivida phantasia, praesertim defigitur in morbis vel incommodis physicis vel imaginariis proprii corporis, quibus quovis modo levandis neurasthenia affectus ita est occupatus, ut parum aut nihil attendat ad obligationem legis, quae ceteroquin, si de lege ecclesiastica agatur, dicitur non obligare cum gravi incommodo (can. 2205), quod facile datur in generali depressione virium quam patiuntur neurastheni: quae peculiari ratione attendenda sunt in delictis omissionis.

Quoad *hysteriam*, quam comitatur singularis nervorum sensibilibus irritabilitas et singularis suggestionabilitas, ita tota hominis natura commutatur, ut in omnibus, saltem in accessibus morbi, iudicium et actio impediatur et quaelibet animi affectiones sive bonae sive pravae summum imperium, sine possibili recta reflexione, exerceant cum vehementi propensione ad simulationem, duplicitatem et mendacium, quae est necessitas quaedam talium personarum. Quare in iure poenali praesertim attendendus est hic morbus, ne facile fides habeatur denuntiationibus aut accusationibus personae hystericae (34).

§ 7. De ignorantia, errore, inadvertentia (can. 2202) (35)

74. *Notiones* sunt praemittendae. *Ignorantia* est carentia cognitionis in subiecto capaci. *Inadvertentia* (oblivio) est carentia *actualis* cognitionis, in eo qui habitualiter aliquid cognoscit: legem quis novit, sed dum operatur actu ad legem non advertit (36).

(34) *Capellmann-Bergmann*, l. c. p. 89 sq.; *Antonelli*, l. c. I, n. 436 sq.; *Max Simon*, Les maladies de l'esprit, p. 90; *Van Krafft Ebin*, Nervositat und neurasthenische zustände; *Rinswanger*, Die Hysterie.

(35) Cfr. c. 2. C. XV. 91; c. 3; 4 C. XXII. q. 2; c. 23 ibid. q. 4; cap. 4 X. (V, 39). — *Amor Ruibal*, Derecho penal, I, n. 284 sq.; *Pelt*, De ignorantia et errore in delictis, Gand. 1826; *Photenhauer*, De delicto per errorem in personam commisso, Kiel 1826; *Six*, De errore facti in delictis dolosis, Lugd. Batav. 1840; *Suárez*, De censuris, d. IV, sect. 8.; De legibus l. V. cap. XII; *Van Hove*, De legibus n. 236 sq.; *Latini* l. c. p. 115 sq.; *Roberti*, l. c. I, n. 76 sq.; *Michiels*, l. c. p. 180 sq.; — *Harboe*, Les conditions subjectives de la culpabilité t. III, p. 77 sq.

(36) Ignorantia denotat statum mentis habitualement: at, ut per se patet, cum illo statu mentis, multoties nihil operari vel operari in re quae nullam habet cum

I. Ignorantia potest esse: 1° *negativa* (alias nescientia) et est carentia cognitionis non debitae in subiecto capaci v. gr. ignorantia philosophiae in agricola ut tali; 2° *privativa* si respicit scientiam debitam v. gr. ignorantia reservationis in confessario; 3° *positiva* si habeatur iudicium falsum seu error veritati contrarius v. gr. qui iudicat hodie esse feriam V cum sit IV vel abstinentiam fer. VI extra Quadragesimam non obligare.

Insuper ratione obiecti circa quod versatur distinguitur ignorantia *iuris*, *facti* aut *poenae* prout versetur circa legis existentiam eiusve comprehensionem, aut circa facti particularis existentiam aut circa poenam qua legis transgressio sancitur, tametsi lex ipsa non ignoretur.

II. Alia ignorantia est *invincibilis*, quae depelli non potest sive physice sive moraliter adhibita diligentia debita (37), et inde etiam est *inculpabilis*; alia est *vincibilis* quae potest depelli et potest esse *culpabilis* vel *inculpabilis* prout detur aut non detur obligatio eam deponendi et tamen non deponitur (38). In ordine ad effectum iuridicum imputationis re non distinguitur ignorantia *vincibilis* et *culpabilis*; nam in tantum nobis effectus ex ignorantia procedentes imputari possunt, in quantum eadem est culpabilis, quia vitandi pravam i. e. nocivam actionem adest obligatio, quae obligatio trahit secum obligationem auferendi causam nocivae actionis (ignorantiam) si advertitur et auferri potest: causa, ut supponitur, est ignorantia. Ergo si ignorantia advertitur et auferri potest, i. e. si est *vincibilis* et non auferitur, habetur culpa seu est culpabilis et imputabilis in ordine ad pravum seu nocivum effectum actionis. Quae culpa in ignorantia admissa potest esse gravis vel levis, pro gravitate negligentiae habitae in ea depellenda. Ubi, saltem in iure Codicis, distinguitur ignorantia *graviter* culpabilis, *crassa* seu *supina* et *affectata*: de qua distinctione inferius erit sermo in explicatione canonis 2224.

II. Ad rem etiam facit distinctio qua ignorantia respectu actuum

lege oppositionem. Quare hic ignorantia sumitur prout in nostram actionem *actualiter* influit, seu pro ignorantia *actuali* ex qua actio ponitur legi contraria; atque in hoc sensu manifestum est ad eam reduci *inadvertentiam*.

(37) In sensu morali non dicitur *vincibilis* illa ignorantia, quae diligentia utcumque possibili deponi potuit, sed necesse est ut depelli non possit per adhibitionem diligentiae *debitae*.

(38) Ut sit vere culpabilis, necesse est ut in ignorantia non depellenda peccatum admissum fuerit.

voluntatis distinguitur in *antecedentem* et *concomitantem*. *Antecedens* illa est, quae ita voluntatis determinationem praecedat, ut sit efficax ratio seu causa cur voluntas determinetur ad actionem ponendam, in nostra materia ad violandam legem poenalem. Antecedit opus cum illa ignorantia positum et est causa cur ponatur tale opus ex voluntatis determinatione. Efficacia actus ita explicatur, quod agens ita censetur dispositus, ut si legem cognosceret, eam non violaret, vel si opus nosceret ab eo ponendo abstinere; quae voluntatis dispositio in pluribus casibus erit nota. Si quis solitus abstinere a manducandis carnibus die veneris vel die ieiunii ex voluntate habituali et firma servandi praecepta Ecclesiae, ignorat esse feriam VI vel diem ieiunii; quod hoc opus ponat, ita dispositus, causa est ignorantia actum antecedens eique proinde dans causam. Si quis volens occidere feram occidit amicum, quem per errorem reputavit esse feram, dum in tale obiectum explosit. *Concomitans* est illa ignorantia, quae actionem quidem comitatur, sed in eam hic et nunc non influit, v. gr. in exemplo allato de eo, qui licet sciret esse feriam VI nihilominus a carnibus manducandis non abstinere, de facto tamen voluntaria ipsi non fuit transgressio legis abstinentiae.

In idem recidit, si ignorantia *antecedens* ab aliis dicitur esse illa ignorantia quae antecedit omnem voluntariam negligentiam; quae ab iisdem auctoribus opponitur ignorantiae *consequenti*, quae subsequitur praedictam voluntariam negligentiam inquisitionis. Prima est *invincibilis*, nam prima de re cogitatio non est in libera potestate hominis; altera *subsequens* est voluntaria, cum subsequatur advertentiam ad obligationem inquirendi, et pro re nata est culpabilis. Alii doctores hanc ultimam vocant *accidentalem*, priorem *essentialem*.

75. **Notae historicae.** I. *In iure Romano* principia generalia de hac re non habebantur. Allegatum *Pauli* principium (L. 9 D. de iuris et facti ignorantia 26, 6) "Regula est, iuris quidem ignorantiam cuique nocere, facti vero ignorantiam non nocere," pertinet ad privata iura, ut apparet ex exemplis totius illius tituli Digestorum. Haud raro dicitur facile admitti plenam ignorantiam et exclusionem doli quoad illas iuridicas normas merae creationis politicae, in quibus minus est evidens ethicum fundamentum, quae tamen non admittitur in his iuris normis quorum ethicum fundamentum est notorium (39).

(39) Cfr. *Ferrini Cont.* Esposizione storica e dottrin. del. dir. rom., n. 53.

Dum tamen hoc intenditur confirmari allatis fragmentis respicientibus casus particulares, alia statim allegare debent quae sint exceptiones (40).

II. *In iure canonico* iam ante Gratianum praevaluit regula, legis violationem non imputari nisi conscienter fuerit facta ideoque cum scientia legis, nisi scientia legis esset obligatoria quae sine culpa negligi non posset. (41) In decreto Gratiani *voluntaria* ignorantia dicitur omnibus noxia sacerdotibus et periculosa, qui tamen peculiari ratione tenentur canones non ignorare (42), ideoque involuntaria et inculpabilis saltem poenaliter non nocet praesertim laicis. Porro theologorum opera, duce Petro Lombardo et S. Thoma, evoluta ac in claro posita est doctrina de ignorantia invincibili et inculpabili culpam et imputabilitatem excludente, dum ignorantia vincibilis et culpabilis a culpa et imputabilitate non liberat, licet facile minuat (43). Ex theologis doctrina de ignorantia vincibili et invincibili seu culpabili vel inculpabili transiit ad canonistas et in Decretalibus fuit expresse firmata. In hanc rem maxime facit cap. *Ut animarum* 2 de const. I, 2 in Sext., quo in capite tamquam causa excludens imputabilitatem poenalem ponitur ignorantia, quae non sit *crassa* vel *supina*, quae debet esse graviter culpabilis, nam ignorantia leviter culpabilis non attenditur saltem relate ad poenam gravem, quam lex humana non solet infligere ob culpam levem (44). Porro in cit. caput controversia facta est, num omnis ignorantia *graviter* culpabilis *crassa* aut *supina* dicenda esset (45); in qua affirmativam sententiam tenuit Suárez, de Censuris d. IV sect. 10, dum negantem sententiam tenuerunt alii doctores v. gr. *Ballerini*, opus morale t. VII, n. 99; *Sánchez*, De matrim. l. IX d. 32, n. 32, 33; *Pirhing*,

(40) Cfr. ex una parte D. (39, 4) 16 § 5, (48, 10) pr. — ex alia parte D. (50, 9) 6, (29, 5) 3 § 22, (2, 1) 7 § 4, (48, 5) 38 § 2.

(41) S. Augustinus: "non omnis ignorans est immunis a poena. Ille enim ignorans potest excusari a poena, qui quod disceret non invenit: illis autem hoc ignosci non poterit, qui, habentes a quo discerent, operam non dederunt." — C. 16 D. 37 cum dicto Gratiani ibid.

(42) Cfr. c. 12 C. I. q. 4 cum dicto Gratiani.

(43) O. Lottini, Le problème de l'ignorantia iuris de Gratien a St. Thomas d'Aquin in Recherches de Théol. ancienne et médiévale, t. V, p. 345 sq.; Mueller, Ethik und Recht in der Lehre der Verantwortlichkeit, p. 146 sq., 177 sq., 205 sq.

(44) Cfr. Suárez, De legibus (V, 12), n. 16; Passerini in cap. *Ut animarum* n. 467 sq.

(45) Cfr. criterium ambiguum iuris Romani (22, 6) L. 6. 9 § 2, 3,

V, 39, n. 46. — Nec deerat media quaedam sententia v. gr. *Passerini*, in Sext. Decretal. t. I, p. 149 sq. ubi distinguit inter forum internum et externum, et quoad forum internum attendendam ponit gravitatem peccati; quod forum vere externum gradus ignorantiae distinguit ex variis gradibus culpae *iuridicae*: quae culpa iuridica, nisi sit coniuncta cum culpa theologica non supeditat criterium obiectivum imputabilitatis, sed novam fori externi praesumptionem. Stando iuri Codicis videtur controversia relicta in terminis iuris praecedentis bene perspecto et considerato tenore can. 2218, § 2 — Et generatim can. 2202 influxum ignorantiae in imputabilitatem videtur admittere in terminis, in quibus illum proponebat doctrina theologica-canonica iuris praecedentis.

76. Ius Codicis. In can. 2202 definitur influxus ignorantiae vel erroris circa legem et circa poenam hoc pacto:

§ 1. *Violatio legis ignoratae nullatenus imputatur, si ignorantia fuerit inculpabilis; secus (in casu culpabilitatis) imputabilitas minuitur plus minusve pro ignorantiae ipsius culpabilitate.*

§ 2. *Ignorantia solius poenae imputabilitatem delicti non tollit, sed aliquantum minuit.*

Ante omnia tenendum est omnem ignorantiam invincibilem sive antecedentem sive comitantem (46) esse inculpabilem, ideoque imputabilitatis criminalis exclusivam. Quod autem violatio legis ignoratae ignorantia inculpabili nullo modo imputetur, inde fit manifestum, quod factum involuntarium non potest agenti imputari; porro dum quis ignorat legem aut actum sub lege cognita comprehendit (ignorantia iuris), in actu legis laesivo ponendo voluntatem contra legem agendi non habet, quae est fundamentum imputationis criminalis et poenae; nequidem in tali casu habetur voluntarium

(46) Illa animi dispositio, qua operans cum ignorantia concomitante actionem poneret, etsi rem cognosceret, nequit efficere, ut actio sit voluntaria, sed id solum plerumque efficit, ut actio postea veritate cognita placeat. Quare ignorantia venatoris, qui occidit inimicum forte ad necem quaesitum, quem putat esse feram, est ignorantia concomitans, si illum occidisset etsi scivisset esse inimicum suum obiectum illud quod mortifero telo percutit; qui actualis affectus seu voluntas occidendi inimicum efficit, ut praedictus venator interno peccet affectu, non autem ut reus sit homicidii realis. Esset autem ignorantia antecedens si in eodem casu ageretur de amico venatoris, in quem profecto hic est ita dispositus, ut actum non posuisset si scivisset esse amicum suum.

indirectum, in quantum non ablata sit culpabiliter illa ignorantia, qua ablata et obtenta cognitione legis, factum volitum agnosceretur legi contrarium et moraliter imputabile; supponitur enim ignorantiam esse inculpabilem.

Quae ignorantia inculpabilis, ut admittatur, in quolibet casu concreto legitime probari debet: lex enim debito modo promulgata ab omnibus pro quibus est lata morali adhibita diligentia debet et ex communiter contingentibus potest cognosci; ideoque ignorantia generatim non praesumitur (can. 16, § 2). Hoc quidem generatim; nam in praxi ex multitudine legum, ex diversa condicione personarum et peculiaribus ipsorum circumstantiis, facile in multis casibus solidum et grave habebitur fundamentum ad prudenter iudicandum legem esse ignoratam aut sine ulla prorsus culpa aut saltem sine culpa gravi, et in utroque casu exsulabit imputabilitas. Idcirco in cit. can. 16 § 2 scite dicitur ignorantiam legis non praesumi idque solum generatim, nec expresse ponitur principium cognitionem legis praesumi, quod in multitudine legum esset principium rationabili fundamento destitutum. De his quae natura sunt graviora facinora, facile quidem praesumi potest ab omnibus cognosci eaque poenis percelli, etsi determinata poena qua percelluntur ignoretur: in his ergo difficilius admittetur, saltem in foro externo, probatio allata, quae iam in se est difficilis cum agatur de elemento interno et multo difficilior si agatur de inadvertentia in habitualement legis cognitionem habente.

77. Ignorantia legis, quae est vincibilis seu culpabilis, delicti imputabilitatem non aufert; nam hoc in casu ignorantia est voluntaria; ergo voluntaria quoque est actio vel omissio quae ex hac ignorantia procedit, et effectus qui ex actione vel omissione sequitur. Eadem tamen ignorantia imputabilitatem minuit plus minusve pro gradu culpabilitatis; res enim eo minus voluntaria est, quo minor est illius cognitio, porro minor est cognitio in eo qui rem, etsi vincibiliter, ignorat, quam in eo qui rem cognoscit. Quoniam autem haec ignorantia diversos gradus voluntarii habet, prout sit simpliciter vincibilis, vel crassa vel affectata, etiam actio, quae ex tali ignorantia sequitur diversos gradus culpae habet. Iamvero quantitas culpae in ignorantia vincibili, non desumitur ex ipsa actione vel omissione, quae propter ignorantiam sequuta est, sed ex negligentia, quae in depellenda ignorantia habita sit, cum actio vel

omissio eatenus fuerit voluntaria, quatenus voluntaria est ignorantia illius causa. Qua de re pro foro externo valent criteria de culpa iuridica, quae esse potest *lata, levis et levissima*. (47). In consideratione morali, ideoque etiam pro foro interno, relate ad diligentiam adhibendam in depellenda ignorantia legum, quas quis scire debet, *moralis diligentia* ex obligatione adhibenda ea est, quae a prudentibus in huiusmodi rebus adhiberi solet; quae pro rei, personae et circumstantiarum varietate diversa esse debet, maior in re gravis, minor in re levis momenti; maior in persona, cui multa, minor in persona cui pauca praesto sunt media inveniendae veritatis. Porro moralis diligentia non est diligentia summa quae adhiberi potest, sed quam quilibet ex prudenti iudicio hic et nunc seu in tali re et talibus adiunctis adhibere potest et debet; nec ad maiorem quam moralem diligentiam quisque tenetur, etsi maiorem adhibere posset. Ubi autem *gravis* absit culpa, exulat imputabilitas tam in foro interno, quam in externo si in hoc evincatur, cum levis culpae in criminalibus ratio non habeatur.

Quodsi verum est ignorantiam invincibilem iuris divini a peccato excusare (48); in re nostra ab imputabilitate criminali non liberat ignorantia etiam inculpabilis legis humanae, cum quis transgreditur legem divinam non ignoratam, quam sua sanctione poenali lex humana tuetur; haec enim potius quam sui transgressionem intendit punire iuris divini violationem, ideoque lex poenalis in tali casu aequivalet comminatae poenae, cuius ignorantia imputabilitatem non aufert (49).

(47) Iam supra animadversum est errorem seu ignorantiam vincibilem et culpam iuridicam in facto culposo admissam esse similes ac veluti pares cum ex negligentia ortum ducant, atque obiecta tantum, circa quae hi animi status versatur, inter se discrepare. Cfr. L. 213, 223, 226 D. de V. S. 50, 16: Ulpianus: "Lata culpa est nimia negligentia id est non intellegere quod omnes intellegunt,"; Paulus: "Latae culpae finis est non intellegere id quod omnes intellegunt,"; Paulus: "Magna negligentia culpa est; magna culpa dolus est,". Quae et de ignorantia iuris et de ignorantia facti videntur esse intelligenda.

(48) Cfr. damnatam ab Alexandro VIII propositionem: Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

(49) *Thesaurus*, De poenis I, cap. 15, resp. 3; *Suárez*, De legibus I, V, c. 12, n. 7; *Pirhing* (V, 39) n. 44; *Passerini*, in *Sexti. Decret*, t. 1 n. 371, 376, 379. — Si lex poenalis censuram infligit violanti ius divinum, propter contumaciam quam censura requirit, haec ad normam can. 2229 non incurritur ab ignorante legem ecclesiasticam, etsi legem divinam violet.

78. Ignorantia solius poenae non excusat a delicto et poena incurrenda, poena enim non debet esse voluntaria, quin potius fertur in invitos, et qui sciens volens legem poenalem transgressus est, posuit causam poenae, quae alia non est nisi delictum voluntarie admissum: ut plurimum tamen aliquantum imputabilitatem minuit saltem indirecte; nam qui transgressus est legem, cuius sanctionem novit, practice et legem et eius poenalem sequelam contemnit et cum pleno dolo delictum admisit; non ita poenam ignorans. Immo ignorantia poenae facile potest redundare in ignorantiam legis gignendo persuasionem quod talis lex, quae sanctione poenali putatur carere, non inducat obligationem gravem (50).

79. Ignorantia facti. De hac expresse non agit hic canon Codicis licet eam contempletur can. 16 § 2, ubi ignorantia vel error circa factum alienum non notorium dicitur praesumi donec contrarium probetur, nec excluditur ignorantia vel error circa factum proprium aut circa factum alienum notorium, quamvis pro hoc casu ignorantiae vel erroris, iuris praesumptio non detur.

Ubi ergo ignorantia vel error probabilis facti datur, a fortiori excluditur imputabilitas facti, quod mere materialiter, non formaliter, est contra legem. Quare non est imputabilis fractio ieiunii si quis ignoret hodie esse vigiliam pentecostes, vel lectio libri quem quis ignorat esse librum haereticum. Quodsi error versatur circa circumstantiam facti, haec pariter non imputatur sc. non est reus adulterii qui contrahit cum matrimonio iuncta quae passim habetur ut libera; nec est reus sacrilegii, qui hominem percutit invincibiliter ignorans esse sacerdotem, licet sit reus iniustitiae et respondere debeat de laesione inflictata.

80. Scholion. Ad errorem facti reducitur *error in obiecto*, qui ab aliis dicitur *error in executione (aberratio delicti)*. Potest autem accidere directe in ipso obiecto, quis occidit Titium volens occidere Caium vel incendere domum Titii putans esse Caii; vel error pot-

(50) Cfr. not. praeced. Suárez, De leg. l. V, c. 12, n. 11; Passerini, l. c. n. 371, 376, 379; Reiffenstuel (V, 39) n. 29, 32; Schmalzgrueber (I, 2) n. 40; The-saurus l. c. I, c. 15. Quod nota praecedenti dictum de speciali conditione requisita ad incurrendam censuram seu poenam medicinalem, non probat delictum admissum in transgressione legis, cui adnexa sit censura ignorata, non esse delinquenti imputabile saltem ad poenam arbitrariam a iudice pro prudenti arbitrio infligendam.

est esse in actione v. gr. percutit Caium sed ictus deviat et percutitur Titius. In neutro casu, ut per se patet, abest dolus; nec videtur exclusa imputabilitas; nam plena habetur voluntas contra legem, quae pari modo protegit vitam et bona omnium, nec lex in hac re respicit Titium aut Caium sed omnes. Porro damnum mediatum seu contra bonum publicum non minuitur ex errore: potest admitti imputabilitatem excludi quoad peculiare circumstantias personae vel rei laesae, quae non adsunt in persona vel re in qua intendebatur consummari delictum; sed ubi in foro externo (supposito interno dolo) manifestatur *species* delicti delinquenti imputabilis (homicidium, incendium), *specifica* respectiva poena (poena homicidii) respondere debet executioni reali individui reatus (51).

81. Si in iure praecedenti in medium proferebatur iuris regula "*ignorantia facti non iuris excusat*," (R. I. 13 in Sexto) quasi ex ignorantia iuris excusatio peti non posset, nec proinde exclusa esset imputabilitas; imprimis illa iuris Regula coordinanda erat cum alia (R. I. 23 in Sexto): "*sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*,". Porro, sicut similis iuris Romani regula, practice explicabatur de negotiis iuris privati: quod vero attinet ad delicti imputabilitatem referebatur regula ad forum externum, non ad internum, quod in rei veritate nititur, qua peccatum seu culpa excluditur per inculpabilem ignorantiam sive facti sive iuris. In foro autem externo generatim non est sine culpa, qui ignorat quod scire tenetur, et alleganti inculpabilem ignorantiam non creditur nisi eam concludenter probet (52); secus unusquisque fidelis promptum haberet medium evadendi quamcumque poenam per allegatam iuris vel facti ignorantiam (53).

(51) Cfr. Amor Ruibal, l. c. n. 265; Roberti l. c. n. 78; Berner, Diritto penale § 91; Carrara, Programma I, § 262; Haus, Cours de droit criminel n. 135; Pfotenhauer, De delicto per errorem in personam commisso. Nonnulli in casu in textu allato putant duplicem haberi violationem, conatum homicidii quoad Titium, homicidium culposum quoad Caium; sed potius quam conatus delicti dici deberet delictum praetergressum, cum error non impediverit, quin pro occasione volita factum fuerit a delinquente quidquid necessarium fuerit ad voliti delicti consummationem.

(52) Cfr. Reiffenstuel et Phoebeum, Comment, in cit. iuris Regulam; Suarez De legibus (V, 12) n. 8; Passerini l. c. p. 163 sq. quando in foro externo ignorantia allegari et probari possit.

(53) Vicissim R. I. in Sexto 47 "*Praesumitur ignorantia, ubi scientia non probatur*," (Cfr. D. (XXII, 3) 23 iunct. Iust. (II, 40) 4) est regula de probabili

82. **Scholion.** De imputabilitate facti culposi et casus fortuiti (can. 2203). In declaranda natura *facti culposi* et facti *casui* tribuendi pro explicatione canonis 2199 iam imputabilitatis *fundamentum* et *gradus* explicata fuerunt. Gradus autem ita expresse proponitur can. 2203: "Si quis legem violaverit ex omissione debite diligentiae, imputabilitas minuitur pro modo a prudenti iudice ex adiunctis determinando,." Gradum imputabilitatis prudens iudex supputavit ex gradibus culpae iuridicae. Cum culpa in negligentia consistat seu in voluntaria diligentiae praetermissione, tot erunt e contrario gradus, quod gradus sunt diligentiae sc. *minima* seu *infima*, *media* et *maxima*: maximam adhibere solent homines prudentissimi et sollertissimi, iis in rebus, quae sua intersunt; media quae et communis dicitur, utuntur homines frugi et satis prudentes; minima demum, quae et communissima dicitur, est hominum alioquin imprudentium. Inde triplex culpa iuridica secundum gradum omissae diligentiae: *lata* dum omittitur diligentia, quam in suis negotiis homines communiter adhibere solent; *levis* dum omittitur diligentia, quam adhibere solent homines diligentiores et prudentiores; *levissima* dum omittitur diligentia, quam solum diligentissimi et accuratissimi quique in actionibus suis adhibere solent. Ubi notandum est culpam latam plerumque adnexam habere culpam theologiam seu verum peccatum, nam ordinaria diligentia in officio implendo adhiberi debet, et advertentia ad secuturum damnum seu legis poenalis violationem vix deesse potest; culpam vero levissimam vel levem de se culpa theologica non comitatur nisi in negotio gravissimi momenti, nisi maior diligentia debeatur ex contractu vel expressa lege; et fieri potest ut ex momento actionis seu gravitate officii iuridica culpa levissima possit esse coniuncta cum theologica culpa gravi vel etiam gravissima. — Semper tamen factum *culposum* a *doloso* facto differt, quod hoc ex proposito et deliberata voluntate causatur, illud vero sine tali directo proposito; et inde petitur diminuta imputabilitas.

At facile culpa admixtum potest habere dolum: "si rem praeviderit (agens), et nihilominus cautiones ad eam evitandam omise-

ignorantia *facti*, in quo praesumitur ignorantia quae versatur circa ea, quae quis neque scire neque indagare tenetur, qualia sunt facta aliena non publice gesta, quae ut dicitur in L. 20. de iuris et facti ignorantia (XXII, 6) etiam prudentissimi homines ignorare possunt. Cfr. can. 16 § 2.

rit, quas diligens quisvis adhibuisset, culpa est proxima dolo,." Explodit quis in feram, cui proximus est homo, sine requisitis cautionibus ad evitandum ne homo percellatur (54). Quis percutit Titium praevidens posse illum contra voluntatem occidi et de facto occidit.

Casum non imputari omnia iura praedicant. At non raro, qui evenit casus, vel culpae coniunctus est vel culpa ei causam praebuit. Porro sua culpa casui praebet causam quisquis operam dat illicitis rebus, vel licitis, sed nec tempore nec loco opportuno, maxime ubi lex poenalis pro principali scopo habet, ne factum materialiter delictuosum accidat etiam citra dolum et culpam eius qui actionem ponit. Cfr. Iust. IV, 3 de lege Aquilia § 4, 5, 6.

CAPUT IX

Circumstantia vis vel metus et aliae quae ex parte voluntatis aut delictum excludunt aut minuunt

83. Voluntatem *liberam* esse necessariam ad hoc ut actus humani moraliter agenti imputari possint in comperto est. Qui motus voluntatis, quatenus est actus internus elicited ipsius voluntatis, nulla vi physica cogi potest; potest tamen moraliter impelli seu cogi. Bonum enim ad quod natura sua tendit, sive a ratione sive ab appetitu sensitivo proponi potest; inde facile voluntas inclinari potest, ex iudicio rationis aut ex impulsu appetitus sensitivi, oblata boni specie, ut ad id se determinet, ad quod in statu rerum normali nullo modo se determinaret. Tunc voluntati moralis violentia seu coactio fieri dicitur, quae non impedit, quominus voluntatis determinatio voluntaria sit, in quantum consideratur existens extra hunc casum coactionis, sed secundum quid, ut dicitur, involuntaria est prout subest actuali coactioni: est voluntaria illa determinatio, sed non est spontanea. « Voluntas coacta voluntas est » (*Paulus* L. 21, § 5 D. 4, 2).

Actus vero externi a voluntate imperati, tum ab extrinseco, vi physica potiori, tum ab intrinseco vitio organi physiologici a quo

(54) *Berner*, Diritto penale § 100; Novum Codicem poenalem Italiae Art. 49 ubi distinguitur *factum dolosum*, *praeterintentionale* et *culposum*.

poni debent, aut frustrari aut ineluctabiliter poni possunt, frustra interius voluntate imperante vel obsistente.

Inde satis apparet deliberatam voluntatem ad dolum requisitam aut plane deficere aut saltem valde imminui quandocumque actus materialiter criminus sub violentia physica vel morali fuerit positus; ideoque imputabilitas moralis et consequenter criminalis actus aut penitus exulabit aut saltem valde erit imminuta: en quaestionem hoc loco tractandam.

84. *Vim physicam* penitus excludere imputabilitatem ex natura rei sequitur nec indiget demonstratione, in quam rem revocandus est can. 103 § 1, ubi actus ex vi physica, cui resisti non possit, *pro infecto* habetur nec ei est tribuendus, qui talem vim patitur sed ei qui vim infert, v. gr. coacta per vim absolutam subscriptio alicuius actus, contractus vel documenti etc., voluntate resistente. Haec est vis illa physica, quae omnem adimit agenti facultatem, de qua loquitur can. 2205 § 1, quae merito dicitur delictum prorsus excludere. Quodsi aliqua ratione extrinsecae violentiae resisti potuit et inde impediri violentiae effectus, tunc aliqua manet imputabilitas, plus minusve pro gradu culpae in omissione resistentiae admissa, non enim plene verificatur vis « vis autem est maioris rei impetus, qui repelli non potest » *Ulpianus* L. 2 D., quod metus causa IV, 2. Practica tamen vix esse poterit quaestio de poena infligenda.

I. Influxus metus in imputabilitatem (1)

85. *Notiones.* A coactione physica distinguitur *coactio moralis*, quae etiam dicitur vis compulsiva seu conditionata consistens in comminatione alicuius mali (metus active sumptus) per quam quis movetur seu compellitur ad aliquod volendum, quod sine tali comminatione prorsus nolle. *Metus* autem passive sumptus, ut verbis utar *Ulpiani* (in L. 1, D. IV, 3) est: « *instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio* ». Animus positus inter apprehensionem mali

(1) Cfr. *Vernz-Vidal*, De personis n. 36 sq.; *Muenchen*, l. c. II, n. 14 sq.; *Hollweck*, l. c. § 18; *Lega*, l. c. n. 39; *Thesaurus*, De poenis P. I, cap. 18; *Classici commentat. iuris Decretal.* in l. I, tit. 40.

imminentis, quod refugit, et actum criminis, quem pariter refugit si, ut supponitur, unice agit *ex metu*, trepidat inter illa duo mala, et ad vitandum malum comminatum, actum criminis seu legis laesivum ponit, quem non poneret si comminatio abesset. Libertas intacta manet, quantum est ex vi metus, facta abstractione a commotione physica organica ex metu haud raro, sed non necessario, exorta, quae rationis usum plus minus turbare potest; nam praecipuus actus in quo libertas exercetur est electio, quae in casu menti proponitur, inter malum comminatum et legis infractionem. — Nihilominus quod ex metu agitur plerumque, licet liberum sit, adiunctum habet involuntarium, quatenus operans ex metu ordinarie actum ponit cum positiva repugnantia, qua positive actum nollet si metus abesset, dum actus ut bonus et appetibilis non censetur, nisi in quantum est necessarius ad maius malum vitandum; actus non caret libertate, sed spontaneitate: quare *dolus* seu deliberata voluntas violandi legem non adest, sed tota voluntas fertur in fugam mali comminati seu imminentis; quae fuga cum non apprehendatur possibilis, nisi per actionem legi contrariam, haec non est in se directe intenta.

86. *Notae historicae.* Metum de se non excludere voluntarium neque peccatum diserte continetur in fontibus iuris antiqui; in quibus pariter habetur propter admixtum involuntarium minus haberi peccatum, minorem culpam in violatione legis, ad quam quis vi compulsiva conditionata adactus est (2). Attamen non universim exclusa fuit imputabilitas criminalis et poena, cum facile in violatione etiam humanae legis ex metu admisceatur peccatum contra legem divinam, quae fortius urget quam lex humana (3). Generale principium ennuclavit Innocentius III (c. 5, X, I, 40): « Distinguimus utrum is, qui communicat excommunicato invitus, sit per coactionem adstrictus aut *per metum inductus*... In secundo (casu) vero, licet metus attenuet culpam, quia tamen non eam excludit, cum pro nullo metu

(2) Cfr. c. 1 (S. Aug.) C. XV, q. 1; c. 32 D. 50; c. 3 C. I, q. 5; c. 7 C. II, q. 1; c. 2, C. XV, q. 6; c. 1, 3 C., XII, q. 5.

(3) Cfr. *Glossam* ad cit. can. 1 C. XV, q. 1, v. merito, ubi indicatur ratio theologico-canonica: « an peccatum, quod quis per metum facit, dicatur peccatum esse volentis? et respondetur, quod volentis: quia licet quis nolit *directe* ipsum peccatum ad quod compellitur, indirecte tamen vult illud per aliud, quod habere non potest sine peccato ».

debeat quis mortale peccatum incurrere, talem excommunicationis labe credimus inquinari » (4).

A doctoribus vero merito facta est distinctio inter legem mere ecclesiasticam et legem divinam; in priori admiserunt excusationem ex gravi metu, salvo casu urgentioris obligationis ratione officii vel admixtionis iuris divini, cuius violatio accidentaliter coniungitur cum violatione legis humanae (5).

87. Metus autem hoc loco intelligendus est de metu ab extrinseco a causa libera incusso, nam metus ab intrinseco ex causa necessaria in animo exortus potius inducit casum necessitatis. Qui metus a causa libera incussus potest esse iustus vel iniustus, prout habeatur vel deficiat iusta causa ad comminandum malum quod metui dat ortum. Porro metus qui incutitur ad extorquendum actum in se delictuosum semper iniustus est.

Metum autem hic intelligere debemus *gravem*, excluso levi, qui passim admiscetur actibus liberis, praesertim ubi agitur de violanda lege poenali. Porro gravis metus (qui etiam dicitur *iustus* seu *probabilis*), is passim dicitur esse qui in virum constantem cadit, seu qui talis est, ut eum, qui illum patitur, etsi alias fortis et constans sit, a proposito dimovere valet, puta in praesenti quaestione ab habituali proposito seu dispositione legem poenalem servandi. Quae gravitas non pendet a sola obiectiva gravitate mali timendi sed etiam a subiectiva conditione personae; unde metus gravis dicitur sive *absolute* pro omnibus sive *relative* pro determinatis debilioribus personis vel pro diversa actuali dispositione physica aut psychologica timentis. Qua in re peculiarem influxum habent imprimis sexus, deinde aetas, praeterea complexio organica, mentis debilitas, indoles, aeducatio et similes circumstantiae. Ad gravitatem metus confert *imminentia* mali quod timetur, ideoque quod malum minitans possit et soleat exequi intentatas minas; itemque quod malum non possit alia ratione facile vitari. Quae passio metus tunc quoque excitatur cum eodem effectum, si malum impendat personis stricte coniunctis velut parentibus, filiis, uxori etc.

(4) Scitum est tempore Innocentii III, vetitam fuisse communicationem cum quovis excommunicato, qui omnes erant vitandi ab his qui excommunicationem novissent, nondum facta distinctione inter vitandos et toleratos.

(5) Cfr. *Suarez*, D: legibus l. III, cap. 30. — De censuris, d. IV, sect. III, n. 7, 13, 14; *Hollweck*, l. c. § 18, not. 6; *D'Annibale*, I, 312. — *Ferrini*, Diritto penale romano, p. 206 inuct. L. 16, § 1, D. 40, 12; l. 7 § 1 D. 27, 6.

88. **Ius Codicis.** *Metus gravis etiam relative tantum, plerumque delictum tollit, si agatur de legibus mere ecclesiasticis. Quodsi actus sit intrinsece malus aut vergat in contemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis, vel in animarum damnum, delictum in violatione legis non excluditur sed imputabilitas minuitur.* Can. 2205, § 2, 3.

I. In violatione legis mere ecclesiasticae ideoque humanae aufertur in casu metus gravis imputabilitas, quia huiusmodi humanae leges cum gravi periculo seu gravi incommodo non obligant, cum earum obligatio non nisi ad moraliter possibilem extendi possit. Moraliter impossibilia seu quae supra ordinarias vires membrorum communitatis sunt nec legislator censendus est velle imponere, nec ut plurimum iuste imponeret. Si ergo cum legis ecclesiasticae observantia in casu particulari, respectu determinatae personae, speciale grave damnum sive grave incommodum accidentaliter coniungatur, hunc casum lex non comprehendit. Legis ergo transgressio, pro tali casu non obligantis, delictum esse non potest. Unde damnum seu incommodum vere grave dici possit, hoc prudenti iudicio aestimandum erit, attenta praesertim communi doctorum aestimatione et praxi Ecclesiae in singulis legibus. Generatim eo gravius requiritur incommodum seu gravius damnum per legis inobservantiam vitandum, quo gravior est sequela mala quam legis laesio secum affert, quo gravior in se est res praecepta, imo etiam quo altior est legislator, nam v. gr. in legislatore supremo amplior est potestas praeciendi quam in legislatore inferiori, et bonum commune totius societatis potest fundare maiorem necessitatem determinatae legis, difficilis et rigorosae, quam non satis fundaret aestimata necessitas legis ad peculiare territorium restrictae. Porro si metus sit adeo gravis, ut penitus adimat mentis deliberationem, culpa et imputabilitas penitus exclusae erit; sed tali in casu metus erit causa illius mentis perturbationis ex qua immediate ortum ducet exclusio imputabilitatis. Quam iuridicam doctrinam de exclusae imputabilitate, ob cessatam legis obligationem in casu necessitatis praeclare, more solito, evolvit *Suarez*, De legibus l. III, cap. 30. De censuris disp. IV, sect. 3, n. 7, 13-14 (6).

II. Non semper sed *plerumque* exclusum erit delictum in violatione legis ex gravi metu, quod clare deducitur ex allegata ratione;

(6) Cfr. quoque *D'Annibale*, I, n. 312; *Thesaurus*, De poenis P. I. cap. 18; *Hollweck*, l. c. § 18, not. 6; *Layman*, De censuris cap. 5, n. 9; *Schmalzgr.* l. V, tit. 39, n. 79.

indubium enim est legislatorem humanum, in casu nostro legislatorem ecclesiasticum, id exigente peculiari et extraordinaria necessitate boni communis, posse nonnumquam determinatae legis observantiam, rem difficilem et arduam praescribentis, urgere non obstante gravi incommodo vel gravis damni periculo (cfr. certas obligationes parochi, religiosi, celibatum clericalem etc.); quo casu permanente gravi culpa in legis violatione, permanet iuridicum fundamentum imputabilitatis et poenae. In talibus legibus periculum gravis damni et gravis incommodi necessitas est *per se* adnexum seu coniunctum actui praecepto, ideoque ex ipsa natura talis legis ex vera obligatione est subeundum.

III. Quodsi de lege mere ecclesiastica non agatur, sed de actu intrinsece malo, aut in lege ecclesiastica interveniat circumstantia ex qua exurgit obligatio iuris naturalis, tunc sicut grave peccatum in lege violanda adest, ita permanet imputabilitas criminalis; talis est casus in quo violatio etiam legis ecclesiasticae vergit in contemptum fidei, vel ecclesiasticae auctoritatis vel in animarum damnum (7). Sed etiam in hoc casu imputabilitas minuitur simul cum diminutione spontaneitatis, quam excludit involuntarium admixtum in actu ex metu posito. Cfr. cap. 5, X, de iis quae vi. I, 40 (Innoc. III) « licet metus attenuet culpam, quia tamen non eam prorsus excludat, cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere... »; unde apparet substantialis concordia cum iure antiquo (8).

89. Scholion. Codex non facit distinctionem inter metum ab intrinseco a causa necessaria procedentem et metum ab extrinseco procedentem a causa libera, et in hoc non fit distinctio inter metum iniustum et iustum. Ceterum metus impellens ad violationem legis poenalis ex parte metum incutientis numquam potest esse iustus.

(7) Puta si quis compellatur ad esum vetitum carni in odium fidei, ad admittendum excommunicatum vitandum in contemptum auctoritatis quae excommunicavit; talis est obligatio residentiae paroecialis tempore contagionis, quae inducat factum quod fideles careant necessario salutis subsidio v. gr. sacramentis moribundorum. Porro contemptus fidei vel ecclesiasticae auctoritatis hic non est intelligendus subiectivus ex intentione ponentis actum contra legem vel actum praeceptum omittentis, sed *obiectivus* qui resultet aut ex ipsa actus vel omissionis natura aut ex circumstantiis in quibus actus vel ommissio locum habeat.

(8) Ex c. 13 (Hieron.) C. XXIII, q. 5 non recte intulit *Schiappoli*, l. c. n. 103 puellae, ad conservandam pudicitiam, licitum esse suicidium; nam ibi non est sermo de suicidio, sed de fuga periculi, capta per medium periculosum.

Metus ab intrinseco reducitur ad necessitatem vel ad grave detrimentum, quod in Codice designatur per grave incommodum.

90. De necessitate, gravi incommodo, legitima defensione. Hae causae eximentes id habent commune, quod de sua natura integritati actus non obstant de se, nec auferunt aliquod elementum sive obiectivum sive subiectivum delicti.

Necessitas hic sonat praesentiam periculi vel imminentiam mali nec iusti nec legitimi. Quae necessitas distinguitur aut ratione *gradus* aut in relatione ad res circa quas versatur necessitas. Ratione *gradus* necessitas potest esse vel *ordinaria* seu *communis* vel *gravis* vel *extrema* seu gravissima. *Ordinaria* illa est a qua quis se sine gravi difficultate liberare potest aut, si vitari non possit, grave damnum non infert. *Gravis* illa est, unde imminet malum absolute vel relative grave quod aut vitari non potest aut non nisi cum gravi difficultate et extraordinario quodam medio. *Extrema* habetur dum imminet vitae periculum aut aliud boni similis aestimationis, nec periculum sine legis transgressione vitari possit nisi forte medio valde extraordinario. In considerationem hoc loco venit extrema et gravis necessitas, quae utpote factum probanda erit, nisi tales sint notae circumstantiae quae talem necessitatem de se inducunt.

I. *Necessitas* sensu explicato et *grave incommodum* (i. e. grave damnum seu detrimentum) ad idem fere reducuntur, et complectuntur casum metus ab intrinseco seu a causa necessaria procedentis, et differunt a causa legitima defensionis, in quo periculum gravis damni oritur ex iniusta libera aggressionem alterius (9).

II. *Necessitas* et *grave incommodum* sensu dicto delictum excludunt ex can. 2205 in transgressione legis mere ecclesiasticae. Quae exclusio delicti non ab omnibus poenalistis eodem modo explicatur.

(9) Etiam provenire potest ex actu libero et culpabili alterius, dummodo directe non oriatur ex iniusta alterius aggressionem, sed factum alterius etiam culpabile sit occasio vel causa ut quis versetur in periculo gravis damni: ita v. gr. qui propriam domum gravi incendio correptam videt, sive incendium procedat ex causa necessaria sive ex libera culpa alterius, dum salutem in fuga quaerit et in fuga grave detrimentum causat rebus aut bonis alienis, haec a fugiente laeduntur sine delicto, quod a statu necessitatis excluditur. In tali casu non ipsum dolosum incendium ab alio causatum eximit ab imputabilitate mei actus quo fugam capio cum laesione alieni iuris, sed status periculi gravis damni, in quo versor ex culpabili actione alterius. Illa eadem dolosa actio potest existere sine meo periculo, ut est manifestum.

Alii repetunt ex causa extrinseca, quae delictum de se non excluderet, nisi in quantum excluderet punibilitatem. Alii ex causa intrinseca, unde manet ablata et ratio delicti et *consequenter* poenalis imputabilitatis (10).

Theoriae repetentes a causis intrinsecis nituntur ut plurimum illi principio, quod inter inaequalia iura praevallet ius superius supra ius inferius, quod in conspectu iuris superioris iuridicum valorem seu iuridicum momentum amittit. Quare ubi necessitas et ius violatum sunt moraliter aequalia, tunc exurgit aequilibrium iuridicum, quod imputabilitatem et poenalitatem excludit; quodcumque demum sit ius quod permanet et quod peremptum manet v.gr. si duo naufragium passi luctant ad apprehendum idem lignum, quod pro utroque est unicum medium servandi vitam et utrique simul salutis medium esse non possit. Quae explicatio pertinet ad solum casum conflictus inter proprium et alienum ius privatum. Sed generalis ratio, quae complectitur etiam casum, in quo lex poenalis non protegit *directe* bonum privatum sed publicum, videtur esse illa ipsa, quae ex Suarezio et aliis canonistis allegata est, videlicet in tali casu lex suam obligationem pro tali casu necessitatis non sustinet seu casum necessitatis non comprehendit et ipsa lex poenalis, qua iura naturalia privatorum proteguntur, poenam responsabilitatem seu imputabilitatem non urget, cum hoc esset exigere rem humanis viribus imparem (11). Atque hic videtur esse sensus Reg. IV, De Reg. Iuris

(10) Cfr. S. Thomam 2. 2, q. 66, a. 7; Lugo, De iust. et iur. c. 16; Schmalzgr. V, 18 n. 45 sq.; Muenchen, l. c. II, p. 4, 8 sq. — Si cap. 3 h. t. Decret. desumptum ex poenitent. Theodori non videtur absolute excludere criminis imputationem in ablati ob extremam necessitatem, cum poenitentiam imponat nisi res in necessitate ablata fuerit restituta, non ideo opponitur communi doctrinae, quia ut iam observavit Kahn, l. c. n. 41, restitutio et reparatio damni non excusat a delicto in vero furto patrato, sed a peccato iniustae retentionis. Quare recurrendum est ad explicationem, quam in hoc caput n. 5 iam dedit Gonzalez sc. in antiqua disciplina iamdiu abrogata, non solum pro malis sed etiam pro *mali speciem* habentibus dabatur poenitentia: quae species mali in casu peractae restitutionis non amplius adest. Codex speciales conditiones illius status necessitatis seu periculi non enumerat. Sed ex natura rei requiritur: a) *gravitas* periculi seu damni; b) *inevitabilitas*, si enim aliter sine damno vitari possit periculum, iam non sumus in casu necessitatis; c) *finis actionis contra legem* seu intentio agentis debet respicere periculi vitiationem, secus cum statu necessitatis misceretur dolus.

(11) Ad rem facit c. 11 (Ps. Isid.) D. 1 « quoniam necessitas leges non habet », c. 26 D. 5 de cons.; c. 2 i. C. X, de observ. ieiun. III, 48 « cum non subiaceret legi necessitas »

in V, Decretalium « Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum; nam et Sabbatum custodiri praeceptum est, Machabaei autem *sine culpa* sua Sabbato pugnabant; sic et hodie si quis ieiunium fregerit aegrotus, reus voti non habetur... » Evidens autem illius Regulae sensus est, necessitatem reddere licitum, quod ceteroquin esset illicitum in lege. Ibi autem non solum de humana lege ponitur exemplum, sed etiam de lege divina positiva, ex qua duplici lege aliquid redditur malum quia prohibitum nec est malum natura sua. Nec procedit illa regula circa illicita in lege naturali, quae ex nulla necessitate licita fieri possunt. Atque haec est illa exceptio, quam sancit can. 2205, quae eodem modo valet pro casu gravis metus, gravis necessitatis et gravis incommodi.

91. Grave incommodum in Codice ponitur tanquam caput distinctum a casu gravis metus et a casu necessitatis, et per adiectam particulam *imo* videtur illo verbo significari aliquid minus quam status necessitatis; sed criterium ad distinguendum grave incommodum a necessitate non proponitur; unde non facilis est distinctio. Sed quoniam grave periculum seu grave praeiudicium necessitatem inducens, non *absolute* considerandum est, sed relative ad damnum per legis transgressionem causatum, ad inevitabilitatem talis damni citra legis transgressionem et ad ipsius legis gravitatem seu momentum, poterit accidere ut incommodum subeundum haberi poterit *grave* respectu legis *minoris* momenti, et respectu *damni levioris* in eius transgressione contenti; unde tandem habeatur casus gravis incommodi, quod minus proprie diceretur vera et stricta necessitas.

92. Scholion I. Codex expresse quaestionem non ponit, num necessitas eximens sit necessitas exclusive *personalis*, an extendatur ad tertias personas, quibus adsistat idem titulus necessitatis, et quae se ipsae defendere seu liberare non possint. Videtur dicendum non restringi ad propriam personam, nec etiam ad agentis propinquos, sed extendi etiam ad extraneos, et debere admitti etiam in hoc casu legis observantiam non debere urgeri, quam non subiret ipsa persona quae in tali necessitate versatur: in tali casu protegatur bonum quod lex ipsa censetur praeferre bono, quod ipsa lex sancit per normam communem; cum praesertim in foro canonico ad rationem potioris boni accedat praeceptum *caritatis*, cuius exercendae occasio exhibetur in casu necessitatis proximi.

93. Scholion II. Si quis se ipsum voluntarie coniciat in periculum seu necessitatem aut in circumstantias quae ipsam necessitatem inducunt, specialem legis protectionem non meretur. Quare sacerdos navigaturus, qui in mare proicit breviarium, ex necessitate seu potius ex impossibilitate in quam se constituit omittenti breviarii recitationem excusationem petere non poterit; sed in casu imputabilitas proveniet ex dolo vel culpa projectionis breviarii. Haec autem deliberata voluntas non est confundenda cum inadvertentia seu levi negligentia, sub qua adhuc eximit necessitas.

94. Mandatum vel praeceptum in eo differunt quod mandatum stricto sensu est commissio alteri facta committendi delictum in utilitatem mandantis, qui tale mandatum acceptat et delictum patrat. Iam in tali notione mandati (contractus mandati) satis apparet ex mandato libere acceptato peti excusationem non posse, sed potius inde oriri concursum duorum delinquentium, quorum alter moraliter alter physice concurrat ad delictum patrandum, de quorum respectiva imputabilitate postea erit agendum. Potius (12) *necessitatem* quamdam *moralem spiritualem* inducit praeceptum legitimi Superioris (13), cui contra legem dato profecto obtemperandum non est maxime ubi agitur de violanda lege divina (14); at ubi agitur de lege mere ecclesiastica, subditus invenitur in conflictu seu collisione inter legis et praecepti adimpletionem, quo casu facile subditus poterit liberari ab omni imputabilitate, quae tota refundatur in superiorem praecipientem. Id maxime valet de iussu seu praecepto publicae auctoritatis cuius iussa discutere inferior non tenetur et plerumque non potest; facile potest existimare, tametsi [contrarietatem inter legem et praeceptum noscat, in praecepto dato contineri saltem implicite legis abrogationem pro casu determinato. Ob contrariam rationem, cum

(12) De praecepto cum lege collidente cfr. c. 92, 93, 97, 91, C. X, q. 3: de inoboedientia erga dominum praecipientem; c. 13, 41, C. XXIII, q. 5, de milite ex iussu potestatis hominem occidente; c. 41, C. XXIII, q. 5, de collisione officii per legem poenalem impositi cum Superioris iussu; c. 41 (Aug.) ead. — Suarez, De legibus I, I, cap. 9, n. 17; D'Annibale I, 178; Layman, De legibus c. 14, n. 5 sq. cap. 19; Hollweck, I, c. § 18, 19; Lega, I, c. n. 39; Reiffenstuel in R. I. 6, in Sext.; Schmalzgr. I, I, tit. 2, n. 33.

(13) Cfr. C. 13 (Hieron.), c. 41 (Aug.) C. XXIII, q. 5.

(14) Ius ecclesiasticum constanter inculcat principium « oportet Deo magis quam hominibus obedire ». C. 92 (Aug.) C. XI, q. 3; c. 93 (Hieron.), 97 (Aug.), 91 (poenit. Ps. Hieron.) ead.; c. 1 C. XXII, q. 5.

auctoritatis defectus in iubente sit manifestus, non licet obedire praecipienti contra legem v.gr. ex potestate domestica seu dominativa; quamvis in hoc casu facile aderit grave incommodum seu timor gravis damni ex non adimpleto praecepto, unde ex dictis petitur exclusio imputabilitatis criminalis (15), modo potestatis praeceptum, quod comitantur circumstantiae gravis intimidatione, non redundet in contemptum fidei, religionis aut ecclesiasticae auctoritatis.

95. Scholion. Ius nostrum semper admisit principium « scienti et consentienti non fit iniuria neque dolus ». R. I. 27 (V, 12) in VI adhaerens principio iuris romani, quo proprii iuris renuntiatio habebatur ut causa iustificans in violationibus in quibus damnum sociale non haberetur. Sed omnino requiritur ut quis *voluerit* et *potuerit* ius suum renuntiare: quae potestas non adest, si renuntiationi obstat bonum publicum v.gr. in violatione privilegiorum clericorum, quae sunt privilegia status.

96. Causa legitimaе tutelae. Haec causa adest, cum quis versatur in actuali laesionis periculo, nec invocari potest auxilium seu protectio legitimaе auctoritatis socialis, sed unicum medium suppedit ad proprii iuris defensionem ut per vim repellatur vis iniusti aggressoris. — Haec est legitima tutela, quae ex can. 2205, § 4 imputabilitatem et delictum prorsus excludit, modo fuerit servatum moderamen inculpatae tutelae.

I. In iure Romano *Paulus* aperte proclamavit: « vim vi defendere omnes leges omniaque iura permittunt » (16). Similiter *Cicero*, Pro Milone, ius propriae defensionis contra iniustam aggressionem vocat legem ex ipsa natura haustam. Nec defuit circumscriptio illius iuris, per circumstantias necessarias ut habeatur legitimum, ut sc. ageretur de vi iniusta et actuali, et quod damnum aggressori illatum esset necessarium ad propriam tutelam (17).

(15) Cfr. *Latini*, I, c. p. 120, 125 sq.; *Roberti*, I, c. n. 166; *Michiels*, I, c. p. 207 sq. et quoad poenalistas fori saecularis, *Bettioli*, L'ordine dell'autorità nel diritto penale (Milano 1934) p. 29 sq. ubi adducitur de argumento copiosa litteratura, p. 40 sq. ubi criterium discutit circa agnoscendam legitimitatem praecepti, et p. 59 sq. crism instituit circa iuristarum opiniones relate ad limites obedientiae a subdito debitae.

(16) L. 45, § 4 D. 9, 2.

(17) L. 5 D. ad leg. Aquil. 9, 2.

II. Indubitato modo eadem doctrina proponitur in fontibus iuris canonici. Ita in c. 7, D. I. (S. Isidorus): « Ius naturale est commune... violentiae per vim repulsio ». In c. 3, X. V, 39 (Alexander III): « Si clericum vim sibi inferentem vi quis repellat vel laedat, non debet propter hoc ad sedem apostolicam transmitti (ad obtinendam absolutionem) si in incontinenti vim vi repellat, *cum vi repellere omnes leges omniaque iura permittant* ». Limites defensionis circumscribit Innocentius III (cap. 18 X. V, 12): « tamen id debet fieri *cum moderamine inculpatae tutelae*, non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam ». Cfr. quoque Innocent. IV (cap. 6, V-11 in Sext.) et Clement. V (cap. unico in Clement. V-4). Inde prodiit communis doctorum doctrina (18).

Quae doctrina canonistica, praeter fontes, fundata fuit in principio ethices christianae, a theologis moralistis communiter admissa quod, servato moderamine inculpatae tutelae, liceat se defendere contra iniustum aggressorem, etiam usque ad aggressoris occisionem, si ad defensionem talis cruenta tutela sit necessaria. Quod ius nascitur ex iure ad vitam; ius autem natura sua coactivum est; aequitas autem naturalis postulat ut potius iniustus invasor damnum sentiat quam iniuste invasus. Porro nisi illa defensio esset licita securitas publica in periculum manifestum vocaretur, cum quo fidelius innocentes a violenta defensione abstinerent, eo magis cresceret improborum audacia (S. Thom., 2, 2, q. 64, a. 3; Lessius, De iust. et iure cap. 9, dub. 8).

III. Quae autem de defensione vitae valent, pariter admittuntur de defensione membrorum, libertatis, pudicitiae, bonorum materialium magni momenti (19). Etiam alios innocentes modo dicto defendere licet atque adeo ex caritate potest quis teneri. Valet autem principium etiam de aggressionem amentis vel ebrii, qui licet formaliter forte non sit iniustus, materialiter et obiective iniustus est.

97. **Ius Codicis.** I. Sine limitatione quoad bona contra iniustam aggressionem tuenda, secundum praeformatam doctrinam ex ipso

(18) S. Thomas, 2, 2, q. 64, a. 7; *Glossa* in cit. cap. 18 (V, 12); *Hostiensis*, Summa aurea, in l. V, tot. 18, n. 2; *Reiffenstuel*, (V, 12) n. 13) sq.; *Schmalzgrueber*, doc. n. 31 sq.; *Suarez*, De censuris disp. 46; *Thesaurus*, P. II, de homicidio, cap. 1; *Hollweck*, l. c. § 162.

(19) Cfr. *Schmalzgrueber* (V. 12) n. 59 sq.; *Reiffenstuel*, eod. n. 137; *Schiappoli*, l. c. n. 99, 100; cfr. quoque proposit. ab Innoc. XI damnatam « Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei ».

iure naturali derivatam, declaratur exclusum delictum in casu iustae defensionis contra actualem aggressionem, non in casu vindictae contra laesionem iam passam et non perdurantem. Vindicta pertinet ad publicam auctoritatem; defensio contra *actualem* aggressionem ad illam impediendam seu praestandam a publica auctoritate obtineri generatim non potest, et agitur de bonis quorum iactura est irreparabilis aut non facile reparabilis ad aequalitatem. In tali impossibilitate protectionis publicae auctoritatis, subintrat ius naturale cuiusque hominis, per se defendendi illa iura, quorum tuitio pertineret ad publicam potestatem. Quare nihil mirum quod passim etiam leges modernae, in suis codicibus poenalibus, illam legitimam defensionem admittant ut causam imputabilitatem excludentem, sive absolute sive saltem in defensione vitae et contra laesiones personales (20).

II. Ut externa actio contra legem poenalem legitima sit et non imputetur, oportet ut servetur moderamen inculpatae tutelae, per quem modum loquendi significatur: 1° ut quis vere sit constitutus in necessitate defensionis ideoque vis vi repellatur incontinenti seu ipso momento quo aggressionem patitur, non postea ex intervallo, cum iam aggressor non amplius nocere vult aut non potest, secus actio contra aggressorem non amplius ex iusta defensione, sed ex vindicta proveniret (21); 2° ex parte subiecti aliud non debet intendi quam aggressionem repellere; 3° ex parte obiecti requiritur ut moraliter non plus damni inferatur, quam quod ad defensionem necessarium est. Quae conditiones si non servantur habetur excessus in defensione, imputabilitatem non excludens sed plerunque minuens; cuius diminutionis aestimatio ad prudens arbitrium iudicis pertinet (22). Quae defensio seu tutela ex communi doctrina etiam praestari potest in favorem personae innocentis, circa eadem bona, quae potest

(20) Cfr. *Roberti*, l. n. 158; *Michiels*, l. c. p. 216, 217; *Reitmeyer*, Die histor. Entwicklung der Nostandslehre p. 108 sq.

(21) Num ita requiratur *actualis* aggressio, ut non sufficiat invasio iniusta certo praevisa et signis manifestis demonstrata, non in omnibus casibus per regulam generalem definiri potest: in genere videtur dicendum licere praeveneri iniuste aggredi volentem, saltem ubi merito timeri debeat, sine praeventione sufficienter resisti non posse adversario mox et certe aggressuro; imminens aggressio certa in morali aestimatione est aggressio actualis. *Reiffenstuel*, l. c. n. 132; *Suarez*, De censuris disp. 46, cec. I, n. 7.

(22) Can. 2205, § 4.

quis per vim tueri quando sunt propria (23). At excusatio non datur in defensione proprii honoris seu famae, quae si iam laesa fuit, non haberetur defensio sed vindicta, nec v.gr. occisio aggressoris famae est medium necessarium ad laesionem impediendam (24).

III. Exclusio delicti in casu legitimae tutelae videtur repetenda cum S. Thoma (2, 2, q. 66 a. 7) ex obiectiva liceitate actus, qui nec naturali iuri opponitur, nec positivo iure punitioni obnoxius esse potest, ideoque non est imputabilis criminaliter; deficit proinde obiectivum elementum oppositionis cum lege poenali, tametsi nullum deficiat elementum subiectivum imputabilitatis; licet fatendum sit plerumque etiam subiectiva elementa imputabilitatis manere diminuta ob subitaneum motum invasi contra invasorem, qui excitatur ex apprehensa inevitabilitate damni sine actu proprio qui praeventiat actum invadentis. Porro auctoritas socialis, ubi suam protectionem suppeditare nequit, debet permittere ut iura sociorum suam exercent vim coactivam quam a natura habent. Actus proinde est *licitus* et *iuridicus*, quod de lege canonica fit manifestum ex ipso tenore can. 2205 § 4. Excessum, qui praetergreditur limites iustae defensionis, nec proinde culpa vacat, idem canon reddit criminaliter imputabilem ideoque antiuridicum (25).

98. Causa provocationis, etiam imputabilitatem et delictum non aufert, minuit tamen pro diversa gravitate et perseverantia provocationis: haec enim passiones excitat, praesertim passionem irae, quae mentem obnubilat et deliberationem praeventit aut saltem non sinit capi quiete et pacate, unde dolus minuitur, qui praecise consistit in deliberata voluntate legem violandi.

(23) *Reiffenstuel*, l. c. n. 136 et n. 149 ubi agit de obligatione fugae, si per hanc evitari aggressio possit.

(24) Cfr. damnatas propositiones 17. 18 ab Alexandro VII et 30 ab Innoc. XI. *Denzinger-Bannwart*, Enchir., n. 1117, 1180.

(25) Cfr. *Roberti*, I, 158; *Battiol*, L'ordine dell'autorità nel diritto penale, p. 71 sq.; *Reitmeyer*, Die historische Entwicklung der Notstandslehre p. 22, 32 sq.

CAPUT X

De passionibus (1)

99. Passiones sunt certe uberrimus et praecipuus fons delictorum. Unde *moralista*, praesertim *theologus*, considerat in passionibus eversionem illius hierarchiae divinitus constitutae, qua animus debet dominari corpori, in cuius appetitu sensitivo passiones habent suam radicem; ideoque illas respicit tanquam inimicas moralitatis, tanquam fontes peccatorum, quibus proinde bellum est indicendum. Haec quidem admittere debet poenalista, sed is passiones sub diverso respectu considerat. Delictum habet suam imputabilitatem in ordine ad poenas a potestate publica infligendas ex deliberata voluntate laedendi ius alterius aut societatis seu boni publici: ergo quaecumque coactio in voluntatem exercita, etiam a facultate aliqua interna, quamvis illa sit vitiosa, minuit dolum unde delictum sumit imputabilitatem, auferendo spontaneitatem determinationis voluntatis; diminutioni doli debet respondere diminutio imputabilitatis.

100. Sunt autem passiones animi affectiones cum commotione organica corporis coniunctae, quibus homo impellitur in bonum sensibile vel a sensibili malo retrahitur (concupiscibiles, irascibiles et ab his derivatae).

Dicitur *antecedens*, si praecedit voluntatis liberum consensum ideoque affectio propria passionis a voluntatis imperio non procedit, sed ipsa voluntatem allicit ad actum illi affectioni praesistenti congruum. *Consequens* dicitur ea, quam ipsa voluntas libere excitavit.

101. Principia canonis 2206 attenda natura passionum sunt obvia.

I. « *Passio si fuerit voluntarie et deliberate excitata vel nutrita, imputabilitatem potius auget* ». Nulla in casu habetur diminutio in elementis imputabilitatis, sed potius incrementum et quidem voluntarium. Est casus odii, qui voluntarie excitatur et quaeruntur in dies

(1) *Latini*, p. 126 sq.; *Roberti*, n. 131 sq.; *Michiels*, l. c. p. 220 sq.; *S. Thomas*, 1, 2, q. 22 sq.; *Meyer*, Iust. iur. nat. n. 119 sq.

media ad illud explendum in executione praemeditatae vindictae. Porro praemeditatio significat aliquid plus quam simplex deliberatio. Non deficit ergo elementum cognitionis, quia deliberate excitatur et nutritur passio, dum de industria mens defigitur in rationibus seu ideis passionem excitantibus; ergo passio est cum plena cognitione volita etiam in ordine ad influxum quem exercet in voluntatem. Aliunde voluntas cum maiori impetu et vehementia fertur in actionem pravam: unde augetur etiam elementum voluntatis. — Porro idem obtinet in passionibus quibus prosequimur bonum delectabile, cum de industria excitantur vel nutriuntur.

II. Quodsi passio fuerit antecedens « *imputabilitatem minuit plus minusve pro diverso passionis aestu* ». Passio excitata facit ut intellectus defigatur in consideratione obiecti delectabilis et avertatur a consideratione contrarietatis proprii actus cum lege; unde minuitur mentis aequilibrium inter bonum sensibile et obligatio legis et consequenter arbitrium seu libertas voluntatis, in quam moralem coactionem exercet ipsa passio.

III. Si omnem mentis deliberationem et voluntatis consensum praecedat et impediat, passio imputabilitatem omnino tollit. Id potissimum accidit in illis passionibus, quae dicuntur coecae velut ira, quae voluntatem coeco quodam impetu rapiunt, nulla aut vix ulla relicta voluntati mora ad eligendum (2). Prorsus autem abstinendum est ab admittenda sic dicta passionum vi irresistibili, de qua passim moderni Codices mentionem faciunt et unde tam frequenter excusantur et impunita relinquuntur crimina sic dicta passionalia; talis enim generalis excusatio moralitatis principii est contraria; quaevis etiam violenta passionis pulsatio vinci potest in homine normali, in christiano vero adest gratiae auxilium, quo homo possit, ut tenetur, appetitum sensitivum domare et ad rationis recta dictamina subiicere.

Quare in ipsis actionibus, quae ex impetu irae ortum ducunt, imputandis, habenda est ratio: 1°) Gradus iniustitiae illius causae, quae iram concitavit; 2°) maior vel minor quantitas mali contenti in iniuria, quae irae causam praebuit; 3°) maior vel minor facilitas patrandi crimen, quod ex impetu committitur; 4°) temporis intervalum, quod interfuit inter irae exarsionem et patrationem criminis: nam si est magnum intervallum, potius agitur ex odio quam ex ira;

(2) Cfr. *Latini*, l. c. p. 129, 130.

ex odio autem non agitur praecipitanter, sed potius pacate ideoque cum maiore malitia.

Sermone forensi solet dici excusatio (plus minusve plena) peti *ex provocatione*, quando ira excitata fuit ex malo nobis illato; dicitur autem peti excusatio *ex iusto* dolore, cum ira excitata fuit ex damno illato nostris bonis vel personis quae nobis sunt carae, quia amore, amicitia vel sanguine coniuncti.

CAPUT XI

De causis delictum aggravantibus (1)

102. In canone 2207, ubi binae dumtaxat enumerantur circumstantiae delictum aggravantes, expresse sancitur alias quoque dari nec ibi fieri enumerationem taxativam. Ipsi Codices moderni plures non solent proponere illam enumerationem, sed peculiare causae aggravantes considerant potius in singulis delictis, dum determinant poenas quibus sunt coercenda (2). Porro haud raro delicti speciem mutant, aut legis poenalis distinctae sunt obiectum ideoque speciale delictum constituunt, vel a iure habentur ut elementum determinati ipsius delicti constitutum.

103. Multiplicis generis esse possunt. Aliae sunt *reales*, quae respiciunt obiectum (res aut persona) actionis criminosa v.gr. qualitatem minoris; aut locum (blasphemia in loco publico); aut tempus (v. gr. divinorum officiorum) aut modum executionis (homicidium proditorium, forte cum effractione domus); aut eventum (damnum subsequutum). Aliae sunt *personales* velut specialis malitia seu crudelitas in delicto exequendo, dignitas delinquentis, abusus auctoritatis vel officii, praemeditatio, passio directe excitata, recidivitas.

104. Hoc loco Codicis tres enumerantur causae unde delictum augetur:

I. « *Pro maiore dignitate personae quae delictum committit* ». Quo persona delinquens in maiori dignitate est constituta gravius

(1) *Roberti*, I, 137; *Michiels*, l. c. p. 223 sq.

(2) Novus Codex poenalis Italiae art. 61 illam enumerationem habet.

BIBLIOTHECA
MUSEI HISTORICIS SOCIETATIS SCAUDINENSIS

est scandalum fidelium et pravum exemplum ipsis datum; cuius scandalum in Ecclesia praecipua habetur ratio, cum in damnum commune animarum vergat. Quis v.gr. non videt quam diversa sit ratio scandalum si Episcopus committeret homicidium, quam in eodem delicto commisso a simplici fidei aut a clerico tonsurato aut minorista? quam grave damnum spirituale fidelibus afferant gravia delicta parochi? Idcirco iam Tridentinum (sess. XXII, cap. 1 de ref.) de clericorum delictis dixerat: «*levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent effugiunt*» (3). Similia tradunt theol. moralistae de gravitate peccati.

II. «*Pro maiore dignitate personae, quae delicto offenditur*». Hoc est implicitum in ipso conceptu offensae et est insitum in sensu communi hominum. In praecipuis delictis, quibus directe offenditur persona, iam generatim cavet pars specialis iuris poenalis, cum statuat diversas poenas. Deinde saepe delictum in personam in dignitate constitutam est contra ipsam auctoritatem et directe contra bonum publicum: damnum *immediatum* erit idem, *mediatum* vero longe maius (4).

III. «*Ex abusu auctoritatis vel officii ad delictum patrandum*» (5). Etiam in parte speciali libri V habetur ultimus Tit. XIX sub rubrica «*De abusu potestatis vel officii ecclesiastici*», ubi determinati quidam abusus notantur cum respectiva punitione. Ergo si determinatus abusus non refertur tamquam speciale delictum, saltem circum-

(3) Similia occurrunt sess. XXIV de ref. Proemium; sess. XXV de ref. cap. 14. In iure antiquiori c. 4, C. 25, q. 1 «*siquidem maiori reatu delinquit qui potiori honore fruitur, et graviora facit vitia peccatorum sublimitas peccantium*»; c. 5. D. 19 «*quia maioris excommunicationis deiectione est abiiciendus, cui sanctae ecclesiae commissa fuerit disciplina*»; c. 16, D. 4: «*ut sicut minorem maior praecedat in honore, ita in crimine, et quem maior sequitur culpa, maiore plectentur vindicta*». — Cap. 12, X, II, 24: «*in episcopos, qui suum transgressi sunt iuramentum, est tanto gravius vindicandum, quanto maiore praeeminent dignitate, et eorum exemplo facilius alii poterunt ad similia provocari*. — In ipso quoque iure Romano valuit simile principium «*scelus omne gravius facit claritudo personae*». Nov. VII, 5, 1. Cfr. quoque L. 2 § 1; 5 D. 49, 14; l. 14, D. 48, 19.

(4) Cfr. in rem cap. 1 in Clement. V, 8 «*licet... ex dignitate offensi poenam metiri deceat offendenti*». Can. 2227 dum Cardinales generatim sub lege poenali dicuntur non comprehendi et Episcopi sub certis poenis latae sententiae, non fit vera exceptio a regula, cum horum causae quoad iudicium criminale sint reservatae iudicio Rom. Pontificis, a quo sunt coercendi secundum prudens ipsius R. P. iudicium.

(5) Cfr. *Roberti*, l. c. I, 142 sq.; *Michiels*, l. c. pag. 230 sq.

stantia quod quid abusus fuerit sua auctoritate vel officio ad delictum patrandum erit circumstantia huiusmodi delictum aggravans (6). In omnibus etiam Codicibus modernis fori saecularis haberi solet titulus specialis, in quo legislator delicta commissa ex abusu auctoritatis.

In tali abusu habetur specialis ratio scandalum, sive in habente auctoritatem sive in habente officium publicum si ea vel eo abundantur ad delictum patrandum: auctoritas enim et officium dantur ad publicum bonum procurandum; gravius est si inde, unde speranda erat promotio boni publici, habeatur boni publici seu publici ordinis perturbatio: quodsi agatur de delicto contra privatas personas, gravius est si auctoritate vel officio quis utatur tamquam instrumento ad iura violanda, quae potius data erant ad illa iura tuenda.

Verificari autem abusus potest multipliciter, nec facilis est enumeratio completa; unde circumstantiae aestimatio relinquitur prudenti iudicis arbitrio ex circumstantiis facti criminosi colligenda.

CAPUT XII.

De imputabilitate delicti in recidivis (1)

105. *Reincidentiam* in delictum esse generatim considerandam ut circumstantiam delictum aggravantem consentiunt satis communiter recentiores criminalistae, supponit enim plerumque pervicaciam in mala voluntate unde subiectivum delicti elementum augetur, red-

(6) Inter canones antiquos cfr. v.gr. c. 8, 10, C. XXX q. 1; caput 11 X, V, 31 «*cum in illis magis plectibilis sit offensa, per quos ad excusandas excusationes in culpis delinquendi auctoritas usurpatur*».

(1) Cfr. *De Wendt*, De delictis recidivis, Erlang. 1824; *Gilkinit*, De recidivis, Leod. 1825; *Schmyll Vander Doess*, Diss. de pluribus ab eodem commiss. criminibus. Trai. ad Rhen. 1826; *Nypels*, Diss. de delictis recidivis, Lov. 1828; *Van der Bulke*, De relapsu in maleficium, Gand, 1829; *Carrara*, Stato della dottrina sulla recidiva, Lucca 1863; *Brussa*, Della recidiva, Milano, 1866; Arch. tedesco di Dir. Crim. II, 578, V, 415, IX, 20, 648, XV, 415, XLV, 412; *Ivernès*, De la récidive, Paris 1874, apud *Pessina*, Dir. penale, § 139; *Katz*, Grundriss des canonischen Strafrechts, p. 55; *Kahn*, Le délict et la peine, p. 63; *Hollweck*, l. c. § 10; *Roberti*, l. n. 144 sq.; *Latini*, l. c. p. 164 sq.; *Michiels*, l. c. 232 sq.; *Amor Ruibal*, Derecho penal de la Iglesia, tom. I, n. 346 sq.; II, n. 110.

dit delinquentem magis societati periculosum illo periculo cui praesertim per leges poenales occurrere debet legislator atque pravum exemplum suppeditat frustrando finem ipsius legis poenalis.

106. Iam in *iure Romano* occurrit conceptus specialis gravitatis in reiteratione delicti, praesertim eiusdem generis, unde oritur *consuetudo delinquendi*, cuius iterationis effectus habetur, ut iterato delinquens remissionem veniae obtinere non debeat (2) atque adeo gravius sit puniendus (3). Idem fere habetur in iure germanico, ubi reincidentia in crimen eiusdem generis est causa cur poena non parum augeatur (4).

Ius canonicum etiam specialem habuit rationem conditionis *recidivi* in ordine ad novorum delictorum imputationem (5), non solum in delicto haeresis, ubi reincidentia propter specialem huius delicti indolem potius videtur constituere novam delicti figuram (6), sed etiam in omnibus delictis saltem habetur ut causa delictum aggravans (7); et quamvis praesertim spectetur in delictis eiusdem generis et post condemnationem vel post incursum poenam latae sententiae, nihilominus etiam in delictis diversi generis reincidentia non negligitur, cum ex communiter contingentibus minorem revelet reverentiam erga disciplinam ecclesiasticam et inde maiorem malitiam, et insuper gravius adsit periculum salutis in iterato delinquente, ad quam procurandam saltem indirecte ordinatur vel ipsum medium sociale potestatis punitivae.

Quare si hodie in quaestione connexa, ad obtinendam delinquentis emendationem, quoad leviora delicta, multum insistitur a criminalistis in convenientia introducendi *condemnationem conditionatam*, haec aequivalenter iam contineri videtur in illo praecepto a

(2) L. 6, C. Th. 9, 38, L. 3, C. 1, 4 « remissionem veniae crimina nisi semel admissa non habeant ». L. 10 C. Th. 9, 38, « indignus est humanitate qui post damnationem commisit in legem ».

(3) L. 28 D, 48, 49; L. 3 § 9 D. 49, 16, etc.; *Ferrini*, l. c. n. 98; *Pessina*, l. c. § 140.

(4) Cfr. v.gr. *Lex Wisig.* III, 2, 3; VII, 6, 2; *Lex Baiuw.* VII, 2, 3, add. V, 4, 15; *Lex Frisson.* add. III, 7, 8, etc.; *Pessina*, l. c. § 140; *Del Giudice*, l. c. n. 54 c).

(5) *Kahn*, l. c. n. 63; *Mayer*, *Geschichte der Strafrechte*, p. 300 sq.; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 949 sq.; *Schiappoli*, l. c. n. 117. Aliter *Katz*, l. c. p. 55.

(6) C. 9, 13, § 7 X, de haeret. V, 7; c. 4, 8, pr. eod. V, 2, in Sexto.

(7) C. 52, D. 50; c. 2, c. XV, q. 8; c. 43, C. XXIII, q. 5; c. 2, X, de cler. exc. V, 27; c. 2, X, de purg. canonic. V, 34.

Conc. Tridentino (sess. XIII, c. 1) Episcopis facto de usu potestatis coercitivae, ut fideles « quos per humanam fragilitatem peccare contigerit » secundum praeceptum Apostoli (2 Tim. IV, 2) prius « arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia »; deinde si opus sit praesertim in delictis gravioribus ad usum virgae recurrant « quum sit diligentis et pii simul pastoris officium morbis ovium levia primum adhibere fomenta; post ubi morbi gravitas ita postulet, ad acriora et graviora remedia descendere; sin autem nec ea quidem proficiant illis submovendis, ceteras saltem oves a contagionis periculo liberare ». Quae praeceptio Conc. Trid., quam Codex suam fecit can. 2214, evidenter continet spiritum iuris poenalis ecclesiastici speciali modo respicientis delinquentis fidelis emendationem et inde primis transgressionibus praesertim levioribus facile concedentis veniam sub spe resipiscentiae, in iteratis vero delictis, quae fidelem recidivum constituunt, circumstantiam aggravantem agnoscentis. Ceterum ipsam damnationem conditionatam, certis conditionibus accurate circumscriptam, Codex induxit.

107. In iuribus quoque modernis generaliter admittitur reincidentia tamquam circumstantia culpam et poenam aggravans, licet non eadem ratione, dum in nonnullis Codicibus sola recensetur reincidentia specifica, in aliis etiam generica; in plerisque requiritur sola praevia condemnatio, in aliis ut poena fuerit saltem ex parte expiata. Eadem diversitas reperitur apud poenalistas. Qui iuristarum diversus sentiendi modus pendet a diverso principio, unde repetunt maiorem imputabilitatem in recidivo et consequentem necessitatem aggravandi poenam. Nam plures, iique celebres, maiorem quantitatem inveniunt in iterato delicto, ideoque maiorem imputabilitatem in ordine ad poenam. Non quidem, aiunt, adest maior quantitas *naturalis* (furatus est 100, deinde iterum 100; vulneravit Titium, deinde Caium), sed maior quantitas *politica*, maius damnum *mediatum* in societatem; quia inde augetur timor bonorum, cum videant poenam non fuisse sufficientem ad frenandum delinquentem; augetur etiam pravum exemplum, cum ita pravi homines videant qua ratione contemnatur poena ab eo qui poenam luit.

At alii, duce *Carrara*, hoc non admittunt. Nam, ex dictis, naturalis quantitas secundi delicti potest esse aequalis; nec necessario est maior quantitas politica, haec enim reperiri debet in ipso facto criminoso, non in aliquo accidentaliter et extrinsece cum ipso con-

nexo. Porro rationes augmenti damni mediati non valent nisi pro casu quod sit *notorium* reum commisisse hoc delictum et aliud seu sit notoria recidivitas. Quae notorietas est factum extrinsece et accidentaliter cum delicto connexum. Conditio recidivi saepe non apparet nisi post prolixas investigationes iudiciales iam processu ad exitum perducto. Iam vero imputabilitas facti criminosi non debet repeti ex circumstantiis ipsi delicto atque adeo personae delinquentis extrinsecis. Si ergo severior ratio puniendi recidivi adhibenda est, quod facile omnes admittunt, haec non est repetenda a quantitate delicti secundi nec a maiore huius imputabilitate, nec delictum primum iam per condemnationem et poenam expiatum potest cumulari cum secundo. — Unde ergo petenda ratio severioris punitionis? Iuxta hos auctores ex *insufficientia relativa* poenae *ordinariae*, quam ipse reus proprio facto demonstravit, contemnendo priorem ordinariam poenam et ita relabendo in delictum. Ita ergo explicant: legislator praevidet pro determinato quodam delicto (v. gr. furto) esse poenam sufficientem determinatam quamdam mali quantitatem v. gr. duos annos carceris: et de facto pro plerisque illa poena est et demonstratur sufficiens. Si quis, non obstante illa poena comminata, primo delinquit, non est mirum, quia illam poenam nondum expertus est; sed praesumitur (praevisionem legislatoris), quod experientia seu sufferentia illius poenae illum retrahet a secundo delicto committendo; quae praesumptio pariter confirmatur vera in maxima parte delinquentium, qui post talem expiatam poenam non relabuntur. Quando ergo per exceptionem post experimentum poenae damnatus iterum delinquit, ostendit se illam poenam contemnere et pro ipso non esse sufficiens frenum ad ipsum a delicto avertendum. Iterum renovare eandem poenam esset inutile, quia factum ostenderat esse *relative* insufficientem. Ergo aggravanda poena est. Quare fundamentum severioris punitionis esset praesumptio de *relativa insufficientia* poenae *ordinariae* contra relabentem. Quae ratio est independens a circumstantiis extrinsecis ipsi facto criminoso, sed potius est intime connexa cum secundo delicto, quae non habetur in primo: nihil mirum, si secundum diverso modo i. e. gravius puniatur; iustitiae leges perfecte servantur. — Atque inde etiam fit ut hi auctores recidivitatem non considerent, nisi in eo qui poenam iam subiit et hunc vocant recidivum *verum*; *fictum* recidivum habent qui relapsus est in delictum post condemnationem firmam et ante expiatam poenam. Item distinguunt in *propriam* si in delictum eiusdem speciei, et *impropriam* si in delictum speciei diversae.

Argumenta utriusque sententiae gravis momenti sunt et aliquid veri profecto habent; nec ita sunt opposita ut non facile in concordiam redigi possint et sub diverso respectu conspirant ad demonstrandam maiorem culpabilitatem recidivi in ordine ad maiorem imputabilitatem *criminalem* (tametsi imputabilitas moralis non sit maior), sub qua delictum considerandum est prout extitit in ipsa persona delinquente, non in abstracto sine respectu ad personam. Persona recidivi ut talis est magis periculosa societati, et hoc ipsum resultat ex inutilitate ordinariae poenae impositae et expiatae.

108. Quidquid sit de illa controversia, *iure nostro* consideratur in recidivo *pervicacia in mala voluntate*, minor reverentia erga legem, quae certe supponit maiorem internam malitiam, maius periculum spiritualis salutis ipsius rei a quo reum avertere intendit lex poenalis Ecclesiae; cum quo cohaeret quod redditur societati magis periculosus et pravum exemplum suppeditat frustrando finem legis poenalis. Quodsi obiiciatur iudicem non debere iudicare de malitia et pravitate *personae*, sed *de facto* et de malitia quae in ipso facto ostenditur: hoc erit forte verum de foro saeculari; sed forum ecclesiasticum magis respicit elementum internum, magis dirigitur ad veram internam emendationem, ideoque magis circumspicit integrum modum agendi *personae*. Age vero, quo haec pravior est et magis obfirmata in malo seu maiorem habet malitiam (facto externo ostensam), magis distat a vera interna emendatione, quae est quoque finis poenae, qui licet sit secundarius, praecipua quadam ratione intenditur ab Ecclesia (Cfr. can. 2218, § 1 in fine et completum systema poenale Eccl. in can. 2214 § 2 depromptum ex Conc. Trid. sess. XXIII de ref. cap. 1). Quare sicut facilis est Ecclesia in remittenda poena, ubi adest vera poenitentia et emendatio; ita nihil mirum, quod maiorem malitiam et pervicaciam prae oculis habeat in decernenda punitione.

Atque haec etiam est causa, cur recidivum habeat etiam eum qui deliquit post condemnationem etiamsi poenam non subierit (v. gr. quia condonata).

109. En autem modum, quo Codex definit conditionem recidivi in can. 2208, licet generatim poena per condemnationem imposita censenda est applicata.

« *Recidivus sensu inris est qui post condemnationem rursus committit delictum eiusdem generis et in talibus rerum ac praesertim*

temporis adiunctis ut eiusdem pertinacia in mala voluntate prudenter conici possit ».

Ad recidivitatem *in sensu iuris* (8) hae conditiones requiruntur:

I. Iteratio delicti eiusdem generis. Quare in delicto permanente v.gr. concubinitus, neglectus residentiae, non habetur recidivitas, sed tale delictum suam propriam habet figuram.

Novum delictum debet esse *eiusdem generis* ac delictum praecedens: haec est quae dici solet reincidentia *specificata*, quae distinguitur ab ea quae dici potest reincidentia *generica* seu simplici iteratione delictorum nullam inter se connexionem habentium. Quae sint delicta eiusdem generis non definitur praeciso quodam modo. Criterium desumi debet ex iis quae supra n. 50 dicta sunt de qualitate delicti, ex qua delictorum in varias species seu classes divisio est desumenda: ipsa pars specialis libri V Codicis delicta eiusdem generis sub propria rubrica colligit. Tandem, cum aliis attendendis, iudex rem in singulis casibus prudenti suo arbitrio hanc circumstantiam aestimare debet.

II. Novum delictum patratum esse debet post delicti praecedentis condemnationem. Ante condemnationem iuridice non existit delictum in ordine ad determinatum eius auctorem, tametsi factum criminis (hominem esse occisum) sit certum atque adeo notorium. Ante condemnationem, toto tempore processus non habetur nisi reus praesumptus.

Cum lex novum delictum requirat *post condemnationem*, non videtur sufficere ut iteratio delicti sequatur delictum ob quod fuerit incursa poena latae sententiae. Haec enim incurritur sine condemnatione, sine interventu hominis seu iudicis, qui ex complexu circumstantiarum utriusque delicti possit conicere voluntatis pervicaciam, nec poenam latae sententiae esse incursum iuridice est notum nisi post sententiam declaratoriam criminis et poenae (9). At postquam talis sententia lata est, quae dat notitiam iuridicam facti criminis et poenae incursum, pro iudice secundi delicti videtur, tum ex parte obiecti tum ex effectu iuridico illius sententiae, verificata conditio recidivi. Nam illa declaratoria sententia, certe sub nomine sententiae opponitur sententiae condemnatoriae; sed lex loquitur de *damna-*

(8) In theologia morali recidivus habetur qui in eadem peccata frequenter post plures confessiones sine emendatione reincidit.

(9) Cfr. *Roberti*, I, 146; *Michiels*, l. c. p. 224.

tionem, non de sententia condemnatoria. Iam vero sententia declaratoria est vera condemnatio quoad effectus poenae, quae alios et societatem seu forum externum respiciunt (arg. can. 2232): ipse reus perinde tractatur ac si tunc condemnaretur, cum speciali circumstantia quod declaretur obnoxius poenae a tempore patratum delicti: pervicacia in mala voluntate tota se tenet ex parte ipsius delinquentis et non dependet ab interventu iudicis, cuius est illam noscere ex complexu adiunctorum (10).

Non videtur requiri ut *sit expiata* poena praecedentis delicti, de qua non loquitur canon (11); damnationem autem de se sequitur poena, quae applicari post damnationem solet si applicatione indiget et statim illam ipsa condemnatio infligit si actu executivo non eget. Quodsi expiatio poenae esset requisita in peiori conditione versaretur is, qui post expiationem poenae de novo deliquisset, quam is qui poenae condonationem obtinuit aut poenae applicationem vel expiationem malitiose effugerit. Cererum experientia poenae non est fundamentum seu ratio iuridica, cur quis constituatur in conditione recidivi, sed pervicacia in mala voluntate.

III. Praemissae conditiones sunt elementum legale ab ipsa lege determinatum, tertium elementum est elementum morale quod relinquitur aestimandum prudenti arbitrio iudicis, a quo coniciendum est ex perspectis circumstantiis casus concreti ac moralibus et psychologis conditionibus personae. — Requiritur ut delictum iteratum fuerit commissum « *in talibus verum ac praesertim temporis adiunctis ut eiusdem pertinacia in mala voluntate prudenter conici possit* ». Iteratum delictum potuit procedere ex mera debilitate aut infirmitate personae; porro potuit esse lapsus procedens ex gravissima tentatione alterius personae, aut ex occasione nihil aut parum voluntaria in qua reus versatus est et resistentia erat speciali modo difficilis.

IV. Praesertim vero habenda est ratio temporis quod intercedit inter primi delicti condemnationem et novum delictum; ex natura enim rei inter duo delicta maximo temporis intervallo separata, connexio plerumque non dabitur. Non erat autem facile fixum temporis intervallum per legem definire modo generali pro omnibus delictis; praeterea reus semel damnatus potest callide occultare succes-

(10) Aliter *Roberti*, l. c.

(11) Cfr. *Roberti*, I, 145; *Latini*, l. c. p. 165, *Michiels*, l. c.

sivas eiusdem legis violationes vel alia delicta eiusdem generis: ideo Codex hanc quoque circumstantiam reliquit prudenti iudicis aestimationi. Si una vice reus non est tractatus ut recidivus et ordinaria poena iterata est; in tertia eiusdem generis delicti reincidentia facilius colligi poterit conditio recidivi (12).

110. Frequentatio variorum delictorum, seu numerus delictorum etiam potest esse argumentum ad colligendam pertinaciam in mala voluntate delinquendi, prout occasio tulerit. Idcirco can. 2268, § 2, addicitur: « Qui pluries deliquerit etiam diverso in genere, suam auget culpabilitatem ». Quod valet etiamsi conditiones pro recidivitate non fuerint verificatae; et merito, cum pro speciali fine Ecclesiae adsit maius salutis aeternae periculum in reo et gravius publicum damnum et scandalum. Qua ratione plura crimina simul ad iudicium deducta punienda sint, inferius in explicatione can. 2224.

CAPUT XIII

De concursu plurium personarum
in idem delictum ecclesiasticum

(Cfr. Lib. V, tit. 37, de poenis, tit. 30, de sent. exc. etc. — can. 2209)

111. **Scriptores:** *D'Annibale*, Summula I, n. 319 sq. In const. Apost. Sed. n. 12; *Lega*, l. c. t. III, n. 39 sq.; *Muenchen*, l. c. p. 39 sq., 75 sq. 86 sq.; *Schiappoli*, l. c. n. 80 sq., Cfr. quoque *Nehrmann*, Diss. de sociis criminum, Ludg. 1747; *Schlenser*, Diss. de imputabilitate delicti alieni, Altd. 1750; *Vestphal*, De consortibus et adiutoribus criminum, eorumque poena et nexu, Hal. 1760; *Schneidt*, De concursu ad delicta aliena, Wirceb. 1774; *Schnell*, De poenis regulariter mitioribus in sociis criminum quam in eorum auctoribus iure romano sancitis, Heindelb. 1805; *Hopp.*, De concursu ad delictum secundum ius hodiernum, Leod. 1820; *De Smet*, De sociis in crimine, Gand 1827; *Ioly*, De la complicité, Paris 1855; *Carrara*, Studi sul conato e sulla complicità, Pisa 1860. Programma del corso di diritto criminale I § 508 sq.; apud *Pessina*, Diritto penale § 108 sq.;

(12) Cfr. *Robertl'* I, 145 sq.; *Latini*, l. c. p. 166.

Chelodi, Ius poenale, n. 13 sq.; *Roberti*, De delictis et poenis I, n. 178 sq.; *Michiels*, l. c. p. 295 sq.; *Amor Ruibal*, Derecho penal de la Iglesia, II, cap. 1-4, n. 62 sq., 95 sq.

§ 1. Notio et divisio concursus in delicto ecclesiastico

112. **Notio.** Idem delictum a pluribus personis in illud concurrentibus patrari potest. Qui personarum concursus considerari potest vel in his delictis quae suapte natura complicem requirunt, puta adulterium, quo in casu potius est quaestio de delicto pluribus *communi*, quam de concursu in delictum, atque ut per se patet tunc unusquisque complex suam propriam et independentem habet culpabilitatem et independentem ab alio complice fit reus poenae pro illo delicto sancitae (1). Potest praeterea ille concursus personarum spectari in aliis delictis, ad quae patranda alterius cooperatio non requiritur, at de facto ex plurium personarum concurrente actione ortum ducunt; atque hic est concursus, qui nunc venit considerandus.

Quum porro auctor dilecti is sit, qui illud volens patravit, in casu concursus delinquentium plures sunt quibus ut aliquo modo auctoribus (h. e. sive physice sive moraliter) delictum tribuendum est. Ad quod duo omnino videntur requiri: primo ut delictum vere fuerit ab illis pluribus intentum seu volitum communi quadam voluntate seu proposito, sine qua voluntate nemini delictum tribui potest, cum deficiat fundamentum imputabilitatis; secundo deinde ut unusquisque aliquid *fecerit* (non *mere voluerit* etiam voluntate exterius manifestata) ad hoc ut delictum extiterit, cum propositum delinquendi, etiam exterius manifestatum, sine externa actione vinculo causalitatis saltem moralis ad delictum exequendum ordinata, non possit esse ratio cur delictum ab alio patratum alicui imputetur (2).

Delictum ita patratum ex plurium personarum concurrente actione, cum sit obiective unum, subiective est multiplex, unde etiam poena non *dividitur* inter varia subiecta, ita ut poena delicti partialiter sustineatur a singulis, i. e. unicuique proprium est delictum *unum*, habens *plurens auctores*; sed unicuique applicari debet. Quia

(1) *Ferrini*, Diritto pen. rom. n. 79.

(2) *Pessina*, Diritto pen. § 109: qui scite notat communitatem propositi vix dari posse in delictis ex improvise v. gr. in aestu irae vel rixae commissis, cui consentit *Lega*, l. c. n. 39.

tamen gradus concursus seu influxus ad hoc ut existat delictum potest esse diversus, ita etiam aequum est ut poena, quae unicuique quidem debetur ex communi causa eiusdem delicti, pro diverso gradu influxus temperetur. Hinc investigatio de diversis formis seu modis concursus.

113. Ex data notione excluditur a ratione concursus in delictum concursus mere *materialis*, dum sine proposito delicti aliqua actio ponitur, qua alius, primo ignorante et non consentiente, utitur ad delictum patrandum (v. gr. qui vendunt arma, pharmaca, venena). Nec etiam potest dari concursus ad delictum mere culposum, quod quis committit ex culpa dumtaxat iuridica; neque enim potest dari concursus in proposito delinquendi in eo delicto, quod ex tali proposito ortum non ducit (3).

Praeterea est impossibilis concursus mere *negativus*, qui enim nihil facit ut delictum saltem per alium existat, delicti *concausa* aut *cooperans* in delicto dici nequit (4), nisi in casu quo adsit iuridica obligatio delictum impediendi; qua in hypothesi potius quis punitur ob delictum omissionis contra legem talem obligationem imponentis, quam ob concursum in alterius delictum v. gr. si quis praepositus custodiae archivii, sive ex *negligentia* (delictum culposum) sive ex conniventia *dolose* sinit subtrahi documenta (*Pessina*, l. c. § 110) (5). Nihil autem obstat, quominus gravitas imputabilitatis et poenae in casu, citra verum concursum, respondeat gravitati delicti per alium patrati et strictiori obligationi illud impediendi quam proprium officium exigit.

Pariter non est verus concursus seu cooperatio factum quod subsequitur delictum v. gr. receptio delinquentis, rati habitio, appro-

(3) *Pessina*, l. c. § 110.

(4) C. 34, C. XXIII, q. 8. Aliter *Mayer*, Geschichte der Strafrechte p. 241; at canones, quos allegat, vel agunt de obligatione morali caritatis (v. gr. c. 8, 11, C. XXIII, q. 3) vel de auxilio praestito delinquentibus (ut c. 6, § 2, 7, X, de homic. V, 12, de occisoribus S. Thomae Cantuariensis). *Schiappoli*, l. c. u. 81; *Kahn*, l. c. p. 49, not. 1; *Hinschius*, l. c. t. V, 939, n. 3; *Amor Ruibal*, l. c. n. 61, ubi scite notat imputabilitatem peccati in foro conscientiae, non esse confundendam cum imputabilitate poenali. Ipsum quoque c. 47, X, de sent. exc. V, 39, mitiorem patitur interpretationem; cfr. *Innocentium IV* et *Gonzalez* in dict. cap.

(5) *Ferrini*, Diritto pen. rom. n. 84, optime probat in iure romano non fuisse admissum concursum negativum, quamvis nonnulli textus prima fronte videantur illi favere.

batio, laudatio delicti, cum causa debeat effectum praecedere. Hae actiones quae delictum subsequuntur possunt tamquam delicta sui generis in lege poenali esse notata (6), at non possunt puniri titulo concursus seu cooperationis, quae ne concipi quidem potest in actione delictum subsequente (7). Quodsi facta huiusmodi post delictum posita sunt ex conventionione seu promissione ante delictum data (v. gr. occultandi seu receptandi reum), tum quidem *illa promissio* delictum antecedens et quae suam executionem post delictum habet, esset concursus promittentis in delictum, cum vere influat ad hoc ut delictum existat. Propter similem rationem requiritur ut delictum iam sit patratum seu consummatum; attamen sicut nonnunquam puniri potest conatus delicti, ita in iisdem circumstantiis puniri poterunt qui in illum conatum influxum habuerunt efficacem (8).

114. Quum autem omnes cooperatores *nomine delicti communis* puniantur, in quo unusquisque suum exercuit influxum, et punitio debeat respondere qualitati et quantitati influxus, circumstantiae delicti tum personales tum obiectivae his solis imputari debent pro quibus dantur vel ex quorum actione procedunt, v. gr. in homicidio, occisus est propinquus unius ex concurrentibus; in communi consilio furtum perpetrandi, homicidium tanquam medium ad furtum adhibitum et non conventum, iis solis est imputandum a quibus illud medium adhibitum est (9).

§ 2. Notae historicae de concursu in delicto ecclesiastico

115. **Historia.** Ius Romanum de concursu delinquentium expressam et distinctam theoriam per principia generalia non proponit, sed de concursu agit in singulis legibus de unoquoque delicto latis, quae cum ad diversa tempora pertineant non offerunt systema quoddam certum de imputabilitate et punitione cooperatores. Hinc DD. de sensu legis Romanae in hac parte valde inter se dissentiunt, dum alii tenent omnes cooperatores eadem poena puniri, qua principalis

(6) Cfr. const. *Apostolicae Sedis* n. 1, 5, 16, 17, 37; *Lega*, l. c. n. 41.

(7) *Pessina*, l. c.; *Lega*, l. c. n. 43.

(8) *Pessina*, l. c. § 110, IIII; *Schiappoli*, l. c. n. 83.

(9) *Berner*, Tratt. di diritto pen. § 112; *Pessina*, l. c. § 111.

delicti auctor, et contra alii id solum admittunt de iis, qui vere poterant dici *socii, participes* criminis, non de *consciis*, seu *complicibus* (10); alii demum rectius putant generale principium de omnibus delictis non haberi, sed solum quoad certa delicta et certum modum cooperationis admissum fuisse principium eiusdem imputabilitatis et poenae (11). Certum tamen videtur ius Rom. in genere non ex sola executione delicti sed etiam ex cooperatione admisisse imputabilitatem criminalem: in hac cooperatione gradus admisisse, praesertim vero distinctionem inter conreos principales (*socii, participes*) et conreos accessorios (*consciis, adiutores*), atque pro ultimis generatim licet non semper mitiorem poenam statuisset, pro principalibus vero non idem criterium adhibitum in variis delictis, nonnunquam tamen aequalem poenam admisisse. Immo vel ipsum dolose non prohiberi delictum dum posset, aut delinquentem recipere, videtur nonnunquam fuisse ipsi delicto aequiparatum.

II. In iure populorum Germanicorum reperitur quoque expresse facta distinctio inter cooperatores principales (*auctores*) et accessorios (*adiutores*). Atque pro ultimis mitior poena sancitur. Nec desunt plura exempla illius severitatis iuris Romani, qua receptator vel protector delinquentis tractatur tanquam conreus principalis, et eidem poenae qua delicti executor subiicitur (12).

III. Praecedente iure Romano et Germanico ius canonicum in diversis delictis et in diversis modis ad delictum concurrendi variam etiam exhibuit disciplinam, quam ad systema quoddam certorum et fixorum principiorum reducere perdifficile est. Nam singulorum ad delictum concurrentium imputabilitas per principium generale nullibi reperiebatur definita, et ex alia parte leges poenales Ecclesiae modo mentionem faciunt de cooperatores aut omnibus aut aliquibus, modo de ipsis plane silent, atque inde principium non suppeditant unde sumatur criterium certum pro subiectione condelinquentium ad poenam. Ita dum fontes nonnunquam annuntiant principium quod causae

(10) *Ferrini*, Diritto pen. rom. n. 80; *Pessina*, l. c. § 112.

(11) Cfr. *Ferrini et Pessina*, l. sup. cit. Ipsa diligens collectio variarum legum et subtilis inquisitio a nonnullis iuristis facta ad eruenda generalia de hac re principia, ostendit irritum in hac parte adhibitum esse conatum. Quae subtilior investigatio exulat a provincia commentatoris Codicis hodierni. Interim cfr. *Michiels* l. c. p. 298 sq. qui ex *Ferrini*, Diritto penale Romano, ordinate colligit iuris fragmenta.

(12) *Pessina*, l. c. § 113; *Del Giudice*, Diritto pen. germanico, n. 39 sq.

morales delicti et executores eadem poena sunt plectendi, v. gr. c. 6, § 1, X, de sent. exc. V, 39, ubi clericum percutiens et *mandans* vel *iubens* eadem poena dicuntur puniri ex illa ratione « cum is committat vere, cuius *auctoritate* vel *mandato* delictum committi probatur », at c. 6, § 1, 2, 4, X de homic. V, 12 minus dicuntur puniendi cooperatores quam delicti executor et praeterea ponitur principium quod « *idem excessus minus est in uno quam in alio puniendus* » (13).

IV. Systema quoddam scientificum, quo per principia generalia determinaretur singulorum ad delictum concurrentium imputabilitas et poena ipsis applicanda praecedentibus statutis civitatum Italiae, opera interpretum iuris civilis coepit elaborari (14), nec perfectionem quamdam obtinuit, nisi postquam in profundiorum inquisitionem diversorum systematum iam passim propositorum criminalistas adduxit necessitas publicandi novos codices poenales in quibus propter iam inductam divisionem triplicis potestatis legiferae, iudicialis et administrativae in diversa subiecta, satis communiter creditum est, quam minimum arbitrium esse iudicibus relinquendum. Attamen licet a poenalistis, qui ethicae christianae principia non neglexerunt atque eadem profiteri non sunt veriti, scientificae theoriae satis perfectae iam fuerint propositae atque in codicibus poenalibus applicatae, omnes tamen controversiae nondum cessarunt, atque ultimis temporibus nova perturbatio inducta est propter absurdas theorias, quae a positivismi et materialismi sectatoribus excogitatae et propugnatae fuerunt.

116. Doctrina canonistica. Ex incertitudine, quae reperiebatur in fontibus et ex facto quod singulares leges penales modo silebant de cooperatores, modo illos enumerabant complete vel incomplete, etiam doctrina canonistica fuit vacillans et varia. Quoad substantiam tamen ad haec capita reduci potest: I. Cooperatores sensu generico huius vocis, distinguuntur in *principales* (conrei principales seu delicti *auctores* per concurrentem actionem delicti executivam) et *accessorios* (conrei accessorii seu cooperatores sensu specifico huius vocis). *Principales* sunt, qui communi delinquendi consilio simul in delictum patrandum physice concurrunt; hi sine dubio principales

(13) Cfr. *Schiappoli*, l. c. n. 81 sq., n. 87 sq.; *D'Annibale*, l. c. n. 319 sq.; *Lega*, l. c. n. 39 sq.; *Hollweck*, l. c. § 8.

(14) Cfr. *Pessina*, l. c. § 114.

delicti auctores seu coauctores sunt, quibus imprimis delictum est tribuendum. Atque licet uniuscuiusque opera singillatim spectata non sit necessaria, de facto delictum non provenit nisi ex omnium concurrente actione, est *unum delictum commune*, ideoque delictum unicuique est imputabile (*unum factum, unum delictum*, doctrina iurisconsultorum Rom. arg. L. 21, § 9, D. 47, 2). *Accessorii* (cooperatores) sunt qui suam operam praestant ad hoc ut delictum ex aliorum executione existat, sive inducendo ad delictum patrandum, sive alio modo externe influendo in actionem delicti executivam. Hi quoque in imputabilitate delicti participant, quod ex dictis importat propositum delinquendi et actionem externam in existentiam delicti *influentem* (15).

II. Praescindendo ab imputatione morali in conscientia et in ordine ad peccatum foro interno Ecclesiae subiectum, pro imputabilitate criminali, quae propria est externi fori, ex doctrina tradita requiritur in concurrentibus ad delictum: 1° aliquis *actus externus*, qui sit, 2° *voluntarius*, ac praeterea 3° *delictuosus*, quo scilicet quis in delictum ut tale, non mere materialiter cooperetur, 4° *efficax*, qui non tantum sit aptus ut influat in existentiam delicti, sed de facto illum influxum exercent, 5° *actus positivus* (16).

III. Supposita imputabilitate ex praedictis conditionibus resultante relate ad poenas, hae tenent eodem modo omnes delinquentes *principales*, quibus tamen circumstantiae aggravantes non sunt imputandae nisi in quantum ab ipsorum actione procedant, neque quae sunt personales unius alius sunt tribuendae. De delinquentibus acces-

(15) *D'Annibale*, l. c. n. 319; *Amor Ruibal*, l. d. n. 60. Non omnes tamen auctores in hac divisione conveniunt et ex aliis principiis possunt proponi aliae divisiones aequae probabiles. Ita v. gr. *Lega* l. c. n. 40, sequutus *De Rossi*, (Tratato di diritto pen. t. II, c. 34 sq.) vocat *conreos principales* tum eos, qui in propositum delinquendi directe influunt, ut *mandantes iubentes* (auctores seu causae *morales*), tum eos qui in delicto exequendo *physice* concurrunt conscii de aliorum voluntate, cui deliberate satisfaciunt (auctores ut causae *physicae*); *accessorios* vero, qui efficiunt ut crimen *facilius* et *efficacius* perpetretur. Similis discrepantia quoad divisionem et poenas invenitur in codicibus diversarum nationum. Cfr. *Pessina*, l. c. § 115 sq. qui § 118, distinguit concurrentes, in *coauctores*, qui delictum ex communi consilio patrant sive exequentur, sive praecedat, sive non praecedat aliorum provocatio, in *provocantes* (auctores intellectuales), qui movent alios ad exequendum delictum sive *iussione* sive *mandato* sive simplici *instigatione*. Deinde distinguit *delinquentes principales*, qui actionem principalem ponunt ut delictum existat, et *complices*, qui iuvamen sive auxilium seu favorem delinquenti principali praebent.

(16) *D'Annibale*, l. c. n. 322, 323; *Amor Ruibal*, l. c. n. 61.

soriorum non est concors canonistarum sententia. Plures distinxerunt inter poenas latae sententiae et ferendae sententiae, atque poenas latae sententiae contra delictum in lege poenali sancitas non extendunt ad delinquentes accessorios, nisi in quantum lex eos aut aliquem ipsorum expresse commemoret. In poenis vero ferendae sententiae comprehendendi omnes cooperatores qui efficaciter in delictum influerunt, cum videlicet sine ipsorum cooperatione delictum non extitisset, quamvis admittant mitius puniendos esse in casu, quo sine ipsorum cooperatione eodem modo esset sequutus effectus (17).

(17) *Thesaurus*, l. c. P. I, c. 10, qui pro sua sententia citat *Clarum* q. 90, § fin.; *Farinacium*, q. 130, n. 4; *Sanchez*, De matr. d. 48, n. 3; *Avila*, De cens. p. 2, c. 5, dis. 3, dub. 2; *Navarrum*, Cons. 98, n. 2, Summ. c. 27, n. 51; *Ugolinum*, De Simon. tab. 4, c. 8, n. 4; *Suarez*, De cens. d. 4, sec. 3, n. 5. At *D'Annibale*, l. c. n. 320, ita proponit suam sententiam: « cum poenae non excedant proprium casum, nemo ex his (cooperatoribus) tenetur poenis in iure adversus aliquem eorum statutis, nisi et in ipsum latae sint nominatim. Ideo poena *statuta* v. gr. adversus facientem, mandantem verius non tenet: et ex diverso *statuta* adversus mandantem, non tenet facientem; *statuta* adversus mandantes et facientes, non tenet eos qui opem, auxilium ferunt; *statuta* adversus eos, qui consilium praebent, non tenet eos, qui praestant opem. Eoque minus tenent eos, qui non prohibent vel ratum habent; quippe qui revera in delictum non influunt. In quos autem manifeste lata est, tenet eos proculdubio sed post effectum sequutum; praeterquam si palam appareat haec coerceri *per se*, et quasi *delicta sui generis* ». Quo in loco distinctio inter poenas *latae* et *ferendae sententiae* non fit, nec illam distinctionem patitur generale principium, in quo illa doctrina fundatur quod « *poenae non excedant proprium casum* ». At numquid hoc principium est hic rite applicatum? numquid fit extensio *a casu ad casum* si dicatur poenam statutam in delicto pertinere ad omnes eius auctores sive *physice* sive *moraliter*? casus est *unicus* sc. delictum omnino in lege determinatum et solum est quaestio de auctoribus: porro in iure *morales* auctores, non minus vere dicuntur auctores quam *physicae* delicti causae, v. g. c. 6 § 1, X, de sent. exc. V, 39; « *quum is committat vere, cuius auctoritate vel mandato delictum committi probatur* ». c. 2, X, de cler. pugn. V, 14: « *...homicidium autem tam facto quam praecepto sive consilio aut defensione non est dubium perpetrari...* ». Ceterum ipse *D'Annibale* l. c. n. 319 praecedente, quaestionem hoc modo proponit: « num delinquentes *accessorii* *eisdem poenis* sint obnoxii, quae in delinquentes *principales* *statutae* sunt » deinde addit: « *Dixi eisdem, nam aliqua poena coercendos esse, palam est* »; qua declaratione sententia *Card. D'Annibale* reducitur ad hanc: delinquentes *accessorii* non ordinaria (i. e. legis) poena puniendi sunt, sed *extraordinaria* (i. e. generatim mitiore). Atque haec est sententia, quam in praxi tenendam dicit *Lega* l. c. n. 42, qui postquam opinionem *D'Annibale* non admisit quando poena in lege sancita est ferendae sententiae, tandem concludit in praxi rem reduci ad arbitrium iudicis in infligenda poena *extraordinaria* iuxta doctrinam *Schmalzgrueberii* tit. de poen. n. 31 (aut forte n. 41?).

Quae distinctio inter poenas latae et ferendae sententiae si attendantur principia de imputabilitate non videtur esse logica nec in fontibus iuris certo fundata. Non enim apparet ratio iuridica a priori cur condelinquentes in delicto, quod punitur poenis ferendae sententiae debeant esse peioris conditionis quam in iis, quae poenis latae sententiae puniuntur; cum fundamentum iuridicum punitionis sit dignitas condelinquentium ad poenam seu imputabilitas, quae in paritate influxus non est diversa ex solo diverso modo quo legislator poenam in sua lege statuatur. Quodsi ex hoc capite non est logica, ex alio capite videtur esse incongrua, quia poenae latae sententiae ex mente Ecclesiae videntur esse efficacior modus coercendi delicta, et idcirco praesertim tali poena sanciantur delicta graviora; porro in his delictis gravioribus haud raro poenae latae sententiae aliam ferendae sententiae legislator non addit, etiam cum cooperatores nullo modo ne indirecte quidem commemorat; qua in hypothesi causae morales delicti etiam principales v. gr. mandantes et iubentes ab omni poena immunes essent, quod videtur omnino a mente legislatoris alienum (18). Quare illa distinctio inter poenas *latae* et *ferendae* sententiae non videtur solide sustineri; sed ubi lex delinquentes accessorios non commemorat, in utroque casu a

(18) Cfr. textus iuris in nota praeced. citatos; *Amor Ruibal* t. c. n. 62, uberior in *Derecho penal* II, cap. 2. Quodsi illa distinctio inter poenas latae et ferendae sententiae dicta est videri parum logica attentis principiis imputabilitatis et ratione qua innitur lex poenalis, facile tamen explicatur cur plures auctores illam adhibuerint, praecedentibus theologis moralistis, quorum est decidere num quis debeat in conscientia se habere ut poena ligatum. Nam poenae latae sententiae, quae fori ecclesiastici sunt propriae, maxime sunt odiosae i. e. extraordinario modo odiosae, cum valde durum sit, ut quis in seipsum exequi poenam teneatur; ergo in illis maxime stricta interpretatio est adhibenda, praesertim quando aliqua dubitandi causa subsit; porro in praesenti quaestione probabilis dubitandi ratio aderat in hoc, quod leges poenales nonnumquam cooperatores expresse commemorarent nonnumquam de iisdem silerent; at ob hanc rationem, quae, ut dictum est, etiam verificatur in aliis legibus statutibus poenas ferendae sententiae, quae etiam modo memorant cooperatores modo de ipsis silent, non satis logice deducitur discrimen ex differentia inter leges, licet suum retineat valorem argumentum depromptum ex maiori acerbitate poenae, quae sit sine praecedente sententia incurrenda. Verum ex alia parte satis intelligitur delictum in lege poenali contemplatum esse puniendum saltem poenis ferendae sententiae arbitrio iudicis definiendis, quae aliquo modo pertineant ad omnes per propriam actionem ad delictum concurrentes.

poena legis immunes dicendi sunt (19); sed etiam videtur addendum, eos poena arbitraria a iudice puniri debere.
Incertitudinem iuris praecedentis propter fontium defectum sustulit Codex can. 2209.

§ 3. De variis cooperationis formis.

117. Cum delictum duobus constet elementis, *physico* (motu corporis, actu externo) sine quo delictum non est possibile; *moralis* (propositum seu intentio criminosa), sine quo materialis violatio non est delictum; participatio in delicto aliarum personarum potest haberi in uno ex duobus elementis aut in utroque. - Hinc distingui potest: I^o concursus actionis sine concursu voluntatis; II^o concursus voluntatis sine concursu actionis; III^o concursus actionis et voluntatis.

I. **Concursus actionis sine voluntate.** Cum quis cooperatur alteri in delicto sine voluntate, actio non est imputabilis. Id accidere potest: 1^o quia habuit intentionem innoxiam distinctam: credit quis se cooperari rei licitae et alius utitur ad delictum patrandum (fur vocat fabrum ad aperiendam ianuam quasi propriae domus, deinde utitur ad furandum). 2^o Quia habuit intentionem criminosa distinctam. (Caius credit iuvare Titium in patrandum delicto leviori; sed hic dolose utitur illo iuvamine ad patrandum delictum gravius, quod a Caio praevideri non potuit) (20). 3^o ex defectu intentionis positivae, quae habetur in facto culposo, in quo non videtur posse dari complicitas (21).

(19) Cfr. de hac quaestione: *Schiappoli* l. c. n. 84. sq., ubi varii iuris textus citantur, qui rem pro neutra opinione conficiunt.

(20) *Paulus* in L. 53 D. de furtis (47, 2), fingit casum, quo unus *iniuriae causa* portam domus destruit, per quam alii sese intrudunt ad furtum committendum; et resolvit *non teneri furti*, quia maleficia voluntas et propositum delinquentis distinguunt.

(21) Reg. *Ulpiani* in L. 50 § 2 D. de furtis « Recte *Pedius* ait, sicut nemo furtum facit sine dolo malo, ita nec consilium vel opem ferre sine dolo malo posse ».

Caius praepositus custodiae archivi secreti dat Titio clavem praedicti archivi (allegans quod ibi reliqui oblitum breviarium (ut illud mihi afferas). Titius intravit et arripuit secreta documenta. Factum Caii, erit factum *culposum*, si furtum praevideri potuit, sed non poterit dici complex subtractionis. Respondebit de facto culposo, de negligentia, non de ipsa subtractione.

Possunt reduci ad unum principium, sc. concursus materialis, licet efficiens, non reddit participem delicti, si non adfuit intentio determinata illud adiuvandi: ad quam intentionem praeprimis requiritur scientia: scientia autem non est communicabilis. Si plures percipiunt mulierem praegnantem, omnes erunt rei percussiois; sed abortus inde secuti, solus is qui habuit scientiam praegnationis. Ergo in percussione habetur concursus, in abortu non (22).

II. **Concursus voluntatis sine concursu actionis.** Qui in voluntatem alterius committendi delicti concurrat, sine concursu in actione, huic alterius factum est imputabile, si in voluntatem alterius influxum habuit *efficacem*, cum proportione ad maiorem vel minorem influxum gradum. Dicitur causa *moralis* delicti, et hoc sensu causa moralis potest esse causa principalis (23).

Quinque distinctae cooperationis formae assignari possunt: mandatum, iussum, coactio, consilium, societas. Non raro comprehenduntur sub generico nomine instigationis a iuristis et legislatoribus modernis; sed inter diversos modos est magnum discrimen (24).

a) *Mandatum* habetur, cum quis alteri committit delicti executionem in utilitatem committentis.

b) *Iussum* seu *praeceptum* delinquendi per abusum auctoritatis a superiore inferiori impositum.

c) *Coactio* est mandatum delinquendi (etiam sine auctoritate impositum) cum comminatione gravis damni. — Apparet, iussum et coactionem esse mandatum *qualificatum* propter abusum auctoritatis vel incussionem timoris. Quae duae formae cooperationis moralis, hoc habent speciale quod ratione maioris influxus, quem in animum exequentis potuit exercere *auctoritas* vel mali *comminatio*, minuitur imputabilitas auctoris physici et augetur illius qui fuit causa moralis. Quod augmentum et respectivum decrementum talia

(22) Qui ignoravit praegnationem erit fortasse reus homicidii culposi si praevideri potuit et non fuit praevisum ex negligentia, minime vero homicidii voluntarii.

(23) Carrara, Programma, P. Gen. § 440 sq.

(24) Cfr. Pessina l. c. § 120. Tres priores modi clare habentur in iure Rom. sc.: *is qui iubet, si modo ius imperandi habeat* (L. 37 pr. D. 9. 2; L. 11 § 3 sq. D. 47, 10); *mandatores caedis perinde ac homicidae puniuntur* (Paul. sent. V, 23; L. 15 D. 48, 5); tandem invenitur *consilium*, quo quis directe inducit in delictum "*consilium dare videtur, qui persuadet et impellit atque instruit consilio*," (L. 50 § 2, 3 D. de furt.; Inst. IV, 1, 2), atque is proprio vocabulo dicitur *suasor* (L. 12 D. 48, 5). Cfr. Ferrini, Diritto pen. rom. n. 81 sq.

esse possunt, ut auctor physicus ab omni imputabilitate sit liber, quae tota in causam moralem refundatur. Id accidit cum executor potius considerari debet ut instrumentum passivum mandantis aut cogentis, aut quia non habuit voluntatem liberam ut in pluribus casibus coactionis aut quia non habuit voluntatem conscientem relate ad imputabilitatem rei seu facti, ut in pluribus casibus praecepti seu iussionis. Demptis his casibus et hac speciali ratione, mandatum, iussio, coactio iisdem regulis subsunt.

d) *Consilium* seu *suasio* est instigatio alicui facta in finem committendi delicti pro suo exclusivo commodo et utilitate.

Societas delinquendi est pactum inter plures personas de committendo delicto ob commodum aut *commune* aut *respectivum*. V. gr. si conveniunt de aliquo occidendo in vindictam (commune), vel unus ob vindictam alius ob utilitatem quia ita erit haeres (com. respectivum) (25).

Ex datis notionibus haec iuridica principia inferuntur:

1° *Iussio* tunc est causa moralis cum efficaciter in delictum obsequentis influit; ad hoc, prout a simplici instigatione distinguitur, duo requiruntur: 1° ut agatur de superiore qui veram habeat auctoritatem in eum, qui iussum exequitur, quae abutitur in imponenda subdito criminis patratione, 2° ut agatur de actibus, qui aliquod habeant vinculum seu relationem cum potestate, quae in tali auctoritate continetur, secus non tam propter auctoritatem, quam ex instigatione vel forte comminatione propositum delinquendi conciperetur (26).

2° *Mandatum* (licet nonnumquam ponitur pro praecepto seu iussione) proprie est *pactum sceleris* constans ex propositione delicti in favorem mandantis patrandi et ex acceptatione mandatarii. Quare *D'Annibale* l. c. n. 321 sensu latiori mandatum accipere videtur, dum dicit: «Mandare intelligitur is, qui aliquid alicui pro se faciendum committit seu iubeat seu roget seu solum desiderium ostendat», nisi subintelligatur promissio seu acceptatio alterius (27).

(25) Carzovius, Pract. crim. P. I, q. 3; Strykius, Diss. de mandato delinq. Nani, Principii di giurispr. crimin. § 136; Carmignani, Elementa § 264.

(26) C. 8. Dist. 50.; c. 2. X. de cler. pugn. V. 12.; c. 1. § 1. de sent. exc. V. 39.; Carmignani l. c. I. § 212.; Pessina, l. c. § 121.; Schiappoli l. c. n. 87.

(27) C. 6. § 1. de sent. exc. V. 39.; Carmignani l. c. § 213. sq.; Lega l. c. n. 43. Cfr. Strick, De mandato delinquendi, Francf. 1690; Lyncker, De mandato rei turpis 1699; Leyser, De mandato turpi, in Med. ad Pand. spec. 183, apud Pessina, l. c. § 121.

Cum in mandato supponatur mandatarius nullum interesse habere in delicto quod ex mandato patrat, causa *primaria* (*moralis* utique) est *mandans*, sine cuius mandato mandatarius delictum non committeret in cuius executione nullam haberet utilitatem. Atque in hoc praecise tum scholae tum moderni codices fundarunt doctrinam de perfecta aequalitate imputationis inter mandantem et delicti executorem. Quae parificatio tamen supponit duas condiciones: 1° quod adsit aequalitas doli in utroque; 2° ut agatur de vero et proprio mandatario, nam si is etiam habuit aliquod interesse in delicto, tunc potius fit *socius*, sin vero iam in eo erat ut delictum committeret et in hunc finem quaesivit mandatum, tunc plus illi imputatur et praesumptio cedere debet veritati.

3°) *Provocatio* seu *instigatio* ad delictum fit quocumque alio modo, quo quis movetur ad concipiendum delicti propositum v. gr. consilio, suasionem, comminationem. Praesertim vero in iure consideratur *consilium*, quod a mandato differt, quod mandatum in mandantis utilitatem confertur, cum consilium in illius utilitatem, qui eo utitur (L. 20. D. 3. 2.). Hinc duplex solet distingui consilium: aliud quod dicitur *speciale* aut etiam *efficax* vel *cooperativum*, quod persuasionem simulque instructionem ad delictum continet, atque hoc est illud consilium cui convenit definitio iuris Romani «*Consilium dare videtur qui persuadet et impellit atque instruit consilio ad delictum faciendum*» (L. 50. § 2, 3 D. de furt.). Ab hoc distinguitur consilium *simplex* seu *generale*, quod etiam *excitans* vel *hortatorium* nuncupatur, quod in nuda ad delictum hortatione consistit. Ex primo certe oritur imputabilitas poenalis; at licet ex secundo oriatur imputabilitas moralis propter peccatum, imputabilitas poenalis fori externi non videtur oriri (28); *nisi forte sit unica causa cur alius inductus sit ad delictum patrandum*, aut saltem constet, sine tali consilio delictum non iri commissum, quod valde difficile est. Hic certe est maximus gradus imputationis. Nam etsi verum sit utilitatem ex delicto totam se tenere ex parte illius cui consilium datur, atque haec est causa ex se sufficiens ad concipiendum propositum delinquendi; haec tamen non est nisi mera praesumptio, quod quis ex sola utilitate fuit determinatus ad agendum, quae veritati contrariae probatae cedere debet.

(28) *D'Annibale*, l. c. n. 321 et not. 20. 21; *Lega*, l. c. supra; *Carmignani* l. c. § 223 sq.

Porro efficacia consilii debet esse *obiectiva* et *subiectiva* seu cum dolo suasoris, nec sufficeret quod verbum casu et incaute prolatum alterum determinaverit, si non fuerit dictum cum intentione alterum inducendi, qua in re praecise consistit *dolus* consilii; sicut e contra non sufficeret intentio sine *obiectiva* efficacia v. gr. si quis alteri dicat *occide* inimicum te insequentem, sed probatur hoc verbum ab occidente non fuisse auditum.

In consilio supponitur quod qui consilium dat interesse in delicto patrando non habeat, et totum interesse esse penes eum, cui consilium datur et delictum exequitur. Sed haud raro praesumi potest, quod is sine consilio etiam delictum commisisset (quippe interesse habebat): qua in hypothesi, cum in exequire detur plena imputatio, in consilium dante haec certe est minor quam in mandante et socio, vel forte nulla (v. gr. si nullum exercuit influxum in plane determinatum ad agendum). Quare imputabilitas consilii dependet a gradu influxus exerciti.

4°) *In societate* interesse est commune: quare causa *moralis* delicti sunt duo socii; causa *physica* is solus, qui crimen exequutus est; quare in paritate influxus moralis, plus imputatur socio executori, quam alteri. Quodsi omnes qui convenerunt in propositum delinquendi etiam in executione seu consummatione criminis partem habuerunt, non amplius habetur *simplex concursus voluntatis* sed etiam actionis, et imputabilitas aestimatur cum proportione ad partem quam quisque habuit in executione delicti: sunt veri coautores, veri correi.

III. **Concursus voluntatis et actionis** habetur in iis, qui et volunt seu intendunt delictum et personaliter interveniunt in actibus quibus ipsum perficitur. Qui concursus diversos habere potest gradus, et oportet distinguere in actione criminosa tria momenta: *praeparatio*, *executio*, *consummatio*. Ex participatione in actibus consummatis delicti nascitur *correitas*; ex participatione in actibus praecedentibus sive executivis sive praeparatoriis *auxilium*; ex participatione in actibus subsequentibus delicti consummationem habetur *adhaerentia*, *favor*.

a) Qui participationem habet in actibus consummatis est verus correat delicti, licet forsam concursum dumtaxat moralem posuit v. gr. per instigationem. Vel ipsum nudum verbum *etiam praecedens* potest constituere elementum physicum participationis in delicto, si non solum in voluntatem, sed etiam in *factum* tamquam

BIBLIOTECA
MUSEI HISTORICO-NATURALIS
CIVICIS
MILITARIUM

pars actionis influxit. V. gr. qui ex conventionem cum homicida verbis subdolis adduxit eum contra quem erat paratum homicidium in locum ubi ab homicida praeparabatur occisio — non est merum auxilium sed correitas — a fortiori dum quis ligat et ligatum tenet quem alius confodit et occidit.

Inter ipsos tamen correos, licet omnes respondere debeant de delicto patrato, diversi tamen gradus imputabilitatis existere possunt; qui gradus desumendus est ex maiori vel minori influxu seu participatione in consummationem delicti.

b) Ultima forma concursus est *auxilium* crimini praestitum. Cum factum principale quod constituit delictum ab eo, qui crimen intendit, mediis de quibus ipse disponit perfici non potest, tum potest ab aliis praestari iuvamen seu auxilium exhibendo delinquenti principali media ad delictum perficiendum (v. gr. si medicus dat potionem, qua utatur puella ad procurandum abortum intentum) aut saltem ad removenda obstacula (v. gr. vigilando ne possit capi in flagranti delicto). *Auxilium* sensu explicato praebentes proprio nomine vocantur *complices*. Porro *auxilium* potest esse *materiale* quando positiva praestantur media ad delictum perpetrandum; vel potest esse *morale* v. gr. 1° delinquentem instruendo in modo secure perficiendi delictum (atque hoc est *consilium efficax*, de quo supra, id est, cum ope seu auxilio coniunctum), vel 2° addendo animos delinquenti, puta promissione iuvaminis etsi postea non praestetur vel persuadendo de facilitate occultandi delicti aut obtinendae impunitatis. Atque hic duplex modus est quem satis frequenter canonistae atque ipsi iuris fontes designant duplici illo vocabulo: *auxilium* — iuvamen materiale, *favor* — iuvamen morale, quae saepe in formula legis poenalis merito coniunguntur (29).

Ex data notione apparet *complicitatem*, quae habetur in *auxilio* praestito delinquenti, merito esse fundamentum cur delictum complici imputetur idemque poenis subiiciatur, licet generatim minoribus quam delinquens principalis. Gradus desumendus est ex maiori vel minori influxu in consummationem delicti: hinc distinctio inter *auxilium proximum* (si in actibus executivis) et *remotum* (si

(29) *D'Annibale* l. c. n. 322; *Pessina* l. c. § 123; *Schiappoli* l. c. n. 90. 91 ubi etiam ostendit variam terminologiam in iure adhibitam. Cfr. quoque *Reinhardt*, De consilio in criminalibus eiusque effectu, Erf. 1732; *Haste*, De consilio in crimin. eiusque effectibus 1732; *Drell*, De poena instigationis, Vitemb. 1754 apud *Pessina* l. c.

in praeparatoriis). Maximus gradus habetur in complice *necessario*, qui ad actionem concurrat actu proprio tali, sine quo delictum consummari non potuisset.

118. Revocatio mandati, iussionis vel consilii. Si praeceptum, mandatum seu consilium ante admissum delictum revocatum fuerit, et revocatio facta tempestive intimata ei fuerit, cui mandatum seu consilium datum fuerat, et is nihilominus delictum consummaverit, mandans, iubens vel consilium dans ab imputabilitate et poenis delicti videntur eximi; idque sancit can. 2209 § 5 si retractatio influxum abduxerit plene; posita enim revocatione, iussum et mandatum evanescent, atque idem videtur dicendum de consilio. Nisi forte poenae latae fuerint in mandatum ipsum seu consilium, quasi in delicta sui generis, quod non raro in iure nostro fit praesertim quoad mandantes. Recte tamen iam addidit *D'Annibale*, neminem inde excusari, quod se non mandante vel consulente, alius certissime mandaturus, seu consulturus esset; id enim non impedit quominus in casu delictum ex eius mandato seu consilio fuerit admissum (30).

119. Fautores delicti (vel potius delinquentium), qui *favorem* seu *opem* praestant delinquenti *post* delictum commissum, v. gr. *receptando*, occultando, aut *defendendo* seu *protegendo* (*delitto di favoreggiamento*), licet saepe in fontibus iuris videantur connumerari inter cooperatores seu participes delicti (31), atque

(30) *D'Annibale*, l. c. n. 321; *Schiappoli* l. c. n. 88; *Pessina* l. c. § 122. *Amor Ruibal*, Derecho penal de la Iglesia II n. 55 sq. Quodsi quidam auctores praeter manifestationem mutatae seu revocatae voluntatis, quae sufficit ut mandans sit immunis a poena, requirunt in consulente ut destruat vim moralem prioris consilii atque adeo insinuant illam destructionem non esse possibilem in casu, quo consilium revera moverat principalem delinquentem (Cfr. *Innoc. IV.* ad c. 12. de homic. n. 2. 3.; *Reiffenst.* V. 12. n. 33.; *Schmalzgr.* ib. n. 170), huius disparitatis iuridica ratio non apparet; at certe vix capitur quomodo consilium datum *ut tale* retractari possit, nisi proponendo *rationes suadentes contrarium*, atque hoc est quod moderate exigit *Schmalzgr.* V. 39. n. 223., quo facto non amplius consilium datum influit in delictum, quod totum principalis agentis improbitati est tribuendum. Cfr. *Pennacchi* in Const. Apost. Sed. I. p. 222. De casu mandatarii fines mandati excedentis, et *Carmignani* l. c. § 219 sq.; *Amor Ruibal* l. c. n. 56, 73.

(31) C. 8. (Conc. Lat. III. a. 1179) X. de haeret. V. 7; c. 9. X. eod.; c. 13. (Later. IV a. 1215) X. eod.; c. 3. § 5. X. eod.; c. 1. § 1. de homic. V. 4 in Sext.; c. 5. de poen. V. 9 in Sext.; c. 1. de poen. V. 8 in Clem.; *D'Annibale* l. c. n. 322.

iisdem vel similibus saltem poenis haud raro subiiciantur, proprie tamen cooperatores aut complices non sunt. Complicitas enim aut cooperatio importat influxum in delictum sive physicum sive saltem morale, sive immediatum sive saltem mediatum influendo in propositum delinquendi; at actus qui post delictum est positus causalem influxum, quod fundamentum est imputationis, habere non potest nec in delictum ipsum nec in propositum delinquendi ex quo delictum procedit. Ergo delicti imputabilitatem fautores non contrahunt nec poenis delicti subiiciuntur, sed committunt delictum *sui generis*, quod poenis est obnoxium, cum lex poenalis de fautoribus cavet. Atque ita de facto in Ecclesia saepe in delictis praesertim atrocibus fautores commemorantur et gravissimis poenis merito subiiciuntur, cum non raro favor delinquenti post delictum praestitus includat veram cooperationem in delicti tractum successivum habentis perseverantiam, v. gr. in furto per plures successivos actus facto, qui custodit iam furto ablata, aut saltem in delinquentis contumaciam seu pertinaciam in mala voluntate (32). At, si opera post delictum praestita fuit ante promissa, pacta seu conventa, constituit auxilium et regulas auxilii sequitur; quia per pactum habuit existentiam antecedentem et influxit in determinationem criminiosam auctoris physici (can. 2209, § 7).

120. Sholion. Haud raro in fontibus inter cooperatores commemorantur factum delictuosum *ratum habentes* atque in delictis atrocioribus aequiparantur mandantibus (33); illa quidem aequiparatio fit in poenis quibus subiiciuntur; non inde tamen inferendum *ratihabitionem* haberi ut veram cooperationem ad instar illius quae habetur in mandato. Hoc quidem accidit in illa *ratihabitione*, quae includit participationem in fructibus delicti permanentis v. gr. in illegitima emptione aut alienatione bonorum ecclesiasticorum aut in aliis delictis in istis negotiis civilibus commissis, in quibus *ratihabitione*

(32) Non semper facile est distinguere utrum favor includat cooperationem, cfr. c. 1. 4. C. XXXVI. q. 2.; c. 5. de poen. V. 3 in Sext.; c. 3 de imm. eccl. III, 23 in Sext.; c. 1. X. de off. iud. del. I. 29; c. 47 X. de sent. exc. V. 39; Schiappoli l. c. n. 91. 92. Cfr. quoque Const. Apost. Sed. n. 4. 6, 12. 16. 28. 29. 35 etc.

(33) C. 23 de sent. exc. V. 11 in Sext.; c. 5. de poen. V. 9. in Sext.; c. 1. de poen. V. 8 in Clem.; D'Annibale l. c. n. 324; Schiappoli l. c. n. 89. Cfr. quoque const. Apost. Sed. n. 5. etc.

bitio fictione iuris retrotrahitur et mandato aequiparatur (34). Nam *ratum* habens per *ratihabitionem* negotium facit suum, atque ita si quis praedium ecclesiasticum ab usurpatoribus pro me emerit et ego emptionem *ratam* habeo, vere emo atque poenas incurro, non quidem *ex tunc*, quae fictio in poenalibus locum non habet, sed *ex nunc*. Idem accidit in aliis delictis permanentibus, in quibus *ratihabitione* importat continuationem actionis delictivae v. gr. in incarceratione Praelati ecclesiastici. At extra hos casus, *ratihabitione* est delictum *sui generis*, quod tum poenis legis subiicitur cum in lege expresse cavetur.

At cum *ratihabitione* sensu explicato cooperationem continet et punitur poenis statutis contra delictum perpetrantem, ut poenae incurrantur opus est: 1° ut delictum sit huiusmodi, quod mandari seu per alium perpetrari potuisset (35), 2° ut a se perpetrari potuisset eo tempore quo admissum est (36), 3° ut illud probaverit quasi factum suo nomine (37).

§ 4. De imputabilitate concurrentium ex Codice.

121. Ius vigens in Codice clare expressum est can. 2209.

I. In § 1 agit de concursu voluntatis et actionis «*Qui communi delinquendi consilio simul physice concurrunt in delictum, omnes eodem modo rei habentur, nisi adiuncta alicuius culpabilitatem augeant vel minuant*». Isti sunt vere et proprie conrei, et nihil interest modus, quo singuli in materiali executione partem habuerint v. gr. in homicidio si ictus dumtaxat *unius* mortem intulit, omnes rei homicidii sunt, etiam is qui v. gr. vigilando participavit. Sed circumstantiae aggravantes vel diminuentes attenduntur pro singulis, quibus sunt propriae; homicidium erit parricidium pro conreo qui est filius occisi. Imputabilitas eadem est, in casu allegato imputabilitas homicidii.

II. «*In delicto quod sua natura complicem postulat, unaquaeque pars est eodem modo culpabilis, nisi ex adiunctis aliud appareat*».

(34) Reg. iur. 10 in Sext.

(35) V. gr. furtum, homicidium, incendium, non adulterium, blasphemia.

(36) Ergo requiritur *habitualis* usus rationis, non praecise *actualis*.

(37) Regul. iur. 9. in Sext.; D'Annibale l. c. not. 41. 42. 43; Schiappoli l. c.; Schmalzgr. V. 39. 224.

Intelligitur de casu, quo utraque pars *active non mere passive* se habeat ad tale delictum, qualis est casus concubinatus; at adulterium per se committi potest ab una parte altera resistente, licet adulterium haberi non possit sine interventu duplicis personae. Ubi ergo utraque persona *active* seu volens intervenit (v. gr. in contractu illicito) utraque pars vult et patrat delictum, ideoque est eodem modo culpabilis et criminaliter responsabilis. Exceptio est manifesta: ut adiuncta facti utrique parti tribuantur, de utraque verificari debent: in adulterio, unus scit alteram partem esse matrimonio iunctam, alia ignorat; una pars scit alteram esse personam sacram, altera ignorat.

III. «*Non solum mandans qui est principalis delicti auctor, sed etiam qui ad delicti consummationem inducunt vel in hanc quoquo modo concurrunt, non minorem, ceteris paribus, imputabilitatem contrahunt, quam ipse delicti executor, si delictum sine eorum opera commissum non fuisset*». Hi omnes in facto concreto fuerunt cooperatores necessarii (38); eorum opera in facto fuit eodem modo necessaria, ac opera seu actus executoris delicti; ergo responsabilitas criminalis ex se, ratione tituli obiectivi, eadem esse debet, et singulae causae partiales, utpote ad existentiam delicti necessariae, constituunt unam, veram causam unius delicti indivisibilis. *Ceteris quidem paribus*, cum, ut alias dictum est, adiuncta personalia, quae ad aliquos pertinent et non ad alios atque culpabilitatem augent vel minuunt, eos dumtaxat afficiunt, quorum sunt propria nec aliis communicantur. Firmatur autem hoc loco principium, quod *mandantes sunt principales delicti auctores*, utique in genere causae *moralis*, quae causalitas in ordine ad imputabilitatem criminalem merito attenditur.

IV. «*Si vero eorum concursus facilius tantum reddidit delictum, quod etiam sine eorundem concursu commissum fuisset, minorem imputabilitatem secumfert*». — Hi sunt cooperatores *accessorii*, quibus proportionata respondet imputabilitas pro ratione influxus, quem in existentiam delicti suo externo actu exercuerunt, ex quorum iuvamine usi sunt delicti executores tametsi non necessario:

(38) *Necessitas* in hac materia non significat *impossibilitatem* delicti in defectu concursus, sed *factum* enuntiat. Quare sensus legis est "sine quorum opera (*de facto*) delictum non fuisset commissum," non alter sensus *committi non potuisset*. Cfr. Michiels l. c. p. 322 sq.

sed horum imputabilitas minor est quam executoris et cooperatores necessarii.

Aestimatio concretae imputabilitatis in singulis casibus, prae oculis habitis fixis principiis propositis, ad normam can. 2231, pertinet ad iustum iudicis iudicium, sicut in applicanda paena relate ad cooperatores accessorios subintrat eiusdem iudicis prudens arbitrium.

V. «*Qui sumum influxum in delictum patrandum opportuna retractione abduxerit plene, ab omni impunitate liberatur, etiamsi executor delictum ob alias causas sibi proprias nihilominus patra-verit; si non abduxerit plene, retractatio minuit, sed non aufert culpabilitatem*». Cfr. explicationem supra n. 118 propositam. Nimis evidens est retractionem non esse opportunam, si facta fuerit post perfectum delictum, ad quod ordinabatur cooperationis actus; tunc sola possibilis est *poenitentia* cuius congrua ratio haberi poterit pro diminutione paenae ad normam can. 2223, § 3.

122. VI. «*Qui in delictum concurrat suum dumtaxat officium negligendo, imputabilitate tenetur proportionata obligationi qua adigebatur ad delictum suo officio impediendum*». Supra dictum est n. 112 in vero concursu seu cooperatione requiri actum positivum, nec participationem in alterius delicto haberi posse nihil agendo; quamvis enim omnes ex caritate teneantur crimina impedire, qui talem obligationem negligat non potest haberi ut complex delinquentis (39). Quodsi quis ex officio teneatur impedire crimina, poterit committere crimen per se stans consistens in negligentia sui officii, sed nequit haberi ut particeps delicti aliorum. — Si tamen quis ob *dolosam conniventiam* cum alio in eum finem adhibitam, ut is libere delictum executioni mandare possit, *suum officium* impediendi delicta negligat, tunc illa negligentia dolose habita et alteri utcumque antecedenter manifestata, per talem manifestationem antecedentem aequivalet positivo auxilio, ad eventum criminis obiective et subiective ordinato et cum executoris actione conscienter coniuncto; et in hoc sensu illa negligentia officii habebit existentiam antecedentem et per modum *auxilii* plerumque *necessarii*

(39) In c. 47 (Innoc. III.) X. V. 39 circa clericorum percussores puniuntur "qui cum possint, manifesto facinori desinunt obviare,"; sed doctrina locum interpretata est de iis qui ex officio tenentur impedire crimina. — De concursu *negativo* cfr. Carrara l. c. §. 404.

concurreret ad delictum patrandum, et erit tractandus ad normam § 3 canonis 2209; imo in tali negligentia facile aderit circumstantia aggravans can. 2207, 2°. In tali casu cooperatio solum apparenter est negativa, de facto est positiva quae passim dicitur *consensus* (40).

Plerumque tamen officium negligitur non ex intentione criminosa cooperandi delicto alterius, sed ex mera dissidia seu defectu diligentiae ex officio debitae, et pro hoc casu valet principium enuntiatum in § 6. Talis omissio *formaliter* dici nequit concursus; alius utitur crimine illa omissione, sed illa per actum positivum (per consensum) non fuit ordinata ad delicti patrationem.

123. VII. « *Delicti patrati laudatio, fructuum participatio, delinquentis occultatio et receptatio aliive actus delictum iam plene absolutum subsequentes, nova delicta constituere possunt, si nempe poena in lege plectantur; sed, nisi cum delincente de illis actibus ante delictum conventum fuerit, non secumferunt delicti patrati imputabilitatem* ». — Haec § 7 iam supra n. 119 explicata manent in expositione principiorum de variis formis cooperationis. *Favor* praestitus ante delictum (per *consilium*), durante executione (per *auxilium*) continet cooperationem ad crimen; sed favor praestitus post absolutum delictum, nec in propositum delinquendi nec in delicti executionem potest influere, delicto iam perfecto. At talis favor ad veram participationem reducitur, *si ante delictum promissus seu conventus fuerit*: nam licet vis physica favoris exeratur post delictum, eius influxus in animum delinquentis propter promissionem seu conventionem delictum ipsum antecessit; atque idem dicendum est relate ad delictum habens tractum necessivum, si favor ad subsequentes actus concurrat. — Ubi delictum per se stans favor continet, suam propriam habet imputabilitatem; ubi fuit promissus est participatio in delicto, de cuius imputabilitate iudicandum est ex praecedentibus principiis; secus nulla adest imputabilitas *criminalis* (41).

(40) Cfr. vulgatum modum loquendi, etiam a moralistis adhibitum de tali sic dicta cooperatione negativa: *mutus, non obstans, non manifestans*, qui ultimus modus loquendi pertinet ad impediendum damnum ad quod tendit delictum. *Roberti* l. c. n. 189; *Michiels* l. c. p. 327; *Amor Ruibal*, Derecho penal II, n. 90 sq. ubi etiam agit de responsabilitate erga damnificatum per delictum.

(41) Cfr. *Roberti* l. c. n. 191; *Michiels* l. c. pag. 328; *Amor Ruibal* l. c. II. n. 87 sq.

124. Propositis generalibus principiis de concursu plurium personarum in idem delictum, Codex sustulit iuris praecedentis incertitudinem et consuluit tum brevitati partis specialis, quae est de singulis delictis cum respectivis poenis, et maiori simplicitati futurarum legum poenaliurum. Cognito facto criminoso in lege poenali notato, legislator non debet esse sollicitus de participantibus in tale factum; nam horum imputabilitas criminalis manet generali modo determinata in principiis can. 2209 expressis. Est verus progressus iuridicus ex novo Codice iuris canonici obtentus.

CAPUT XIV

De concursu plurium delictorum in eodem delinquente

125. **Connexio materiae.** Unum idemque subiectum posse committere plura delicta nimis est manifestum. De omnibus debet respondere in iudicio criminali, et non unum vel alterum, sed omnia sunt punienda. Quoad modum applicandi poenas pluribus delictis simul in iudicium adductis, criterium datur in Codice partim in can. 2224 partim in can. 2244 loquendo in particulari de censuris; sed quando unum vel plura delicta sunt delinquenti imputanda non definitur per principia generalia omnino praecisa nisi indirecte. Cum autem primo ex canonibus citatis ponatur principium « *ordinarie tot poenae quot delicta* », necessarium est scire quando et quomodo multiplicentur delicta, qua ratione delictorum pluralitas imputari debeat criminaliter. Hic autem videtur esse locus proprius tradendae hac de re doctrinae. Primo enim actum est de *uno* delicto, examinatis elementis subiectivo, obiectivo et iuridico: deinde capite praecedenti de uno delicto cuius plures sunt auctores vel participes; superest consideratio de *pluribus* delictis in eadem persona concurrentibus (1).

(1) Cfr. *Suarez*, De cens. d. V, sec. 3, 4; *Muenchen* l. c. II, 99 sq.; *Katz*, Grundriss des canonischen Strafrechts p. 54; *Hinschius*, Das Kirchenrecht, tom. 5 p. 944 sq.; *Schiappoli*, in Diritto pen. canonico n. 109; *Pessina*, Elem. di dir. penale § 135; *Ferrini*, Diritto pen. romano n. 99 sq.; *Thesaurus*, De poenis P. I, cap. 8. *Roberti* I, n. 182 sq.; *Michiels* l. c. p. 329 sq.; *Amor Ruibal*, Derecho penal II, n. 95 sq. — Cfr. quoque *Schultz*, De concursu delictorum Hal. 1748;

126. Etiam theologi moralistae agunt de pluralitate *peccatorum* in violatione ordinis moralis in foro conscientiae et relate ad Deum, ordinis moralis vindicem: sed normae ad illam discernendam non sunt eadem cum normis quae valent pro actibus in quantum sunt violationes ordinis iuridico-canonici et pertinent ad forum externum, licet cum his habeant relationem. Pro quo foro praeter intentionem et facta, attendenda quoque est obiectiva legis dispositio, ubi datur, unde delictum, sicut desumit suam naturam iuridicam, ita suam individualitatem vel multipliciter (2) derivare potest. Unde non omnes theoriae a poenalistis fori saecularis propositae sunt applicabiles in foro canonico, in quo dissidium inter forum conscientiae et externum forum sociale, ob peculiarem supernaturalem finem, potius studiose vitatur, et quantum fieri possit vitari debet.

127. **Historia.** Neque in iure Romano neque in iure populorum Germanicorum invenitur scientifica theoria clare proposita de *concurso delictorum* ac de modo applicandi poenas in casibus inter se valde diversis delictorum concurrentium.

I. Sane in iure Romano non sunt confundenda delicta concurrentia, cum concursu actionum quae ex eodem delicto nascuntur. Quoad delicta concurrentia per plures actiones patrata videtur adhibitum principium: « *Numquam plura delicta concurrentia faciunt ut ullius impunitas detur; neque enim delictum ob aliud delictum minuit poenam* ». L. 2 D. de priv. delict. 47, 1. In delictis in unica actione concurrentibus potius videtur praevaluisse principium contrarium: « *Senatus censuit ne quis ob idem crimen pluribus legibus fieret reus* » L. 14 D. de accus. 48, 2 (3). Hoc tamen videtur habuisse fundamentum in alio principio quod una *quaestione* unica accusatio proponi poterat (L. 32 de poen. 48, 19), omnis enim *quaestio* per legem instituta competentiam dabat pro solo delicto in lege praevisto; quamvis quod valuit tempore *quaestionum perpetuarum*, deinde non fuit retentum atque admissae sunt plures accu-

Wafflaer, De concursu delictorum. Lov. 1823; Caradja, Diss. de concur. delict. Berol. 1856; Mittermaier in N. Arch. d. diritto crimin. II, 91; Bonneville, De l'amélioration de la loi criminelle v. II. Paris 1860 apud Pessina, Diritto penale § 130 sq.

(2) De multiplicatione *peccatorum* cfr. moralistas.

(3) Cfr. quoque L. 5 de quaest. 48, 18; L. 28 § 10. D. de poen. 48, 19; L. un. C. de raptu virg. 9, 13.

sationes communi iudicio definiendae (cfr. L. 6 C. ad leg. Iul. de vi 9, 12). Utrum autem in solis delictis privatis an in omnibus relate ad delicta concurrentia daretur cumlatio poenarum in controversia est, ac sive pro una sive pro alia sententia textus allegantur (4).

II. Si in iure poenali Romano theoria praecisa et clare definita non datur, de concursu delictorum ac de modo applicandi legem poenalem in delictis concurrentibus, multo minus inveniri potest in iure diversorum populorum Germanicorum; in quo circa delicta concurrentia pauca reperiuntur, in poenis vero applicandis, si excipiantur poenae quaedam graviores, quae censebantur absorbere minores, generatim fuit admissa cumlatio poenarum propter specialem modum considerandi poenam ut compensationem delicti, unde minor habebatur ratio publicae vindictae (5).

III. Hinc nihil mirum quod etiam in fontibus iuris canonici completa quaedam theoria de delictis concurrentibus non reperiretur (6), neque etiam a canonistis antiquioribus proponatur, sed principium *quot delicta, tot poenae*, in c. 1 de poenis V, 37 contentum (7) maxime a commentatoribus iuris decret. fuit consideratum in poenis latae sententiae et praesertim in censuris de quorum multiplicitate in eodem subiecto agunt (8); at intrinsecam naturam imputabilitatis in diversis casibus concursus delictorum scientifico modo non investigarunt, ut proponerent regulam certam, qua duceretur iudex in infligendis poenis sententiae ferendae, sed incidenter dumtaxat adduxerunt aliqua ex Claro, Carpzovio, Aretino, Gandino, Farinacio aliisque iuristis praesertim italicis.

IV. Generatim hodie in doctrina criminalistarum concursus delictorum distinguitur duplex, *formalis* et *realis*. *Formalis* dicitur cum una eademque actio vel plures leges directe violat vel secundum aliquam circumstantiam addit novam malitiam directae violationi (v. gr. dum sibi appropriat bona ecclesiastica, qui illarum administra-

(4) Pessina l. c. § 135.; Ferrini, Diritto pen. romano, n. 99. sq.

(5) Pessina l. c. § 136; Del Giudice, Diritto pen. germanico, n. 45. sq.

(6) Cfr. Clem. 1 de sepult. III, 7; c. 27 X. de sent. exc. V, 39; c. 16 C. XXII. q. 1 cum dict. Gratian.; c. 4 X. de eo qui cogn. IV, 13; c. 27 42 X. de sent. exc. V, 39; c. 30 X. de resc. I, 3; c. un. in Extrg. com. V, 4.

(7) Ubi ita principium exprimitur: « Ea, quae frequenti praevaricatione iterantur, frequenti sententia condemnentur ».

(8) Cfr. v. gr. Suarez, De cens. d. V. sec. 2. 3.; Ballerini-Palmieri, Opus mor. t. VII, n. 78. sq.

tioni fuit praepositus), aut in complexu plurium actionum ex unico proposito procedentium unum delictum tamquam medium ad aliud directe intentum ordinatur (v. gr. homicidium ex scopo furti patratum), quo in casu haberi solet tamquam unum delictum *qualificatum*, v. gr. in exemplo allato homicidium qualificatum.

Concursus vero *realis* dicitur cum datur pluralitas delictorum inter se independentium, atque distinguitur in *iterationem* et *cumulationem* delictorum. *Iteratio* consideratur in concursu plurium delictorum quae homogenea sunt; atque vel constituit *consuetudinem* delinquendi, quae maxime consideratur in recidivis, vel dat locum delicto *continuato*, quod constituitur ex pluribus delictis distinctis, quae tamen iuridicam unitatem accipiunt ex hoc quod ducant ad executionem eiusdem propositi delinquendi v. gr. dolosus usus falsarum Litterarum Apostolicarum, quas quis retinet ex proposito illis utendi quoties occasio sese obtulerit, status concubinatus et similia. *Cumulatio* consideratur in concursu plurium delictorum, quae inter se homogenea non sunt (9).

128. Ius Codicis (can. 2224, 2244). Ex notione delicti data in can. 2195 (violatio externa-moraliter imputabilis-legis poenalis), ideoque ex natura rei (nisi aliud ex peculiari lege inferatur), logice infertur toties multiplicari delictum, quoties multiplicatur violatio legis poenalis scienter volita. Utrum titulus multiplicationis sit ipsa *actio* vel *effectus damnosus* per actionem productus, principio generali *directe* non definitur: si primum dicatur, multiplicabitur delictum quoties multiplicentur actiones contra legem poenalem sive eandem sive diversam; si alterum teneatur, tot erunt delicta, quod damna illata, sive eiusdem sive diversae speciei, sive per actiones numero distinctas sive per unam eandemque actionem.

Moderni iuristae quaerunt solutionem in distinctione passim adhibita concursus, in concursum *materialem seu realem* et concursum *formalem seu idealem*; materialem seu realem intelligunt plures actiones criminosas per se stantes (conkursus *criminum*), et formalem seu idealem intelligunt plures leges quae per unam actionem violantur (conkursus *legum violatarum*); et dum plura delicta admittunt in concursu reali, in concursu ideali circa multipliciter delicti dissentiunt.

(9) *Pessina* l. c. § 130 sq.

Sed legislator noster potius in hac re videtur assumpsisse principia theologiae moralis circa distinctionem *numericam* et *specificam peccatorum*, salva semper distinctione inter elementa requisita ad delictum, quod non convertitur cum peccato, licet peccatum supponat. Quare habendum est iure nostro ut generale principium illud quod deducitur ex can. 2244, § 2, *tot haberi delicta poenae obnoxia, 1º quot sunt actiones criminosae numerice per se stantes*, sive eandem sive diversam legem poenalem violent (en quod vocant concursum *realem actionum*), et 2º *quot in quavis criminoſa actione iuridica bona specificè diversa laeduntur per diversam legem poenalem ecclesiasticam protecta* (en quod vocant concursum *idealem legum*) (10).

129. I. In actionibus numericè distinctis et per se stantibus: delictorum multiplicatio habetur: 1º in iteratione eiusdem delicti; 2º in cumulatione actionum contra diversas leges.

A) *Iteratio eiusdem delicti* habetur cum *una* lex, distinctis et completis actionibus successive violatur iterato delinquendi proposito. V. gr. si ille qui sacerdos non est iterato missae celebrationem celebrat, confessarius si pluries sigillum sacramentale frangit vel pluries sollicitationem patrat. In unaquaque actione habentur elementa delicti ut supponitur imputabilis, et modo, saltem generatim, adsit *intervallum* aliquod seu *mora* inter unam actionem et aliam, sicut numericè actiones sunt distinctae et non inter se connexae, ita delicta sunt numericè multiplicata et unicuique respondet propria criminalis imputabilitas (11).

Id accidit in delictis sic dictis *instantaneis* et sunt illa quae unica actione perficiuntur.

Delictum continuatum. — Ab his delictis instantaneis distinguuntur delicta *continuata*, illa videlicet, in quibus reperitur a) *unicus dolus, unica intentio* criminoſa, sed b) *plura damna distincta, contra eandem legem*, quae ex unica determinatione voluntatis ad unitatem reducuntur. Qui unico actu voluntatis res ecclesiae vel monasterii subtrahere et furari intendens, propriam determinationem

(10) Qua ratione in pluralitate delictorum poenae sunt applicandae, est alia quaestio, alio loco solvenda.

(11) Cfr. *Suarez*, De censuris disp. X. sec. 3. n. 4 sq.; disp. V. sec. 3, n. 12; *Thesaurus* l. c. P. cap. 8.

per partes exequitur, nunc hanc nunc aliam rem subtrahens, unius delicti *continuati* reus efficitur. Si furtum unius rei procedit ex intentione voluntatis ad illam rem determinata, et deinde delinquens ex nova determinatione aliam rem furari intendit et intentionem exequitur, plura delicta seu furta patrat, non unum delictum continuatum.

Quodsi delictum committatur contra diversas personas quae sint *subiectum passivum* delicti, non videtur posse dari generalis regula etiamsi agatur de damnis eiusdem speciei seu contra *eamdem legem poenalem*. Quaestio reducitur ad hoc, num *unicus dolus* seu *unica criminosa determinatio* voluntatis intercedat vel intercedere possit, quod non raro pendet ab ipso damno per delictum patrando. Ita v. gr. quod res furto ablatae, pertineant ad unam vel plures personas v. gr. ad unam vel plures ecclesias, furis generatim non interest, cuius intentio est sibi appropriare *bona aliena*; sed interest occisoris num Titium aut Caium vel utrumque occidat, ideoque pro unoquoque homicidio proprius specialis dolus requiritur: in primo casu, unicum poterit adesse delictum per successivas subtractiones continuatum; in altero *multiplex* homicidium, si plures numero actus intercesserint.

Praeterea in delicto continuato requiruntur *plura damna distincta*, quae ex unico proposito delinquendi accipiunt unitatem.

Delictum continuatum ex praemissis est *unicum sed gravius*. — Sententia condemnatoria (cfr. can. 2208 § 1) et monitiones censentur impedire continuitatem delicti et efficere ut novus actus censendus sit procedere ex nova voluntatis determinatione. — Praescriptio non decurrit nisi post ultimum actum; et conventus ob aliquem criminis actum non praescriptum, tenetur de antiquioribus, qui cum eodem actu connectuntur, etiamsi singulatim sumpti ob praescriptionem excluderentur (can. 1205, § 2) (12).

(12) Cfr. Carrara, Programma § 54; Michiels p. 336 sq.; Amor Ruibal, l. c. n. 107 sq.; Roberti n. 196 ubi plura enumerat exempla ex nostro Codice in quibus adesse potest delictum continuatum: propagare haeresim (can. 2316); docere vel defendere doctrinas damnatas (can. 1317); legere vel defendere libros sub poena prohibitos (can. 2318); exercere superstitionem (can. 2325); conficere, vendere vel distribuere falsas reliquias (can. 2326); quaestum facere ex indulgentiis (can. 2323); fovere odia vel effective iniurias contra auctoritates ecclesiasticas (can. 2344); ministrare sacramenta indignis (can. 2364); audire confessiones sine iurisdictione (can. 2366).

Delictum permanens dicitur illud, quod unico quidem actu perficitur, sed in sua executione perdurat quamdiu perdurat damnum primo culpabili actu inductum; talia sunt concubinitas, bigamia simultanea, haeresis, schisma, apostasia, retentio libri sub poena prohibiti, educatio liberorum in religione acatholica, inobservantia residentiae debitae. Sunt delicta quae dicuntur habere tractum successivum (13).

In his delinquens manet in statu seu conditione delinquentis, quare non potest esse quaestio de multiplicatione, nisi in casu quo iterum inducatur ille status postquam fuerit interruptus aut per voluntariam desistentiam ipsius delinquentis aut per sententiam condemnatoriam vel monitionem canonicam. — Circa praescriptionem standum est canoni 1705, § 2.

Delictum habituale, de quo loquitur can. 1705 § 3, similitudinem habet cum delicto permanente. Proprie tamen consistit in iterata violatione unius eiusdemque legis ita facta ut contrahatur habitus delinquendi. In tali modo agendi certe de se committuntur plura delicta, cum in qualibet actione contra legem et dolus habeatur et damnum, sed in lege poenali haud raro consideratur non unaquaque legis violatio, sed *habitus* iterata violatione contractus et externe manifestatus; unde propter elementum iuridicum criminaliter non consideratur multiplicitas delictorum, sed per modum unius; ita v. gr. punitur negotiatio seu mercatura clericorum, ubi respicitur *exercitium* mercaturae pluribus actibus constans; neglectus vitae communis in religiosis etc. — Si prior habitus fuerit interruptus sive voluntarie sive per sententiam condemnatoriam vel monitionem canonicam, et fuerit iterum repristinatus, in novum delictum iterum inciditur (14). Quod de delicto continuato et de permanenti dictum est relate ad praescriptionem, valet quoque de delicto habituali (can. 1705).

130. B) *Cumulatio actionum specificè diversarum*. 1°) Cum dantur variae actiones specificè *diversae*, quae singillatim consideratae sunt actiones completae nec cum aliis obiective vel subiective connexae, per se patet haberi tot delicta quot actiones; materialis con-

(13) Cfr. Hollveck l. c. § 9 nota 8; Lega l. c. n. 27; Michiels l. c. pag. 339; Roberti n. 199.

(14) Suarez, De censuris disp. V. sec. 3. n. 3; Thesaurus l. c. P. I. cap. 8; Michiels l. c. p. 338; Roberti n. 199.

currentia cum alia actione criminosa nihil aufert ab elementis constitutivis delicti et imputabilitatis criminalis. Ut autem illae actiones vere opponantur diversis legibus, non est necessarium ut sint contra leges numero diversas seu contentas in distinctis numero canonibus, sed satis est, si in uno canone enumerentur tamquam prohibitiones poenales distinctae cum relativa poena. V. gr. plura delicta committit qui librum haereticum edit, defendit, legit et retinet, quia in eodem can. 2318 illi quatuor actus singillatim sub poena prohibentur et quilibet continet delictum sub poena prohibitum, et quilibet ab aliis est independens (15).

2^o) At si varii actus in lege poenali enumerati non sunt independentes, sed sunt actus praeambuli aut partialiter executivi naturaliter ordinati ad perfectum delictum in lege enuntiatum et solum huius ratione prohibiti, non sunt contra diversas leges, et cum omnes positi fuerint *unum* dumtaxat habetur delictum. Classicum exemplum est duellum, in quo licet et provocatio et acceptatio duelli aliquem delinquentem constituent, qui successive provocavit, acceptavit et et tandem patravit duellum unum dumtaxat commisit delictum poenae obnoxium.

3^o) Si vero unum delictum ordinatur ad aliud, quorum alterum habetur tamquam finis intentus a delinquente alterum vero admittitur tamquam medium ad illum finem, profecto habentur duo aut plura delicta specificae, non tantum numerice, distincta v. gr. si quis occidat ad furandum (16); videtur enim absurdum quod duo aut plura delicta specie diversa in facto criminoso habeantur et non habeantur delicta numerice distincta, quando utrumque actu completo fuit peractum.

131. II. Multiplicatio delictorum in unica actione habetur quando illa actio seu factum criminale plurium legum violationem continet; in tali facto multipliciter delictivo multiplex habetur delictum. Est violatio plurium legum, protegentium bona iuridice diversa. Hoc manifeste deducitur ex canone 2224, § 2, n. 1; porro iuxta can. 2196

(15) *Hollweck* l. c. § 9, nota 4; *Suarez*, De censuris disp. V sec. 3 n. 2.

(16) Cfr. *Thesaurum*, De poenis cap. 8; ubi quae dicuntur de poenis non contradicunt doctrinae in textu propositae; nam ipse proponit casum de *pluribus* delictis sive eiusdem sive diversae speciei; et quaestio de poenis est diversa, et potius respicit casum supra n^o 2^o propositum de actibus executivis ordinatis ad delictum lege enuntiatum.

delicta distinguuntur ex obiecto legis; quot ergo sunt iuridica bona per specialem poenalem legem protecta, tot crimina existunt. Quare distinctio modernorum iuristarum inter concursum *realem* et *idealem* supra proposita, pro foro canonico nihil refert; ubi datur concursus idealis seu plures leges violantur, ibi plura dantur delicta: adulterium cum incestu duo sunt delicta, non unum; item matrimonium mixtum sine dispensatione initum apud ministrum acatholicum. Nihil refert num pluribus actionibus vel unica, num determinatio dolosa fuerit unica vel multiplex, modo cetera requisita non desint (17).

132. Quae multiplicatio non videtur haberi cum unica actione laeduntur bona, quae specificae diversa non sunt, sed se habent ut genus et species; ita in parricidio quae est una species homicidii, in incestu qui est una species fornicationis, in rapina quae est furtum qualificatum; attenditur solum crimen specificum, in quo genericum includitur, secus genus bis imputaretur (18).

133. Idem videtur dicendum de delicto quod laedit duplicem legem, aliam superioris altioris, aliam inferioris (cfr. can. 2221) v. gr. legem communem et legem dioecesanam: habetur tunc unus actus, una laesio, unum damnum causatum; ergo unum delictum. Nihil autem obstat, quominus in casu incurrantur diversae censurae a duplici Superiore latae (can. 2244, § 2, n. 3); duplicitas poenae explicatur ex principio quod innuitur can. 2221.

(17) Cfr. cap. 4. X. de eo qui cogn. IV. 13; dic. Gratiani ad c. 16 C. XXII, q. dupliciter enim reus est qui per creaturas iurat mendaciter; Clem. I. de sepulturis. *Suarez*, De censuris disp. V. sec. 3. n. 13 sq.; *Hollweck* l. c. § 9, nota 2 et 9; *Hinschius* v. V. p. 914; *Roberti* n. 202; *Michiels* l. c. p. 343 sq.

Apud poenalistas fori saecularis non est concursus sentiendi modus: dum alii in unica actione non admittunt nisi unicum delictum licet gravius, velut *Cararra*, § 165.; *Pessina* l. c. § 127; *Listz*, Lehrbuch d. deutschen Strafrechts § 54, 57; *Garraud*, Traité... du droit penal français v. I. livr. IV. chap. 1; alii e contra tot delicta admittunt quot violationes in unica actione continentur, velut *Haelschner*, Das gemeine deutsche Strafrecht I, § 268. Nec deest sententia media, quae multiplicat delicta secundum multiplicationem *effectuum externorum* velut *Buri*, Beiträge zur Theorie des Strafrechts und zum Strafgesetzbuche, unde qui duos homines occideret uno ictu, duo patraret homicidia; aut pro multiplicatione criminum respicit separabilitatem laesionum, velut *Alimena*, Del concorso di reati e di pene, in Enciclopedia Giuridica edita a *Pessina* t. IV n. 44 sq. Cfr. *Roberti* l. c. n. 205.

(18) *Suarez* l. c. n. 13 sq.

134. Utrum unica actio per quam plures personae laeduntur v. gr. si unica actione quis plures occidit, sit unum delictum vel plura, non convenit inter doctores. *Suarez*, De censuris disp. V, sec. 3, n. 8 saltem probabile putat unum esse delictum, quamvis aequivalenter multiplex. Certe, tametsi qui uno actu plures occidit, quoad damni reparationem perinde erga singulos tenetur ac si diversis actionibus ea delicta patrasset, at relate ad imputabilitatem criminalem, cum delictum pro elemento interno importet peccatum, quo in hypothesi facta est unicum, etiam delictum dicendum videtur unicum, cuius tamen malitia et criminalis imputabilitas est longe maior si omnes occisiones fuerunt praevisae et volitae (19).

CAPUT XV

De delicti ecclesiastici conatu (1)

135. In iure criminali Ecclesiae, si iuris fontes attendantur, non continetur expressa et formalis theoria de delicto consummato et de conatu delicti in ordine ad criminalem imputabilitatem et ad poenas infligendas (2). Generatim tamen ex indirecto principio, quod leges poenales strictam habent interpretationem (Cfr. R. I, 49 in VI « In poenis benignior interpretatio facienda est »), iuris Decret. com-

(19) *Suarezii* sententiam sequuntur *Roberti* l. c. n. 202; *Michiels* l. c. p. 333 sq.

(1) Cfr. *Bader*, De conatu punibili, Franc. 1646; *Suetzner*, De impunitate conatus in delictis, Lips. 1688; *Slavinsky*, De poena conatus, Regiom. 1710; *Brukner*, Diss. sistens crimen conatus, Ien. 1735; *Hertzog*, De crim. conatu, Ien. 1735.; *Thomasius*, Problema iur. crim. an poena delicti perfecti ordinaria puniendus sit conatus proximus, Lips. 1735; *Jordan*, De nonnullis controversiis ad doctrinam de conatu delinquendi spectantibus, Marb. 1826; *Hiddema longnua*, An delinq. conatus sit puniendus, si delinquens mutato consilio sponte a delicto absteat, Groning. 1826; « Raccolta di scritti germanici di D. Crim. », Livorno 1846, t. I, p. 223. 253. 265; t. II. 150; t. III. p. 29; *Carrara*, Del conato e della complicità, Lucca 1860., Pisa 1870, aliosque auctores apud *Pessina*, Diritto pen. l. 2. c. 5. — *Muenchen* II p. 63 sq.; *Lega* n. 23. sq.; — *Roberti* I, n. 169 sq.; *Michiels* p. 245 sq. a quo late et profunde haec materia tractatur; *Amor Ruibal*, Derecho penal.

(2) Cfr. *Schiappoli* l. c. n. 78; *Mayer*, Geschichte der Strafrechte p. 158; *Katz*, Grundriss d. Kanon. Strafrechts p. 23; *Hinschius* l. c. t. V. p. 931.

mentatores alique, qui de delictis et poenis scripserunt, tamquam principium canonicum iam ponebant, actum lege poenali prohibitum non esse delictum illius legis poenalis sanctioni subiectum, nisi in ipso essent verificata omnia extrema in ipsa lege definita, seu nisi esset consummatus sive opere perfecto completus saltem relative (3); conatum vero delicti tum puniri cum in lege expresse commemoratur, quoniam de facto exstiterunt leges poenales ecclesiasticae conatum delicti expresse respicientes (4). Frequentius canonistae, in defectu expressae doctrinae canonicae de hac re, recursum habuerunt ad ius Romanum (5), atque directe respexerunt non imputabilitatem conatus per comparisonem ad delictum consummatum, sed incursionem poenarum *latae sententiae*, quae sunt propriae fori ecclesiastici. Sed recursus ad leges Romanas, etsi generatim legitimus in viginti anteriori iure ecclesiastico, non suppeditabat in hac parte doctrinam perspicuam atque omni difficultate carentem (6); quae

(3) Sunt profecto delicta, quae unico actu consummantur, ideoque delicta imperfecta seu mere attentata esse non possunt, velut blasphemia, periurium etc. At alia sunt delicta, quae executioni mandantur per plures actus successivos usque ad ultimum actum consummativum delicti; quodsi in illa serie actuum non perveniatur ad terminum seu ad actum consummativum delicti, non habetur delictum perfectum sed inchoatum, imperfectum, quod iuridico vocabulo dicitur *conatus delicti*.

(4) C. 3 (Alex. III) X de cler. percuss. V. 25, ubi punitur clericus, qui iecit lapides, quamvis de facto neminem laeserat; c. 18. X de homic. V, 12; c. 7 de elect. I, 6, in Sexto. In Decreto solum referuntur leges Romanae v. gr. c. 6. 9. 10. 11. 16. 17. 19. § 8. Dist. I. de poenit.; *Schiappoli*, l. c. n. 79.

(5) Cfr. *Thesaurus* l. c. I. c. 8, 15; *D'Annibale*, Summ. I. n. 298; *Lega* l. c. n. 24.

(6) Nam dum alii (velut *Alciatus*) voluerunt iure Romano solum delictum consummatum puniri; alii vicissim (ut *Cuiatius*, *Matthaei*, *Gravina*, *Cropp*, *Waechter*) dixerunt iuris Romani principium fuisse aequa poena puniendum delictum eiusque conatum; et tandem alii (ut *Tiraquellus*, *Heffter*, *Abegg*, *Mittermaier*, *Sanio*, *Lelièvre*, *Zacarias*, *Nicolini*) dixerunt conatum solum per exceptionem puniri in determinatis quibusdam delictis. Quibus opinionibus addi potest quarta, quam tenuit *Pessina*, Diritto pen. § 98, iuxta quem in *gravioribus delictis publicis* externa manifestatio propositi delinquendi (a fortiori conatus) aequiparabatur delicto consummato iuxta L. 5. pr. C. ad L. Iul. Maj.; e contra in delictis privatis eventus sequutus erat requisitum essenziale ad imputabilitatem iuxta L. 1 D. Quod quisque II, 2, ac solum tempore imperii relate ad quaedam *crimina extraordinaria* facta est distinctio inter delictum *perfectum* et delictum *imperfectum* seu *conatum delicti*, cuius conatus admissa est imputabilitas quamvis esset puniendus mitiori poena quam delictum perfectum seu consummatum. Cfr. quoque *Ferrini*,

vero principia valent de applicatione poenarum latae sententiae, non erunt principia generalia de imputatione delicti etiam in ordine ad alias poenas.

In iuribus modernis, varia tamen ratione admittitur criminalis imputabilitas conatus.

136. Hodie autem pro *conatu* delicti communiter intelligitur, propositum delictum committendi, quod coepit executioni mandari per actus externe illud propositum manifestantes (7) atque natura sua aptos ad delictum perficiendum, quin tamen effectum obtinuerint sive fortuito casu sive alia de causa ab ipsa voluntate delinquentis independente (8). Atque distingui solet *conatus perfectus* et *conatus imperfectus*. Secundus habetur cum nondum omnes actus executivi sunt positi; perfectus conatus habetur cum omnes actus executivi qui ex parte agentis requiruntur sunt positi, quo in casu delictum *subiective* iam est consummatum atque talis conatus solet etiam vocari delictum *frustratum* (*maleficio mancato*). Imperfectus vero conatus potest esse *remotus* vel *proximus*: in conatu *remoto* actus executivus iam prodit animum delinquendi, sed non prodit propositum determinati delicti (v. gr. ascensus per scalam ad furandum; at idem ascensus potest provenire ex proposito adulterium committendi); in *proximo* actus executivus prodit propositum determinati delicti (v. gr. post effractam ianuam alieni domicilii, collectio rerum pretiosarum ad adsportandum) (9).

Diritto pen. romano, n. 69 sq. de defectu clarae ac definitae doctrinae. Quare nihil mirum si canonistae nunc hanc nunc illam legem Romanam allegantes concordem et perspicuam doctrinam de delicto perfecto et imperfecto non proposuerint. De iure populorum germanorum cfr. *Pessina* l. sup. c.; *Del Giudice*, Diritto penale germanico, c. VI.

(7) Optime distinguit *Pessina* l. c. § 102. *praeparationem* delicti v. gr. homicidii, per quam delictum redditur possibile aut facile (v. gr. emptio armorum, veneni, quae ex se est indifferens ad delictum vel ad actum honestum v. gr. propriae defensionis) a conatu delicti, qui importat initium executionis.

(8) Quando quis propria voluntate destitit a delicto incepto, a pluribus conatus designatur speciali nomine (tentativo), quae desitio ab incepto delicto, praesertim si ex poenitentia provenit, peculiarem habet rationem iuridicam. *Pessina* l. c. § 104.

(9) Via ad delictum ita in determinato exemplo potest explicari: Titius necem Osio minatur (en pravi consilii significatio); serius arma emit, Osium quaerit ut exequatur pravum consilium (en delicti praeparatio); resciscens domi

137. Ex praemissis notionibus, iam satis deducitur in foro ecclesiastico non posse universaliter asseri, etiam in iure anteriori eiusque interpretatione doctrinali, solum delictum consummatum imputari ad poenam, etiamsi addatur restrictio, nisi lex poenalis conatum expresse memoret. Quae assertio, nisi restringatur ad poenas latae sententiae (10), non videtur esse fundata; nam profecto in conatu delicti praesertim proximo, et a fortiori in conatu perfecto, adsunt omnia elementa delicti ecclesiastici tum subiectiva tum obiectiva; ergo non deest imputabilitas ad poenam. Imo in ipso conatu remoto atque adeo in delicti praeparatione nonnumquam vel adest delictum speciale et per se, vel alia ratio boni publici, ut possit subici sanctioni poenali, si lex expresse de hoc caveat (11). At quoniam ius poenale Ecclesiae expresse non cavebat de diverso modo quo puniendus esset conatus et delictum consummatum, inferendum

solum esse, domum noctu perfringit (conatus remotus); inventum in terram deiicit, enssem stringit ipsum confossurus (conatus proximi); Osius deflexit atque ictus incassum recidit (conatus perfectus, delictum praetergressum seu subiective consummatum); mox iterum ferit et occidit (en delictum simpliciter consummatum). Cfr. *D'Annibale* l. c. n. 298 not. 25; Cod. pen. Ital. art. 61. 62. 367 *Pessina* l. c. §§ 100-107.; *Berner*, Diritto pen. § 102 sq.

(10) Quare si *D'Annibale* l. c. n. 298 docuit facta plerumque constare initio, progressu et fine i. e. pravi consilii significatione, conatu et consummatione et quoties coeretur factum, non esse obnoxium poenae conatum sed factum penitus absolutum, immo quoties factum ab effectu capit perfectionem poenam non tenere facientem quoad effectus sequutus fuerit, etiamsi agenti ad perficiendum delictum nihil aliud faciendum supersit, id solum potest esse verum relate ad determinatam poenam praesertim latae sententiae in lege statutam; at non videtur esse inferendum ex praeclari A. doctrina nec conatum delinquendi nec ipsum delictum ex parte agentis iam completum, quod tamen nondum accepit perfectionem ex effectu, carere imputabilitate criminali et aliis poenis arbitrariis generatim loquendo subici non posse. Rem bene proposuit *Thesaurus* l. c. I, c. 8 « An poenae latae sententiae requirant actum consummatum ». Quodsi *D'Annibale* provocavit ad leges Romanas, iam dictum est quam debile argumentum inde peti possit, et plures leges Romanae in contrarium afferri possunt, si non agatur de poenis latae sententiae, quas forum saeculare ignorat (v. gr. L. 5. pr. C. ad L. Iul. Mai.; L. 1. D. ad L. Corn. de Sic.; L. 7. C. eod.; L. 1. D. ad L. Pomp. de Parric.; L. 3 § 1. L. 10 pr. D. ad L. Iul. de vi pub.; L. 1. D. de extraord. crim.; L. 19. pr. D. ad L. Corn. de falsis). Cfr. quoque *Legu*, l. c. t. III. n. 19 sq. et not. pag. 28 *Suarez*, De cens. disp. IV, s. III, n. 1 sq.

(11) V. gr. violatio alieni domicilii etiam independenter a fine furti vel homicidii, peieratio in iudicio praeciso fine falsi iuramenti, sunt delicta in se imputabilia, et delatio armorum, ob rationem boni publici, praeciso fine delictum committendi, potest per legem poenalem prohiberi.

erat arbitrio iudicis id esse relictum, qui sicut alias circumstantias aggravantes aut minuentes, ita etiam diversos gradus culpabilitatis deberet ponderare, quae reperitur in delicti conatu prae delicto consummato (12).

138. Cum conatu delicti non est confundendus actus *iure nullus* quem lex poenalis *simul punit et irritum facit, vel supponit*, ut alienatio sine beneplacito apostolico, absolutio complicitis, matrimonium diaconi vel solemniter professi, iteratio baptismi iam valide collati; nam in tali casu consummatio delicti consistit in attentatione actus irriti, dum quis ex sua parte ponit omnia necessaria ut talis actus existat. Qua in hypothesis actus *ut factum* est vere consummatus, licet iuridice sit nullus seu quasi non esset (13); quare etiam quoad poenas latae sententiae, non exclusis censuris, actus a lege modo dicto irritatus consideratur ut actus consummatus (14). Quae animadversio de iure praecedente etiam sub iure Codicis valet.

139. **Ius Codicis.** Conatus notio ita proponitur: « *Quicumque actus posuerit vel praetermiserit qui ad executionem delicti natura sua conducunt, sed delictum non consummaverit, sive quia consilium suum deseruit, sive quia delictum propter insufficientiam vel ineptitudinem mediorum perficere non potuit, delicti conatum committit* ».

Ex qua notione resultat huiusmodi elementa debere concurrere:

I. *Intentio criminosa*, quae est fundamentum imputabilitatis criminalis ex can. 2195. Nec videtur requiri dolus *determinatus* seu specificus, sed sufficit dolus *indeterminatus* seu *genericus* v. gr. vulnerandi aut occidendi aut corporaliter laedendi, si ex actibus executivis sufficienter determinetur (15).

(12) Iam *Schmalzgr.* V. t. 38, n. 26, 41 de poen. animadvertit aestimationem circumstantiarum quoad poenas a iudice infligendas relinqui prudenti ipsius arbitrio, ita ut saepe in foro ecclesiastico poenae sint arbitrariae, cui consentit *Reiffensl.* eod. tit. n. 12; *Suarez*, De leg. l. V, c. 34, n. 3.

(13) *Suarez*, De leg. l. V, c. 34, n. 6 sq.; *D'Annibale* l. c. n. 298 et not. 29.

(14) Cfr. *Const. Apostolicae Sedis* n. 10. 21. 31. 36.

(15) *Roberti* I, n. 123 b; *Michiels* l. c. p. 259. Profecto dolus determinatus cognosci non potest nisi eventu, porro conatus essentialiter includit defectum eventus seu effectus criminosi. Aliter *Carrara*, Programma I, § 369, 1097, atque etiam diversi Codices moderni non sunt inter se conformes. Porro saltem actus executivi remoti saepe non produunt animum determinati in specie delicti patrandi; atque ipsi actus executivi proximiores non produunt aperte animum delictum deducendi ad ultimas consequentias.

In *culpa iuridica* non videtur dari posse imputabilitas, qua alicui imputetur conatus facti seu delicti culposi. Nam culpa venit ex defectu praevisionis effectus nocivi reapse sequuti qui praevideri potuit, conatus vero praecise in suo conceptu inducit negationem effectus nocivi seu delicti consummati (16).

II. Requiritur *actus executivi* natura sua conducentes ad delicti patrationem. — Conatus debet esse principium executionis, est inchoatio delicti; huius autem executio non potest inchoari sine actibus externis qui ex se tendant ad executionem delicti. Cogitatio, desiderium, deliberatio etiam externe aut per viam confidentiae alicui manifestata aut etiam per viam minarum, non sunt conatus: nam imprimis non reddunt semper certam intentionem exequendi, et etiam supposita tali intentione non sunt initium executionis delicti cogitati, deliberati aut comminati.

Debent deinde *natura sua* conducere ad delicti executionem. Quare quamdiu actus externus *potest* conducere ad executionem delicti, sed *potest etiam* inservire ad actum innoxium seu culpa vacantem, solum habebitur actus *praeparatorius*, qui non potest imputari ad conatum v. gr. emptio armorum.

140. Codex expresse facit mentionem de actibus *positivis* et de *negativis* seu omissionibus (vel *praetermiserit*); in omissione autem plures iuristae negant verificari conatum; sed si omissio continet dolum et apparet voluntarie directa ad pravum finem seu pravum affectum, non apparet cur, sicut delictum, ita et conatus delicti adesse non possit. Mater quae illegitime concepit, et partum relinquit sine alimento erit rea infanticidii; ergo etsi alius infantis derelicti curam suscipit et a morte secura liberat habebitur infanticidii *conatus* seu inchoatio (17).

141. Quod actus executivi *natura sua* tendant ad delicti executionem et distinguantur a meris actibus *praeparatoriis* non potest principio aliquo generali definiri; nec determinata theoria ex variis, quae circumferuntur a iuristis, solutionem congruam accipit ex invocata loquutione adhibita a legislatore in can. 2213, § 3 « incepta delicti executione »; nam profecto non incipit *executio delicti* nisi

(16) *Carrara*, Programma § 343; *Roberti* n. 173; *Michiels* p. 260.

(17) Cfr. *Carrara*, l. c. § 358 in sensu contrarium.

per *actum exsecutivum* ipsius; ergo eruere vim et significatum formulae « actus natura sua conducens ad delicti executionem » et alia formula « incepta delicti executione » esset explicare idem per idem seu nihil explicare. Certe ad initium executionis (i. e. ad actum exsecutivum prout distinguitur ab actu mere praeparatorio) non videtur requiri ut damnum ad quod tendit delictum coeperit causari v. gr. in homicidio ut aliquod vulnus inferatur, in furto ut iam aliquid substratum fuerit etc; secus in delicto frustrato seu praetergresso, quod dicitur conatus *perfectus*, esset excludendus a notione conatus delicti complexus omnium actuum exsecutorum contra rubricam tituli et ipsum canonem 2212. Profecto si Titius bona Caii depredari intendens, Caii absentis domum effringit, tum colligit in unum omnia quae invenit bona, et iamiam ea adsportaturus audit strepitum et timens apprehendi aufugit, nihil secum adsportans, conatum furti committit, licet nihil furtive auferat.

Res ergo in singulis delictis, est diiudicanda ex variis circumstantiis, secundum peculiarem naturam cuiusque delicti, modo actus positi sint utiles, apti et de facto inserviant seu causaliter tendant ad illud determinatum delictum (18).

142. III. Ultimum denum elementum ut sistatur in *conatu* delicti est, quod delictum ipsum non fuerit *consummatum* i. e. secundum proprietatem verborum ipsius legis poenalis. Quod autem consummatio non evenerit, ex iure Codicis potest provenire sive quia

(18) Pro singulari indole Ecclesiae et speciali natura delictorum, quae eius foro criminali subiici solent, videtur inutilis et parum practica disputatio inter varias iuristarum opiniones circa specialem naturam actus exsecutivi. Illa egregie et subtiliter prosequitur *Michiels*, l. c. p. 263 sq. Cfr. *Chelodi*, Ius poenale n. 15; *Roberti*, l. c. n. 171; *Lueneborg*, in *Archiv. f. K. K. R.* 1931, p. 379; *Stochiero*, *Diritto penale* n. 101; *Eichmann*, *Das Strafrecht des Codex J. C.* § 9. - Ipse *Michiels*, l. c. p. 266, tandem fatetur in praxi plerumque esse satis difficile determinare.

Idem videtur dicendum de variis theoriis circa casum erronei subiectivi iudicii circa conducentiam actuum ad finem patrandi delicti, quem pariter examinat *Michiels*, l. c. p. 267 sq. Illud autem a clarissimo doctore dictum haud facile admiserim, delictum frustratum non esse ex iure Codicis *conatum* delicti, sed requiri positionem actuum consummatorum; quod videtur contradicere formulae Codicis « *conatus delicti dicitur proprio nomine delictum frustratum* »: Qua ratione requiri possunt in casu actus consummativi, si in hypothesi delictum non fuit consummatum seu, ut dicit Codex, actus exsecutivi *effectum sortiti non sunt*? Codex manifeste distinguit *conatum simplicem* et *conatum perfectum*, quem *proprio nomine* dicit vocari *delictum frustratum*.

consilium delinquens deseruit seu ab inchoato delicto voluntarie destitit, sive quia delictum aut propter inefficaciam aut propter ineptitudinem mediorum perficere seu consummare non potuit.

143. Delictum frustratum perspicue in Codice describitur, nec speciali indiget explicatione.

144. In § 3 can 2112 *assimilatur conatui* (conatui delicti accedit) « *actio illius qui alium ad delictum committendum inducere studuerit, sed inefficaciter* ». Inductio ad delictum, quae effectu caruit, delicti patrandi proprie conatus non est, cum nullum contineat actum exsecutivum delicti, quod ut supponitur ab alio patrandum est. Nihilominus est via ad delictum, cuius executionem quis intendit per alium obtinere: cum inductio fuit efficax delictum existit ex actione physica personae inductae et ex actione morali personae inducentis, cui utrique merito tribuitur seu imputatur delictum ut duplici causae principali physicae et morali. Si ergo inductio effectum non habuerit, merito inducens assimilatur actioni illius, qui ex propria libera determinatione propositum delinquendi concepit et ponit aliquot actus exsecutivos non perductos usque ad consummationem.

145. Imputabilitas conatus expresse sancitur can. 2213, ubi declaratur eo esse maiorem, quo magis ad consummationem accedit (cfr. distinctionem inter conatum remotum et proximum), licet de se semper sit minor prae delicto consummato; et ob eandem rationem delictum frustratum magis culpabile est, quam simplex delicti conatus, cum ex parte subiecti delinquentis positum fuerit quidquid necessarium est ut factum criminis ex propria actione existeret. Fundamentum imputabilitatis est manifestum: damnum mediatum existit; damnum immediatum forte non datur, sed periculum incursum est verum damnum contra privatam et publicam securitatem, quam lex poenalis tueri debet. Quae imputabilitas criminalis conatus delicti, non est imputabilitas novi cuiusdam delicti distincti ab eo quod lex poenalis specialis contemplatur, sed est imputabilitas eiusdem delicti lege speciali praevisi, quod a lege punitur gravius, si fuerit consummatum, levius si mansit in conatu.

Tunc tantum verum delictum per se stans habetur in conatu, cum ipsum conatum lex peculiari poena mulctat (can. 2212, § 4); quae de re plura habentur in Codice exempla. Cfr. v. gr. can. 2407.

146. Exceptio quoad imputabilitatem criminalem fit can. 2213, § 3. « *Ab omni imputabilitate liberatur qui sponte ab incepta delicti executione destiterit, si nullum ex conatu damnum aut scandalum ortum sit* ». Illa desitio debet esse spontanea seu libera, non coacta v. gr. ex metu ne deprehendatur et apprehendatur, ita ut per eam plene renuntietur intentati et iam inchoati delicti consummationi. Imputabilitas moralis seu in conscientia et coram Deo habetur; immo vel ipsa imputabilitas criminalis propria actuum executivorum integra habetur perinde ac in desitione non spontanea, cum quod factum est, infectum fieri nequeat; ab hac tamen *liberatur* ob *politicam* rationem, ut videlicet delinquens, quem conscientiae remorsus pungit, oblata spe impunitatis, ad cor redeat, delicti horrorem concipiat et ab eo consummando libere et spontanee absteat (19).

Quodsi iam sit ortum damnum ex actibus executivis in conatu contentis vel fidelium scandalum, tum iustitia exigit ut delinquens de damno iam illato et de excitato scandalo respondeat.

CAPUT XVI

De effectibus delicti (can. 2210-2211)

147. **Praenotiones.** Effectus naturales delicti sunt *damnum mediatum* seu morale-sociale in societatem seu in publicam securitatem seu publicum ordinem redundans et *damnum immediatum*, quod ut plurimum infertur determinatae personae physicae aut morali. Quibus duobus damnis respondent duo diversi effectus iuridici, qui comprehenduntur sub generico vocabulo *reparationis*. Ex damno *immediato* oritur obligatio *reparationis civilis* i. e. obligatio ad praestandam indemnitate *parti laesae*; ex damno *mediato* obligatio *reparationis socialis*, seu ad subeundam poenam. Quibus duabus obligationibus respondet duplex ius (societati et parti laesae); duplici iuri duplex respective actio: 1° ad indemnitate *materiale* = *actio*

(19) Cfr. *Roberti*, I, 175; *Michiels*, t. c. p. 292 a quo aliae theoriae expendantur circa huiusmodi liberationem, quae etiam in aliis saecularibus legislationibus modernis admittitur, in quibus haud raro speciali vocabulo (tentativo) designatur ille conatus delicti, a quo quis destitit propria spontanea voluntate.

civilis; 2° ad indemnitate *moralem* quae habetur per poenam *inflictam* = *actio poenalis*. Inde etiam duplex iudicium: *civile* seu *contentiosum* et *criminale*.

148. I. *Actio poenalis* regulariter spectat ad potestatem *socialem* et inde dicitur *actio publica*, i. e. ordinata ad bonum publicum et promota ab auctoritate publica seu publico magistratu ad hoc deputato, ex quo tempore, abolita actione populari, introductum fuit ut accusatio delicti fieret, a tali publico magistratu, quod in foro ecclesiastico, praecedente praxi, factum est per can. 1943, relictis communibus fidelibus *iure* et in multis casibus *obligatione* delictum et delinquentem *denuntiandi*. Quae actio contra solam personam delinquentis (1) institui *potest* et generatim *debet* (2) et pro *obiecto* habet poenam infligendam et declarandam et ad satisfactionem, ubi ea pro publico bono necessaria sit, praestandam; iuridica poenalis obligatio nec ad alios transit nec per alios adimpleri potest.

II. *Actio civilis* seu *contentiosa* ad solam personam laesam pertinet, in cuius arbitrio est positum illam experiri vel eidem renun-

(1) Delinquentis nomine quando delictum ex plurium personarum concurrente actione patratum est, intelliguntur auctores criminis et alii qui concursum praestiterunt, sed ad normam can. 2209.

(2) Nihilominus sive ob amorem pacis, sive ut consulatur honori eius, qui per delictum offensus est, nonnumquam lex, etiam poenalem delicti persecutionem in arbitrio partis offensae relinquit. Quo casu delicti puniatio etiam ordinatur ad bonum sociale non ad satisfaciendum privatae vindictae. Nihilominus ex una parte societas minus habet interesse in hisce determinatis delictis reprimendis; et ex alia parte persona laesa magnum habere potest interesse in evitanda facti publicitate, et inde huius arbitrio relinquitur etiam poenalis actio ad imponendam poenam vel satisfactionem, quamvis natura et scopus non mutantur. Atque hic est unicus verus sensus illius formulae, qua certa delicta dicuntur esse *actionis privatae*; videlicet significatur, actionem publicam esse subordinatam in suo exercitio voluntati personae offensae. Cfr. *Carrara*, Programma I, § 549, qui praecedenti § 548 mentionem facit privilegii civitatis Palermitanae, postea ad integram Siciliam extensi, de necessitate instantiae privatae, ad hoc ut ex officio posset procedi saltem contra delicta damnanda ad poenam relegatione inferiorem. - Ius quoque nostrum (can. 1938) in causa iniuriarum aut diffamationis, ut actio criminalis instituat, requirit praeviam denuntiationem seu querelam partis laesae.

Porro quoad necessitatem actionis publicae, ea in foro ecclesiastico non est necessitas *absoluta*. Nam ipse Promotor iustitiae actionem suam subordinatam habet prudentiae et discretioni Superioris (can. 1954 iunct. can. 1947-1653), licet eam debeat urgere quando ipsi commissa fuit. Ipsam inflictionem poenae ius nostrum conscientiae et prudentiae Superioris committit ad normam can. 2223, § 3.

tiare. Ideoque actio *privata* est non *publica* et ex obiecto et ex persona a qua exercetur; nam nihil aliud per eam intenditur quam reparatio damni accepti. Quare talis actio deesse potest, ubi ex delicto nullum damnum privatum subsequutum est (3); ubi vero intercessit non dirigitur exclusive *in personam* delinquentis, sed etiam in eos, qui pro ipso in contentiosis respondere debent et in eos qui a delinquente causam habent, ut sunt heredes, qui bona accipiunt cum iuribus et oneribus, nam damna compensanda sunt onere hereditatis sicut cetera debita, et in materia damnorum cautio obligationum non est persona debitoris sed eius bona, saltem quando per rei restitutionem aut per compensationem pecuniariam reparatio obtineri potest (4).

Adaequata indemnitas obtinetur, si omnia damna sarciantur et expensae, quae ex delicto obvenerint. Ad hanc porro compensationem tenentur in solidum omnes qui in delictum concurrerint modis descriptis, can. 2209 § 1-3, tametsi a iudice pro rata damnati fuerint, idque secundum principia theologiae moralis de damnorum reparatione (can. 2221).

149. Relatio inter actionem criminalem et contentiosam.

I. Memoratae binae actiones, civilis et poenalis, sunt inter se independentes; nam licet oriantur occasione unius facti, causam iuridicam habent distinctam cum nascentur ex violatione iuris diversi et praeterea distinctum habent finem.

II. Ex illa independentia utriusque actionis sequitur sententiam absolutoriam in iudicio civili prolatam non praeiudicare actioni poenali quae ab auctoritate publica promovetur; sicut etiam sententia absolutoria in iudicio poenali prolata inter accusatorem publicum et delinquentem non praeiudicat actioni civili, quam habet laesus ad petendam indemnitate, cum is non fuerit pars in iudicio criminali,

(3) Cfr. casum in quo delictum mansit in statu conatus vel fuit delictum frustratum vel fuit mandatum aut instigatio, quae effectu caruit.

(4) Damna, quae directe habent valorem oeconomicum, reparari poterunt solutione pecuniae post aestimatum a iudice eorum valorem. Quoad damna passa in honore, ea in se ipsis reparantur publica revocatione iniuriae, retractatione calumniae, restitutione honoris, de qua pariter agunt theologi moralistae. Nihil autem videtur obstare, quominus consecutaria oeconomica, quae promanant ex laesione honoris vel famae, iubeantur a iudice reparari compensatione quadam oeconomica superaddita reparationi honorariae.

etiamsi denuntiationem fecisset. Nam licet in utroque iudicio eadem sit *causa*, non est idem *obiectum* nec *eadem personae* (5).

III. Inde etiam consequitur, quod, sicut *reparatio* damni iam laeso exhibita aut *remissio* ex parte laesi, licet actionem civilem extinguat actioni tamen poenali non praeiudicat, ita expiatio poenae inflictae vel eius per indultum Principis condonatio aut remissio, nullum affert praeiudicium actioni civili, quae integra manet, modo opponatur tempore habili.

IV. Sequitur etiam praescriptionem actionis poenalis non praeiudicare actioni civili seu contentiosae et vicissim. Nam praescriptio in ordine ad actionem civilem et poenalem procedit ex principiis plane diversis: in poenalibus procedit ex principiis primario ordinis publici, in contentiosis ex principiis ordinis publici procedit tantum secundarie. Duae illae actiones sunt entia iuridica plane distincta, nec proinde admitti potest quod sint pares in effectu et quod vita unius sit impossibilis cum morte seu extinctione alterius.

Praescriptio in materia civili est exceptio, in poenalibus est modus politicus extinguendi actionem. Praescriptioni civili pars, cui favet, renuntiare potest; poenali renuntiare non potest et a iudice suppleri debet eius influxus. - Civilis habet pro fundamento praesumptionem negligentiae et habet pro scopo punire negligentes in suis rebus custodiendis vel etiam malitiosos, qui dolose differunt actionem proponere ad tempus, quo prorsus difficile sit probationes colligere ad illam elidendam. In poenali illa negligentiae praesumptio locum non habet. In poenalibus tempus extinguit actionem (secundum legis dispositionem), quia praeter difficultatem probationis innocentiae, tempus fecit cessare *damnum sociale* ob praesumptam delicti oblivionem, unde etiam cessat et scandalum in bonis et pravum exemplum pro dyscolis. Quo damno sociali cessante, reparatio poenalis redditur inutilis. Sed damnum privatum potest nihilominus persistere et sequi debet regulam de iuribus mere privatis. Accedit quod actio poenalis sequitur ex delicto in quantum delictum est; actio civilis ex delicto oritur in quantum est factum nocivum. Quod si tempus vel amnistia delictum abstersit sive obliteravit, manet semper natura facti nocivi.

150. Processus pro utraque actione explicatur secundum generales normas quae in Codice traduntur, et ipse can. 2210 § 2 remittit

(5) Cfr. *Roberti*, n. 216, 217.

ad canones 1552-1959, illud addens, quod « idem iudex in criminali iudicio potest ad instantiam partis laesae civilem actionem ad examen revocare et definire ». Non imponitur simultaneitas iudicii, licet sint causae connexae, sed permittitur; quodsi separatim et independenter proponantur, iure non imponitur praecedentia inter ipsas; nam in foro canonico non videtur dari quaestio civilis praeiudicialis, quae excludat sententiam poenalem qua infligantur poenae.

PARS ALTERA

DE POENIS ECCLESIASTICIS

Absoluta disputatione de delictis in genere, illico transeundum est ad disquisitionem de poenis ecclesiasticis *universim spectatis*.

Quo ordine ipsius Codicis apta via sternitur ad partem tertiam libri V Codicis in qua speciatim agitur de singulis delictis eorumque propriis poenis. Ita simul cavetur, ne in exponendis particularibus poenis singulorum delictorum, multa de poenis ecclesiasticis supponantur et commemorentur, quae explicata nondum sunt (1).

CAPUT XVII

De poenis Ecclesiasticis in genere

(Cf. Tit. 37, X, De poenis, Tit. 39, X, De sent. excommun. can. 2214 sq.)

Scriptores: Praeter auctores, qui agunt de censuris, infra citandos, *Thesaurus*, De poenis ecclesiasticis P. I.; *Eck*, De natura poenarum secundum ius canonicum, Devol. 1860; *Stremmer*, Traité des peines ecclésiastiques, etc., Paris 1861; *Kahn*, Études sur le délit et la peine en droit canon., Paris-Nancy, 1892; *De Luca*, De delictis et poenis, Romae 1898; *Lega*, Praelectiones de iudiciis eccl. t. III; *D'Annibale*, Summula theol. mor. I, n. 300 sq.; *Noldin*, De delictis et poenis, Oeniponte, 1905; *Noldin-Schönegger*, De poenis eccl. ibid. a. 1921; *Muenchen*, D. k. Gerichtsverfahren u. Strafrecht.; *Katz*, Grundriss d. k. Strafrechts.; *Hollweck*, D. kirchlichen Strafgesetze; *Pessina*, Elementi di diritto penale; *Rossi-Pellegr.* Trattato di diritto penale; *Roberti*, P. II, De Poenis, n. 219 sq.; *Amor Ruibal*, Derecho penal de la Iglesia, t. I, cap. 2; II, n. 167 sq.

151. Cum *poena* generatim in ordine sociali sit malum *passionis* (sensus) aut *privationis* (damni) propter delictum a legitima aucto-

(1) Cfr. *Zech*, l. c. tit. 9, de criminibus in genere § 97 sq.; tit. 10 de poenis fori ecclesiastici; § 109 sq. « Antequam de natura singulorum delictorum in specie

ritate etiam invitis ad conservandum ordinem sociale iuste inflictum (2); facile intelligitur, poenam ecclesiasticam pariter esse *malum quoddam passionis aut privationis ob delictum ab Ecclesia notatum, per auctoritatem ecclesiasticam etiam invitis fidelibus ad conservandum sociale Ecclesiae ordinem iuste inflictum*. — Magis succinctorum can. 2215 poena est « *Privatio alicuius boni ad delinquentis correctionem a legitima auctoritate inflictam* »: quae privatio tandem reducitur ad aliquod malum animae vel corporis.

152. Finis poenae. Cum malum non sit infligendum propter se, etiam mala illa, quibus consistunt poenae ecclesiasticae, ad finem quendam honestum (3) referantur necesse est. Qui finis poenarum ecclesiasticarum *ultimus et supremus* atque vere *essentialis* est *conservatio et tutela ordinis socialis in Ecclesia per delictum violati et per poenam restaurandi* (4). At ut finis ille ultimus et supremus attingatur, poenae ecclesiasticae proxime et immediate nequaquam ad unicum tantum finem sunt dirigendae. Quare, quamvis Ecclesia pro-

agamus, necesse est, ut de poenis, quae singulis sunt propriae, in genere referamus aliquas iuris doctrinas; *Muenchen*, tom. II, l. I, « doctrinae generales de delictis » l. II « de poenis »; l. III « de delictis in specie »; *Stremler*, l. c. p. 1 sq. Eodem modo processerunt scriptores de iure poenali in foro civili v. gr. iam ex antiquis *Cremani*, De iure crim. (P. I, De delictis generatim; P. II, De poenis); item *Berner*, Diritto penale (Post prolegomena; l. 1, II reato; l. II, Della pena). Qui ordo plerumque servatur etiam in Codicibus recentioribus, saltem quoad substantiam.

(2) *Tarquini*, Inst. iur. eccl. publ. n. 25; *Cavagnis*, Inst. iur. p. eccl. P. I, n. 141 sq.; *Schmalzgr.* l. c. lib. V, tit. 37, de poenis, n. 1 sq.; *Ferraris*, l. c. v. Poena; *Thesaurus*, De poenis eccl. P. I, cap. 1, 2; *De Luca*, l. c. n. 26; *Muenchen*, l. c. II, 9; *Cathrein*, Moralphilosophie tom. II, p. 543; *Berner*, l. c. § 2 sq., § 115 sq., ubi non pauca attentione digna profert falsis notionibus commixta atque suo exemplo probat, solidum studium iuris criminalis haberi non posse sine solido fundamento philosophiae moralis. Cfr. quoque *Hinschius*, l. c. t. IV, p. 747 de notionem poenae, t. V, p. 123 sq., ubi recte refutat illam sententiam quasi Eccl. non infligeret veras poenas i. e. malum passionis aut privationis; at modum excedit, si p. 123 Eccl. accusat violatae iustitiae. — Vox *poena* directe a vocabulo graeco *ποινη* videtur esse derivanda, unde proprie significat *pretium quo iniuria pensatur seu satisfactionem*. *Forcellini*, Lexicon tot. latin. v. poena. De alia derivatione a *πίνα*, *solvere*, cfr. *Ferrini*, Diritto pen. rom., n. 108.

(3) *Schmalzgr.* h. t. n. 2: *Devoti*, Inst. can. lib. IV, tit. 1, § 1, tit. 17, § 2; *Cathrein*, l. c. p. 545; *D'Annibale*, Summula I, 300 sq.

(4) *Tarquini*, l. c.; *Cavagnis*, l. c.; *Santi*, h. t. n. 1, 2.

suo supremo fine curandi salutem animarum maxime intendat suis poenis obtinere *emendationem* delinquentis (*finis correctivus*), tamen iste finis etiam in foro ecclesiastico nequaquam semper et necessario est obtinendus. Hinc Ecclesia certas poenas infligit atque etiam nunc infligit, non obstante emendatione iam secuta, aliasque poenas infligtas sustinet, etsi reus post poenas infligtas sese emendarit (5). Manifestum igitur est, emendationem delinquentis non posse existere unicum et exclusivum et principalem finem poenarum ecclesiasticarum.

Praeterea ad ordinem sociale Ecclesiae conservandum optimo sane iure poenae ecclesiasticae ita ordinantur, ut *deterreant* fideles a sceleribus patrandis (6). Nihilominus de facto iste scopus saepe non obtinetur; ergo ne poena contra delicta iam commissa sit plane illusoria, praeter scopum emendationis delinquentis habeat oportet etiam illum *reddendi* (7) delinquentem *inhabilem* ad nova scelera patranda atque ordinem sociale turbandum.

Denique negari non potest, in foro quoque ecclesiastico poenas praecipue dirigi ad *reparationem* ordinis socialis laesi et ad vindictam sumendam et scandalum delicto datum poena reparandum (8). Quae restitutio et vindicta non *absolute* est propria poenae ecclesiasticae, sicut a Deo supremo vindice intenditur, sed tantum *rela-*

(5) Cfr. v. g. poenam degradationis, suspensionis ad certum tempus, impedimentum criminis, irregularitates ex delicto, et generatim poenas *vindicativas*.

(6) Qui finis non exigit, ut poenae sint horribiliter severae in se, sed iste scopus melius obtinetur, si poenae in se non nimis blandae et ad incutiendum salutarem timorem aptae efficaciter et *inevitabiliter* executioni mandentur. Quodsi crescat certorum delictorum numerus, tum maxime iste scopus est attendendus; at iterum aucto delictorum numero *non semper* (licet interdum id expediat) poenae augendae sunt, cum potius plerumque expediat, ut poenae iam statutae et passim non applicatae executioni mandentur. Comminatio enim poenae suam efficaciam ad deterrendos a delicto fideles non habet nisi sit coniuncta cum persuasionem ex parte fidelium, poenam comminatam a delincente inevitabiliter esse subeundam Cfr. *Cavagnis*, l. c. n. 161, coll. c. n. 156; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 129, not. 8, affert textus, ex quibus patet scopum Ecclesiae in infligendis poenis esse etiam alios deterre a delictis, v. gr. c. 1, X, de maled. V, 26; c. 7, X, de poenit. V, 38; c. 17 (Later IV) X, de iud. V, 6; c. 1, de haeret. V, 4, in Sext.; c. unic. (Bonif. VIII) de schis. V, 3, in Sext. Recte quoque notat contra *Katz* non posse excipi haec tantum dici de clericis, nam saltem cit. c. Later. IV, generatim et indiscriminatim loquitur.

(7) Cfr. poenam reclusionis in domum correctionis.

(8) *Smalzgr.*, h. t. n. 2; *Sanguineti*, Inst. iur. eccl. n. 680 sq.

live i. e. quatenus ad ordinem sociale conservandum requiritur (9). At ex altera parte vindicta illa ab Ecclesia de delicto sumenda non ita deprimi debet, quasi Ecclesia poenam vindicativam sive ex scopo vindicativo infligere non possit aut saltem de facto non infligat (10). Quae restrictio etiamsi a poena capitali plane abstrahatur tota sua generalitate non videtur esse satis efficaciter probata (11).

153. Quae doctrina tradita de essentia et finibus poenarum ecclesiasticarum ea est, quae deducitur ex principiis ethicae christianae, Ecclesiae quoque ut societati visibili et perfectae applicandis, et quam ipsa Ecclesia in sua legislatione poenali professa est.

I. Sane sicut non est delictum quodlibet peccatum ordinem morale individuale violans (12), sed ea dumtaxat legis violatio quae ordinem sociale turbat qui per publicas leges conservatur et promovetur; ita iustitia criminalis seu potestas punitiva, quae complementum est potestatis legiferae efficaciae, dum poenam sociale delicti infligit, directe intendit restaurare ordinem morale publicum delicto laesum, ad quem, tamquam medium ad finem, malum poenae inflictiae ordinatur (13). Quae redintegratio ordinis per delictum voluntarie laesi, seu, ut dicit S. Thomas (14), reactio quaedam ordinis contra deordinationem, est finis poenae intrinsecus ac proinde essentialis, quem ex natura rei in infligendis poenis intendere debet potestas publica, ad quam pertinet iustitia criminalis seu potestas punitiva (15).

(9) *Tarquini*, l. c. p. 16; *Cathrein*, l. c. p. 548 sq.

(10) *Cavagnis*, l. c. n. 284 sq.

(11) *Tarquini*, l. c. n. 47, f. f.; *Sanguineti*, l. c.

(12) *Schiffini*, *Philosoph. mor.* n. 146; *Meyer*, *Philos. mor.* II, 589.

(13) *Schiffini*, l. c. n. 494.

(14) *S. Thomas* I, II, q. 87, a. 1; *Schiffini*, l. c. n. 144; *Meyer*, *Philos. mor.*, II, 591. « Qui omnem characterem vindictae et retributionis publicae pro demerito a quovis systemate poenali humano per se excludi contendunt, intimam naturam itemque ideam criminalis iustitiae pervertunt »; *S. Thomas*, *C. Gent.* l. 3, c. 146, 144.

(15) *Kahn*, l. c. p. 53 sq., 56 sq.; *Schiappoli*, l. c. n. 121; *Hollweck*, *D. kirchl. Strafgesetze*, § 20, p. 83, n. 3; *München*, *Das canonisch Strafrecht*, II, p. 6, 8; *Amor Ruibal*, l. c. II, n. 167; *Cfr. de iur. saec.*; *Roland*, *L'esprit du droit criminel*, p. 328 sq.; *Molinier*, *Traité de droit pénal* I, p. 49; *Glasson*, *Histoire du droit et des inst. de la France*, III, p. 583; *Trébutien*, *Cours élément. d. droit criminel* p. 18, 19; *Garraud*, *Traité n. droit pénal Franc.* I, p. 75 et not. 4.

II. Praeter hunc finem intrinsecum, alius finis potest et debet a prudenti legislatore intendi in *comminatione* poenae, qua antecedenter sanciantur leges, ut sc. eius timore a transgressione legis subditi deterreantur. Quem finem triplici modo assequitur poena: 1° per ipsam taxationem seu determinationem poenae, quam legislator comminatur contra transgressores; quae comminatio est medicina quaedam praeservativa, actus providae gubernationis ad potestatem coercitivam generice acceptam pertinens; 2° quia iuvat ad emendationem eius qui deliquit, dum experimento proprio discit delictum non ad felicitatem sed ad miseriam ducere atque ita movetur ne quid simile in posterum admittat; 3° exemplariter, dum ceteri delinquentem punitum vident, firmantur in observantia legis ex timore ne secus eandem damnationem incurrant. Quae tamen non omnia aequaliter in qualibet punitione a legislatore intenduntur (16).

III. Quare quicumque tamquam unicum finem poenae ecclesiasticae inflictiae aut intimidationem aut emendationem delinquentis assignat, seclusa notione vindictae publicae seu reactionis contra publicum ordinem per delictum laesum, is essentiam huius instituti iuridici confundit cum fine extrinseco, ad quem ab auctoritate publica honeste et convenienter ordinatur, et sine fundamento ab auctoritate publica Ecclesiae removet strictam iustitiam criminalem cum potestate publica sociali ex natura rei cohaerentem. Qua in re imprimis errarunt *Schulte*, *Geib* et *Bar* (17), qui poenam canonicam non ut veram poenam considerant, i. e. ut malum inflictum delinquenti, sed potius ut beneficium delinquenti factum praebendo ipsi modum sese emendandi. Pariter errarunt qui dixerunt ex hoc fine poenam ecclesiasticam a civili distingui, velut *Mayer*, *Holtzendorff*, *Berner*, *Lega* (18). Falsum quoque est systema a *Katz* propositum quod solae poenae corporales v. g. carceris, multae, flagellationis habuerint veram rationem poenae, dum poenae spirituales excommunicationis, suspensionis, interdicti, media tantum sint emendationis (19); nam praeter

(16) *Schiffini*, l. c. n. 144, II.

(17) *Schulte*, *System d. k. Kirchenrechts* II, p. 376; *Geib*, *Lehrbuch d. deuts. Strafrechts*, I, p. 127; *Bar*, *Handbuch d. deuts. Strafrecht*, I, p. 86.

(18) *Mayer*, *Geschichte der Strafrecht*, § 6, 22, 29; *Holtzendorff*, *Handbuch des deutschen Strafrechts*, § 45; *Berner*, *Lehrbuch des deutschen Strafrechts*, § 45; *Lega*, III, n. 48, cfr. not. seq.

(19) *Katz*, l. c. p. 29., quem merito in hac parte refutat *Hinschius* l. c. V, 33, et *Kahn*, l. c. p. 71 sq.

alias poenas spirituales v. gr. depositio, vel illae ipsae poenas spirituales commemoratae solitae sunt ferri in Ecclesia per modum strictae poenae a reo iam emendato subeundae, atque in ipsa censura finis proximus emendationis procurandae non excludit ultimum et intrinsicum poenae finem. Suárez, De censuris d. I, s. 1, n. 8, d. IV, s. 5, n. 28, 31 (20).

IV. Nec minus certum est traditam notionem poenae atque commemorati fines ad quos a legislatore ecclesiastico fuerunt ordinatae contineri in fontibus iuris. *Poena, ultio, vindicta, satisfactio*, sunt vocabula, quibus passim designatur poena canonica (21); atque clare indicatur illam vindictam sumi ad restaurandum ordinem publicum: « cum publicae utilitatis interest ne crimina maneant impunita » c. 35, X, V, 39 (22). Nec minus clare proponitur intimidatio et exemplaritas poenae: « quod et iidem clerici metu poenae a suis arceantur insolentiis, et alii, eorum exemplo perterriti, prosilire ad similia pertimescant », c. 1, Clem. I, 9: « ut unius poena multorum possit esse correctio » c. 1, X, V, 2. Atque illae ipsae poenae quae ad emendationem delinquentis ordinantur v. gr. censurae etiam vindictae nomine designantur (23). Quamvis negari non possit ab Ecclesia praecipua quadam ratione tamquam finem proximum intendi delinquentis emendationem, eamque in hac re, sicut sua mansuetudine in puniendo,

(20) Hinc *Lega*, l. c. III, n. 47, sq. parum accurate disserit, dum tenet Ecclesiam per poenas omnes (?) semper intendere principaliter et directius fidelium emendationem atque omnia crimina insectari et detestari, non propter ordinis externi deturbationem, sed propter ordinis spiritualis seu iustitiae supernaturalis in delinquente iacturam sc. propter peccatum (etiamne in poenis, quas Ecclesia antecederet fert in tempus determinatum duraturas? et quas sustinet in delinquente perfecte emendato et ad iustitiam supernaturalem per gratiam restituto?). Multo minus sunt accurata quae *Lega*, l. c. n. 52 deprompsit ex Morino de non servata distinctione fori interni et fori externi poenalis prioribus Ecclesiae saeculis et fere usque ad XII saec. perdurante (?). Quem Morini errorem iam efficaciter refutavit *Devoti*, l. V, tit. 17 § 2, l. III, t. 1, § 7 sq., l. IV, tit. 1 § 2, 10. Neque cum memoratis assertionibus de natura poenae ecclesiasticae cohaerent, quae idem *Lega* inferius n. 56 sq. tradit de divisione poenarum ecclesiasticarum.

(21) Cap. 1, 14 X (I, 31); c. 8 X eod. « ad reprimendam malitiam poenae certae sunt a canonibus constitutae » ubi sermo est de excommunicatione; c. 5 (V 9) in Sext.

(22) Cfr. quoque c. 7 X (V, 38); c. 17 X (V, 9).

(23) C. 51, C. XXIII, q. 4; c. 9, C. XXIII, q. 3; c. 72, C. XII, q. 2. Cfr. *Kahn*, l. c. p. 56 sq, 60 sq.; *Schiappoli*, l. c. n. 121 salvis assertionibus minus accuratis huius auctoris.

ita in hac speciali cura rehabilitandi et at bonam frugem reducendi criminosos, multis saeculis antevertisse novas theorias iuris poenalis quae saec. XVIII ad finem vergente ortae sunt et in varias scholas distrahunt hodiernos poenalistas non raro genuinis principiis ethicae christianae et iuris naturalis destitutos (24).

154. Ut autem in hac re vitentur confusiones, oportet poenam considerare in duplici momento, in statu *comminationis* et in ipsius *exsecutione* (Cfr. supra dicta n. 19, 20). Ante commissum delictum, in statu comminationis, exercet suam vim praeventivam et sic sancit seu firmat legem eique efficaciam tribuit ad movendas hominum voluntates, ut ipsi sese contineant in observantia ordinis iuridici et in reverendis seu non laedendis aliorum iuribus. Quodsi nihilominus praevaleat pravus affectus et admittatur delictum, delinquens legi iniuriam irrogat, ordinem publicum turbat et fit debitor poenae; quam applicare oportet, nam antecedens eius efficacia praeservativa pendet ab eo, quod deinde applicetur, posita transgressione. Et sic poena, quae in statu comminationis praeservatricem virtutem ex malitia legem transgredientis non exercuit, in statu *exsecutionis* applicata delinquenti fit expiatrix delicti et non raro etiam delinquentis emendatrix; ex parte vero societatis fit vindicativa mali societati illati et etiam exemplaris quoad ceteros ut a delictis quae in aliis sic punita conspiciunt absteineant. In momento *exsecutionis* praesertim et essentialiter respicitur expiatio violati ordinis per vindictam socialem, si sponte illa laesio non fuerit separata vel spontanea reparatio non fuerit sufficiens. — Vel ipsa experientia docet reos generatim subire poenam ut expiationem sui criminis, nec rarus est casus, in quo ipse reus sentit necessitatem illius expiationis dum se voluntarie denuntiat, et cum poenam subiit, existimare videtur se debito, quod erga societatem habebat, satisfecisse. « Datum est mihi quod merui: perturbavi ordinem; expiavi solutione poenae ». Punitio non est merus actus quo societas se defendit; sed est actus iustitiae; non infligitur nisi merenti, non merenti infligi non potest ne praetextu quidem societatem defendendi. Punire est inferre malum: emendare, instruere, educare est afferre alicui bonum. Punitio respicit *delictum*, in quo vi-

(24) Cfr. de falsis teoriis: *Cathrein*, *Moralphil.* t. II, p. 543 sq. De salutari influxu Ecclesiae in ius poenale cfr. quoque *Pertile*, *Storia del diritto penale* § 127, p. 29 sq.

det ordinis iuridici perturbationem, quam reparat per poenam: emendatio respicit *delinquentem*, hominem destinatum ad finem felicitatis aeternae a quo declinat per delictum et ordinatur ad reducendum illum in bonam viam. Prima respicit bonum sociale et id quod est iustum; altera est sensus caritatis erga infelicem: unum et alterum interveniat oportet, sed confundere in uno conceptu non est iuridicum. — Haec principia pervertunt doctores scholae positivae, quae per longum tempus in scientia criminali dominata est.

155. **Divisio.** Poenae ecclesiasticae dividuntur (25): I. Ratione *proximi finis* principalis, in *vindicativas*, quae principaliter ad vindictam publicam et in odium delinquentis ordinantur, licet secundo etiam intendunt emendationem puniti et salutarem timorem aliorum, velut depositio vel degradatio, et in *medicinales*, quae, salvo fine essentiali, proxime ad emendationem delinquentis diriguntur atque vulgo dicuntur censurae v. g. excommunicatio vel interdictum. — II. Ratione *damni* vel *mali* quod inferunt, in *spirituales* c. g. censurae, depositio, degradatio, et in *temporales* v. g. incarceratio, multa pecuniaria. — III. Ratione *determinationis* in iure, in *ordinarias*, quae in ipsis legibus secundum individuum rationem certo definiuntur, et in *indeterminatas* sive *arbitrarias*, quarum determinatio aut inflictio prudenti arbitrio iudicis ecclesiastici relinquitur pro personarum et rerum circumstantiis (26). — IV. Ratione *modi*, quo infliguntur, in poenas *ipso iure* sive *ipso facto* inflictas seu *latae sententiae*, et in poenas *ferendae sententiae*. Quae poenae ipso iure inflictas, licet sententiam condemnatoriam iudicis non requirant, tamen non raro exigunt sententiam declaratoriam, antequam a delinquente plene executioni sint mandandae (27) — V. Ratione *modi*, quo reus bono aliquo privatur, in *negativam*, qua arcetur a bono acquirendo, velut inhabilitas ad dignitates, officia, beneficia; in *privativam* bono (iure, exercitio iuris) iam acquisito, velut privatio vocis activae et passivae,

(25) *Schmalzgr.* l. c. n. 4 sq.; *Thesaurus*, i. c.; *Devoti*, l. c. lib. IV, tit. 17, §§ 2, 4, ubi minus accurate disputat de hac re; *Stremler*, l. c. p. 5 sq.

(26) *Suárez*, De leg. lib. V, cap. 11; cap. IV, § 1, X de off. et p. i. deleg. l. 29. Divisio in ordinarias cui opponuntur extraordinariae nonnumquam alio sensu explicatur, ut dicatur *ordinaria* ea poena, quae non excedit mensuram communiter servari solitam, *extraordinaria* quae excedit. *Noldin*, l. c. n. 5.

(27) *Schmalzgr.* l. c. n. 46 sq.; *Suárez*, De leg. lib. V, cap. 5-10 incl.; *Thesaurus* l. c. P. I. cap. 6, 7.

suspensio ab ordine; et in *positivam* qua malum inferitur, velut multa pecuniaria. Positivarum executio positivam aliquam actionem exigit.

156. Maximi momenti *practici* est illa divisio, qua poenae aliae dicuntur *a iure* aliae *ab homine*: quam divisionem ita proponit Codex: «(Poena dicitur) *a iure*, si poena determinata in ipsa lege statuatur, sive latae sententiae sit sive ferendae; *ab homine*, si feratur per modum praecepti peculiaris vel per sententiam iudicalem condemnatoriam, etsi in iure statuta; — quare poena ferendae sententiae, legi addita, ante sententiam condemnatoriam est a iure tantum, postea a iure simul et ab homine, sed consideratur tamquam ab homine» (can. 2217, § 1 n. 3).

I. Quod sit a iure poena latae sententiae in lege statuta, nulla est difficultas: lex illam constituit et patrato delicto immediate ligat delinquentem quin interveniant actus hominis. Quod sit pariter a iure poenae ferendae sententiae etiam est manifestum quia ius illam constituit, at in hoc casu ius immediate non ligat delinquentem, sed ut hic poena ligetur requiritur actus hominis (iudicis) qui poenam applicet per sententiam condemnatoriam, quae est sententia *hominis* non *iuris*: ergo in hoc casu poena est *a iure* in quantum permanenter in iure constituta est contra quosvis violatores; sed in quantum irrogata particulari delinquenti est ab homine i. e. ab illo iudice qui in talem delinquentem sententiam condemnatoriam protulit. — Ad legem reducitur *praeceptum generale* communitati intimatum et poenali sanctione munitum (v. gr. pro tempore pestis aut alterius communis temporaneae calamitatis seu necessitatis), quod a lege nihil differt nisi ex defectu perpetuitatis. Cfr. infra ubi de hac divisione in censuris. — Quod poena quae est simul a iure et ab homine, sit *consideranda tamquam ab homine* nihil aliud in subiecta materia significat, nisi quod quoad remissionem est reservata homini qui illam infligit, sicut sunt reservatae illae quae unice ab homine sunt et ab homine dici debent.

II. Huius poenae ab homine duplex species distinguitur a Codice: 1°) quae fertur per sententiam condemnatoriam; 2°) quae fertur per praeceptum peculiare. Haec altera est ab homine sive dum manet comminata in praecepto; sive cum, violato praecepto, ab eodem homine infligitur seu applicatur.

Canon veram divisionem tradit ideoque veram oppositionem inter unum et aliud membrum ponit, inter poenas quae sunt pure et

simpliciter a iure, et eas quae sunt ab homine, quarum duplicem speciem assignat.

Aliter rem explicat *Roberti* l. c. II, n. 242 cum aliis paucis (28), quasi poena adnexa praecepto peculiari sit a iure, quae non sit reservata homini praeceptum imponenti cum fertur ut poena latae sententiae. Quae explicatio aperte adversatur praescriptis cc. 2245 § 2, 2247 § 2, 2252, 2253 2°, ut suo loco dicitur.

III. Praeceptum peculiare nullo modo potest dici *ius, praeceptum a iure* datum, nec proinde poena qua sancitur *poena a iure*. Ius (objective) est norma communitati data; praeceptum peculiare est vinculum personale singulari individuae personae impositum; — nihil mutatur in natura vinculi personalis si inducitur per praeceptum solam comminationem poenae continens vel poenam iam irrogans quae sit latae sententiae. Si agendo de praecepto peculiari in canone 2217 non fit distinctio inter comminans et irrogans poenam, nec nos debemus distinguere, et praeceptum ita generaliter dictum sine distinctione connumeratur cum poena per condemnatoriam sententiam lata (ut sit poena *ab homine*), quae in canone opponitur poenae a iure. Parallelismus excogitatus est constructio iuridica arbitraria, quae nihil probat contra claram formulam legis (29). Cfr. infra dicenda de censuris n. 223 III.

157. De poena *iusta* et *iniusta* Codex solum loquitur hoc loco inter canones de interpretatione poenarum, dum canone 2219 § 2; postquam sancivit in poenis benigniorem esse faciendam interpretationem, addit: « *At si dubitetur utrum poena, a Superiore com-*

(28) Cum *Roberti*, sensit: *Sole*, De delictis et poenis, Romae, 1920, pag. 122, cui adhaesit *Il Monitore eccl.*, 1922 n. 147. Dictum Innocentii III (cap. 29, X de sent. excomm. V, 39) *quia conditor canonis* etc., nescio quomodo applicari potest casui, cum per peculiare praeceptum nullo modo dici potest condici canonem, sed vinculum dumtaxat personale et singulare.

(29) Cfr. *Cappello*, De censuris n. 68, qui optimo iure dicit idem doceri communiter ante Codicem, velut a *Suárez*, disput. VII, sec. 2, n. 1 sq.; *Schmalzgrueber*, V 39, n. 85 sq.; *S. Alphonso*, l. VII, n. 72 sq.; *Ball.-Palmieri*, VII, n. 203 sq.; Cfr. quoque *Creusen* in *Ius Pontificium* 1934, p. 26 sq. et *Cappello*, in *Nouv. Rev. Theol.* 1920 p. 525 sq. Optime divisionem explicat *D'Annibale*, l. n. 301, ubi controversiam adfuisse memorans existentem circa poenas statutas per praeceptum generale, non de praecepto peculiari; clare dicit poenas a iure esse illas « *quae feruntur ad instar legis i. e. omnibus et perpetuo* » ab homine vero « *quae ad instar praecepti i. e. singulis* ».

petente inflictis, sit iusta necne, poena servanda est in utroque foro, excepto casu appellationis in suspensivo». Sed quando erit iusta, quando erit iniusta aut dubie iusta non definit. Hoc desumendum est ex doctrina canonistica communiter ante Codicem admissa post *Suárez* et *Altieri* (30).

Iuxta hanc doctrinam poena potest esse *iusta* et *valida*, si nullo defectu laborat; *iniusta* et *valida* quae laborat defectu tantum accidentali; *iniusta et invalida* quae laborat defectu substantiali

I. In particulari est *iusta* illa poena quae fertur: a) a legitimo iudice (respective a legitimo legislatore vel Superiore); b) propter iustam et rationabilem causam et c) servato debito ordine. — Patet poenam ita *iuste* latam esse etiam poenam *validam*.

II. Poena *iniusta* erit etiam *invalida* ex parte illam ferentis vel per sententiam irrogantis, i. e. ex parte Superioris aut ex parte iudicis:

Ex parte Superioris, si eius lex (aut respective praeceptum) est nulla. — Est autem nulla lex (respective praeceptum): a) ex defectu iurisdictionis; b) ex materia inhonesta aut inutili; c) ex defectu iurisdictionis vel quia abrogata est.

Ex parte iudicis (poena per sententiam lata) est *invalida*: 1° ex defectu potestatis in iudice, qui sententiam profert: a) cum non sit iudex; b) cum habeat potestatem suspensam; c) si iudicat contra privilegia; c) vel post appellationem cum effectu suspensivo.

2° ex non servato requisito ordine substantiali.

3° ex defectu causae: a) si fertur sine causa sufficiente vel ex causa levi aut iniqua (quae causa si in ipsa sententia exprimatur iure Decretalium dicebatur sententia lata *per errorem intolerabilem*); b) ex causa quidem sufficiente sed *non vera*; c) ex causa quidem *vera*, sed iuridice *non probata* (tunc enim adest defectus *substantialis* ordinis iudicarii).

III. Erit *iniusta sed valida*, si fertur: a) ex odio, invidia vel alio vitioso passionis affectu; b) si in ea ferenda neglectus est ordo requisitus sed in accidentalibus tantum (*iniusta contra iustitiam legalem*); c) si causa falsa est, sed iuridice probata in iudicio (*iniusta materialiter sed realiter-formaliter iusta*); quam clarum est non posse obligare in conscientia (31).

(30) Cfr. auctores nota seq. allegatos.

(31) Cfr. *Suárez*, De censuris, disp. IV sec. VI et VII; *Altieri*, De censuris et Bulla in coena Domini. l. I, disp. 2, l. II, disp. 6, cap. 7; *Schmalzgr.*, V, 39, n. 8; *Reiffenstuel*, V, 39, n. 35 sq.; *Pirhing*, V, 39, a. 41; *Barbosa*, Collectanea

158. Iam inde apparet canonem 2219 § 2 supponere poenam certo iustam esse servandam, certo iniustam non esse servandam, cum de dubie iusta edicat esse servandam excepto casu appellationis in suspensivo. Casus specialis est casus de poena *materialiter iniusta, formaliter iusta*, quae certe in foro interno non tenet, in foro externo erit servanda, non praecise in vim actus quo imponitur, sed ut vitetur contemptus clavium et consequens scandalum. — Ex allegatis autem causis unde poena redditur iniusta satis apparet sat facile occurrere posse ut habeatur dubium de existentia unius ex illis causis ideoque de poenae iustitia; iam vero ubi certo constat Superiorem seu iudicem esse competentem, pro ipso stat praesumptio quod iuste et secundum leges egit seu iudicavit; ideo poena servanda interim est dum recurritur contra talem putatam iniustitiam.

159. Remedia contra poenam iniustam sive validam sive invalidam.

I. *Iure Decretalium*, qui se existimabat iniuste punitum, habebat remedium *appellationis*. Porro appellari poterat: *a) ante sententiam, quo casu habuit effectum devolutivum et suspensivum* et ligabatur potestas inferioris iudicis ne posset ultra procedere pendente appellatione (32); *b) si appellatio fieret post sententiam* habebat effectum *suspensivum* in poenis vindicativis, nisi esset casus exceptus; in censuris vero effectum dumtaxat *devolutivum* (33).

Quodsi excommunicatus allegasset sententiam contra se prolatam esse *iniustam*, debebat absolvi *ad effectum* antequam audiretur (34). Si autem contendisset sententiam fuisse notorie nullam, tunc erat absolvendus *ad cautelam*, et poterat obtinere revocationem seu relaxationem (34) excommunicationis (35).

in cap. praesenti 10 de Sent. Excom. n. 6 sq.; *Stremler*, Des peines ecclesiastiques cap. 9; *Hilarius a Sexten*, De censuris eccl. pag. 29, 30. Cfr. inferius dicenda, ubi de eadem divisione *censuris* applicata.

(32) Cap. 53, X, II, 28 *De appellat.*; cfr. quoque cap. *Praeterea* 40 eod.; cap. *Per tuas* 40 X, V, 39; *De sent. excom.*; *Wernz-Vidal*, De process. n. 631

(33) Caput *Licet* 14, V, 11 De sent. excom. in VI^o; cap. *Venerabilibus* 7 eod.; cap. *Ad reprimendam*, 8, X, I, 31 *De offic. Ordin.*; cap. *Is cui* 20, V, 11 *de sent. excom.* in VI^o.

(34) Cit. cap. *Venerabilibus* in VI^o; cap. *Solet* 2 eod.; cap. *Per tuas* 40 X, V, 39; cap. *Cum contingat* 36 X, I, 29 *De pot. iudic. delegati*.

(35) Cfr. *Glossam* in c. 1, C. XI, q. 3 et in cit. cap. *Solet*; *Altieri* l. IV, d. 1, c. 4.

II. *Iure Codicis* habetur remedium appellationis (c. 1879-1891), querelae nullitatis (c. 1892-1897) et restitutionis in integrum (1905-1907). — Is, qui se gravatum putat per sententiam poenam infligentem potest appellare ad tribunal superius. Contra sententiam *iniustam et validam* ad hoc remedium recurri debet. Contra sententiam *iniustam et notorie invalidam* datur querela nullitatis. Ut remedium extraordinarium conceditur restitutio in integrum, dummodo certo constet de iniusta sententia. *Wernz-Vidal*, De process. tit. XIV, c. 2, n. 600. — At pro appellatione in censuris standum est canoni 2243 infra explicando.

Vitia autem ob quae sententia nullitate laborat sive sanabili sive insanabili, ex dictis reduci possunt ad haec: defectus iurisdictionis seu competentiae in iudice; defectus ordinis ad validitatem praescripti; defectus causae in iudicio probatae *Wernz-Vidal* l. c. n. 16.

In casu speciali sententiae materialiter iniustae ob defectum causae, formaliter iustae quia fuit lata ex iuridicis probationibus, recurrendum erit ad appellationem aut ad restitutionem in integrum. *Wernz-Vidal* l. c. n. 614 (36).

§ 2. De potestate Ecclesiae infligendi poenas (can. 2214)

160. I. **Potestas Ecclesiae.** Ecclesiam habere potestatem infligendi poenas eamque inde a primis temporibus, si opus fuit, etiam exercuisse, res est adeo certa et indubitata, ut vel ipsi adversarii Ecclesiae catholicae illud ius atque factum negare non audeant, licet de origine (37), subiecto, ambitu huius potestatis a catholicis viris dissentiant (38). Verum dubium quoque existere non potest, quin ipse Christus Dominus suam Ecclesiam vera potestate coercitiva instruxerit, atque idcirco origo divina huius potestatis extra controversiam est constituta. Porro potestas accepta in ipsa positiva institutione est ius nativum et proprium, non aliunde acceptum sed ab

(36) *Altieri*, l. III, d. V, c. 1; l. IV, d. 1, c. 1.

(37) Cfr. v. gr. *Hinschius*, System. d. k. K., tom. IV. p. 691, sq.

(38) V. g. antiqui et novi Protestantes, qui nullam a Christo iurisdictionem Ecclesiae datam esse tenent, sed poenas ecclesiasticas repetunt ex pacto quodam et conventu vel ex iure historico. Cfr. *Devoti*, l. c. tit. 1, §§ 2, 3, 4, tit. 17, § 1; *Hinschius*, l. c.

ipso divino institutore. Hoc autem manifeste colligitur ex potestate legislativa et iudiciali, non qualicumque, sed efficaci a Christo Ecclesiae suae collata. Quae efficacia, spectata hominum indole, certe illi potestati deesset, nisi iure infligendi poenas esset munita (39). Praeterea Christus Dominus etiam directe et expresse non vagae cuidam communitati, sed rectoribus Ecclesiae illam adiudicavit potestatem decernendi gravissimam poenam exclusionis ab Ecclesia. Cfr. Matth. XVIII. 15 sq. Hinc etiam S. Paulus (II Cor. X, 15 sq. XIII. 10.) potestatem suam puniendi a Domino, non a fidelibus vel principibus sibi datam esse testatur (40). Quibus rationibus si addideris verba, quibus Christus Dominus S. Petro primatum iurisdictionis promisit atque contulit, solidissima huius potestatis habentur fundamenta in ipsa sacra scriptura contenta (41).

161. Quibus argumentis accedunt Ecclesiae definitiones, decisiones et damnationes, v. gr. Benedictus XIV Brev. «*Assiduas*» (4 mart. 1755) damnavit librum P. La Borde, ubi contraria erronea doctrina propugnatur. Praeterea Pius VI Const. dogmat. «*Auctorem fidei*» similem errorem syn. Pistoriensis damnavit ut haereticum (*Denzinger-Bannwart*. n. 1504, 1505.), atque Leo XIII Const. «*Immortale Dei*» (1 nov. 1885) doctrinam catholicam de potestate punitiva Ecclesiae positive proposuit (42).

Speciatim vero Ecclesiae minime negari potest ius divinitus acceptum (43), non historica (44) quadam evolutione quaesitum vel principum civilium concessione datum infligendi etiam poenas in se vere temporales.

Quod ius imprimis evidenter colligitur ex amplissima potestate S. Petro concessa neque aliunde ex natura istarum poenarum ho-

(39) *Cavagnis*, Nature de l'autorité juridique de l'Eglise n. 96; *Duballet*, Principes de droit can. t. I, n. 223; *Stremler*, l. c. p. 9 sq.; *Straub*, De Eccl. Christi n. 632; *Choupin*, Valeur d. Décision du S. Siège, p. 218 sq.

(40) Eadem confirmatio ex ratione docendi et agendi Apostolica eruitur ex I Cor. V, 3-5; II Cor. XIII, 2, 3, 10; I Tim. I, 18, 20, V, 20; 2 Tim. IV, 2 etc. Cfr. *Straub*, l. c. n. 628 sq.; *Palmieri*, De Rom. Pont. p. 129 sq.

(41) *Devoti*, l. c.; *Stremler*, l. c. p. 8 sq.; *Soglia*, Inst. iur. publ. eccl. lib. I, cap. 1, § 7.

(42) *Palmieri*, l. c. p. 135; *Straub*, l. c. n. 634.

(43) *Tarquini*, l. c. p. 35; *Cavagnis*, l. c. n. 272 sq.; *Moulart*, L'Église et l'État l. III, c. 3, art. 2, § 2.

(44) Quare errat *Droste*, l. c. p. 4.

minumque indole vel fine Ecclesiae coarctata, sed potius comprobata (45).

Praeterea constans et universalis usus huius potestatis per Ecclesiam non solum legitimum titulum sed etiam originem divinam iuris Ecclesiae luculenter demonstrat. Nullibi enim Ecclesia suum ius repetit ex titulo quodam mere historico, sed tamquam proprium et nativum sibi vindicat. Id quod denique manifestissimum est ex disertis definitionibus ecclesiasticis, quibus origo divina istius potestatis ea ratione declaratur, ut omnes aliae derivationes omnino excludantur.

Nec minus clare constat haec extensio potestatis coactivae ad poenas vere temporales infligendas ex declarationibus Ecclesiae, v. gr. ex damnatione Marsilii Patav. per Ioannem XXI Const. «*Licet*», 23 oct. 1327 (*Denzinger-Banw.* n. 499); ex damnata prop. 24 Syllabi Pii IX et ex eiusdem Const. «*Quanta cura*», ubi expresse damnantur asserentes «*Ecclesiae ius non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi*» (46).

(45) *Moulard*, l. c.; *Stremler*, l. c. p. 13 sq.; *Devoti*, l. c. lib. IV, tit. 1, § 10; *Soglia* l. c. cui *Vacandard* (L'Inquisition p. 304) falso tribuit opinionem contrariam.

(46) Quare vehementer erravit *Vacandard* (L'Inquisition, p. 304 sq.) si putat ex doctrina Ecclesiae posse ipsius potestatem coactivam restringi ad coercionem moralem per poenas spirituales atque hanc restrictionem in Decret. Nicolai I (c. 6, C. XXXIII, q. 2) et Coelestini III (c. 10 de iudic. II, 1) contineri (?), nec minus erravit si (in Rev. du Clergé française 15 Febr. 1907) putat Encycl. «*Quanta cura*» rem non decidere, aut per interrogationem insinuat doctrinam in ea contentam posse a decessore Pii IX corrigi et reformari, vel Romanos Pontifices Benedictum XIV, Pium VI, Pium IX non proposuisse in hac materia doctrinam Ecclesiae (?), sed doctrinam systematis theologici medio aevo in honore habiti et necessitatibus illius temporis respondentis, quasi nesciverint se subtrahere candidae illusioni de medio aevo adhuc perdurante. Quem egregie confutavit *Choupin* l. supra cit. et in opusc. Le pouvoir coercitif de l'Eglise. Quodsi *Vermeersch*, La tolérance, p. 66, 67, admittit tamquam interpretationem *minimam* sed *sufficientem* ad non incurrendum errorem in Encycl. «*Quanta cura*» damnatum, quod Ecclesiae tribuatur potestas edendi damnationem conditionatam ad poenam temporalem i. e. imponendi obligationem illas poenas subeundi atque talem obligationem urgendi per poenas spirituales (sc. *aut multam solve, aut excommunicationem incurres*), evidenter nimium concedit, et per viam indirectam, *practice negat* potestatem, quam *directe asserit* esse tenendam. Praeterea confundit *medium* executionis pro *aliquo* casu, quo Ecclesiae brachium saeculare, ad quod ius habet, non concedatur aut forte a saeculari potestate impediatur, cum iure ipso poenam infligendi. — *Hinschius* quoque l. c. t. V, p. 228 sq., de tendentia legislationis criminalis Ecclesiae quoad delicta et poenas multa falsa in facto et in iure asserit, sicut postea p. 449 ubi de inquisitione tractat, etiam proceduram criminalem non raro falso impugnat.

162. II. Systema poenale Ecclesiae. Qua Ecclesiae potestate punitiva in tuto posita, addendum est Ecclesiam suum proprium habere systema poenale, quod systema peculiare sollemni modo enuntiavit Conc. Trident. (sess. XIII de ref. cap. 1) unde illud ad verbum desumpsit Codex in can. 2214 § 2. — Prae oculis habeatur monitum Conc. Trident. (l. c.). «Meminerint Episcopi aliique Ordinarii se pastores non percussores esse, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominantur, sed illos tamquam filios et fratres diligant elaborentque ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur; quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam comminatio, plus caritas quam potestas; sin autem ob delicti gravitatem virga opus erit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina, populis salutaris et necessaria, conservetur et qui correcti fuerint, emendentur aut, si resipiscere noluerint, ceteri salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur».

1º) Ordinarii sunt *pastores* et *patres* unum, et alterum; et ut tales se gerere debent antequam revocent in memoriam se esse quoque iudices.

2º) Consequenter praeprimis curare debent ut subditos deterreant ab illicitis, *hortando* et *monendo*; ita enim procedit bonus pastor cum ovibus, bonus pater cum filiis. Non debet exspectare ut delabantur, sed evitare, quod etiam proprium est patris, ne si filii labantur debeat eos castigare (*remedia praeventiva*).

3º) Post lapsum subintrat officium iudicis, cuius est poenis coercere delicta. Sed in hoc ipso iudicis officio, quo animo se gerere debeant, declaratur, proponendo criterium quod respondet mansuetudi Ecclesiae et fini eius proprio, qui est perducere fideles ad vitam aeternam cum ipsorum fidelium cooperatione assequendam.

a) Quare primo loco debent discernere eum qui labitur ex fragilitate ab eo qui delinquit ex malitia. Ex malitia plerumque committuntur delicta graviora; deinde minus gravia iterata sine emendatione.

b) Si ex fragilitate peccatum sit, argue, obsecra, increpa in omni bonitate et patientia. Hoc criterium servatur deinde in cano-

nibus sequentibus, ubi de superioribus coercitivam potestatem habentibus. Huc quoque spectat institutum *correctionis iudicialis* (can. 1947 sq.) et damnationis condicionatae (can. 2288).

c) Si vero *virga* opus erit, tunc exsulet asperitas et maneat adhuc mansuetudo, misericordia et lenitas; sed punitioni est locus, ut disciplina (publicus iuridicus ordo) populis salutaris et necessaria *conservetur* expiatione delicti. Atque hic est finis primarius et essentialis ad quem ordinantur poenae, quando praeventiva remedia effectum non habuerunt, tuitio ordinis publici, publicae disciplinae. Quem tamen ita debet prosequi Ecclesia, ut etiam speciali quadam ratione respiciat ad duos poenae fines secundarios sc. emendationem delinquentis, intimidationem aliorum per exemplaritatem punitionis («ceteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur»). En systema poenale Ecclesiae breviter descriptum praestanti vere modo.

163. Cuius systematis complementum habetur in *systemate poenarum* ab Ecclesiae adhibitum; videlicet in Ecclesia fideles plectuntur; 1º) poenis medicinalibus seu censuris; 2º) poenis vindicativis; 3º) poenitentis et remediis poenalibus (2216). — Quo loco Codicis, licet censurae contraponantur poenis vindicativis, censuris tamen non deest character poenalis nec finis intrinsecus poenae i. e. expiationis delicti. Nam tametsi ob characterem medicinale, obtenta resipiscencia sint auferendae, illa ablatio supponit depositionem seu cessationem contumaciae: haec autem (ex can. 2242) non cessat, nisi reum vere paeniteat delicti commissi et dederit vel serio promiserit congruam *satisfactionem* iudicio Superioris, a quo potest, si res ferat, pro patrato delicto congrua vindicativa poena vel paenitentia imponi: ergo expiatio socialis habetur per satisfactionem datam, cui forte accedat poena vindicativa vel paenitentia imposita. In poenitentis sive libere susceptis sive praesertim ab auctoritate impositis, semper includitur voluntaria acceptatio cum proposito satisfaciendi pro delicto et ita recuperandi statum innoxium delicto praecedentem; et haec satisfactio et emendatio in poenitentia externe manifestato recidit in poenam in non invitum inflictam.

Systema huiusmodi poenarum uberius in explicandis singulis poenarum speciebus manebit expositum. Inferius dicendum erit solas censuras et poenas vindicativas habere strictam rationem poenae. Per *paenitentiam* externam etiam societati satisfit, quare si ab auctoritate

publica imponitur iam proxime accedit poenae et retinet nomen paenitentiae in quantum acceptatur illa superioris impositio et in tali casu haud raro substituitur poenae. *Remedia poenalia* in suo conceptu sunt provisiones publicae securitatis ad praecavenda delicta: ad poenas reducuntur in quantum limitant exercitium iurium aliaque incommoda afferunt; unde aut ad aggravandam poenam adhibentur aut ipsas poenas substituunt.

164. II. De superiore potestatem coactivam habente. Brevis rem declarat can. 2220: «*Qui pollent potestate leges ferendi vel praecepta imponendi possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere; qui iudiciali tantum, possunt solummodo poenas, legitime statutas, ad normam iuris applicare*». — «*Vicarius Generalis sine mandato speciali non habet potestatem infligendi poenas*».

165. I. Ex praemissis, potestas infligendi poenas consequitur potestatem leges ferendi, quae suam efficaciam contra rebelles et inobedientes obtinent ex comminatione et inflictione poenae; iam leges ferendi potestate pollent soli Superiores iurisdictionem in foro externo habentes; iidem autem praecepta iurisdictionalia in eodem foro singulis suis subditis imponere possunt, quae praecepta pariter efficaciam obtinent ex poena.

Quare ab hac potestate excluduntur laici etiam religiosi, et qui solam fori interni iurisdictionem habent velut parochi: includuntur omnes qui iurisdictione fori externi pollent ad leges ferendas vel iurisdictionalia praecepta imponenda. Sufficit hoc loco simplex enumeratio. Praeter R. Pontificem et Concilia intra limites suae competentiae, omnes Ordinarii locorum ad normam can. 198 et Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis eorumque Capitula secundum peculiare cuiusque religionis Constitutiones. Excluditur expresse Vicarius Generalis nisi habeat mandatum speciale. Sicut autem ceterae iurisdictionis partes, ita etiam potestas infligendi poenas est delegabilis, modo delegatio fiat personae de iure habili.

Qui tantum iudiciali pollet potestate, velut Officialis, solummodo potest poenas a potestate competente statutas applicare servata iuris norma. De se iudex *ius dicit*, non *condit* (47).

(47) Cfr. tamen can. 1640 § 2; 1845 § 1; sub poena potest exigere obedientiam et reverentiam.

166. II. Potestatis extensio. a) Legislativam habentes potestatem, possunt intra limites suae iurisdictionis (i. e. pro suis subditis) non solum legem a se vel a decessoribus latam, sed etiam ob peculiaria rerum adiuncta, legem tam divinam, quam ecclesiasticam a superiore potestate latam, in territorio vigentem, congrua poena a superiore potestate latam, in territorio vigentem, congrua poena munire aut poenam lege statutam aggravare (can. 2221). — Antecessor, vel Superior aut legislator communis potuit prudenter iudicare in communibus circumstantiis non esse necessarium legem a se latam sanctione poenali munire aut poenam leviolem esse sufficientem sanctionem; circumstantiae speciales loci et subditorum possunt esse causae cur poena constituatur aut aggravetur, quin contradicat iudicio decessoris aut Superioris altioris, qui non poterunt praevidere illas peculiare circumstantias.

b) «*Licet lex nullam sanctionem oppositam habeat, legitimus tamen Superior potest illius transgressionem, etiam sine praevia poenae comminatione, aliqua iusta poena punire, si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat; — secus reus puniri nequit, nisi prius monitus fuerit cum comminatione poenae latae vel ferendae sententiae in casu transgressionis, et nihilominus legem violaverit*» (can. 2222 § 1).

Qua ratione haec iuris praescriptio non contradicat notioni delicti, suo loco explicatum est, cfr. supra n. 33.

c) «*Idem legitimus Superior, licet probabile tantum sit delictum fuisse commissum aut delicti certe commissi poenalis actio praescripta sit, non solum ius, sed etiam officium habet non promovendi clericum de cuius idoneitate non constat, et, ad scandalum evitandum, prohibendi clerico exercitium sacri ministerii aut etiam eundem ab officio, ad normam iuris, amovendi; quae omnia in casu non habent rationem poenae*» (can. 2222, § 2). — Quae inhibitio sacri ministerii in probabili delicto iam erat admissa iure decretalium: expresse ibidem commemoratur suspensio in clericum, qui incauta sua conversatione criminis suspicionem excitasset (c. 10 X. V, 34); sicut etiam in casu defectus scientiae pro explendo munere necessariae. — In neutro casu est poena: in defectu scientiae vel necessariae prudentiae est providae administrationis exigentia; in suspitione vel probabilitate delicti aut in divulgatione delicti iam praescripti causa est honor sacri ministerii et fructus ipsius, sacrum enim ministerium vilescit et fructu caret, si is qui sacris operatur fama laborat et ob defectum famae scandalum, admirationem vel

obtrectationes fidelium provocat. De remotione ab officio adsunt canones speciales, cum agitur de officio paroeciali, cfr. can. 2142 sq. 2147 sq.

d) Ad legem reducitur *praeceptum generale* communitati intimatum et forte sanctione poenali munitum, quod a lege distinguitur ex defectu perpetuitatis v. gr. pro tempore pestis, belli aliusve publicae et temporanae calamitatis vel necessitatis, cuius ferendi potestatem habent, qui possunt legem ferre. Per ipsum, sicut per legem, constituitur ius obiectivum pro communitate, licet temporaneum; quare poena, qua forte sancitur, est poena *a iure*, non ab homine. Cfr. can. 2213, § 1 n. 3.

CAPUT XVIII

Applicatio legis poenalis eiusque legitima interpretatio

(Cfr. L. V, tit. 37, de poenis, lit. 39, de sent. exc. can. 2218 sq.)

Scriptores: *D'Annibale*, Summul. I, n. 184 sq., 304 sq.; *Lega*, l. c. n. 64 sq., 75 sq.; *Hollweck*, l. c. § 9; *Suárez*, De leg. I, V, c. 2, 3, 5, 6, 7, 8, De cens., disp. 5 sec. 3; *Muenchen*, l. c. II, p. 99 sq.; *Katz*, l. c. p. 54; *Kahn*, l. c. n. 57 sq.; *Schiappoli*, l. c. n. 150 sq.; *Roberti*, P. II, n. 226 sq. (1).

§ 1. De applicatione legis poenalis in genere

167. Connexio materiae. Postquam tradita sunt elementa subiectiva et obiectiva delicti ecclesiastici, atque causae imputabilitatem augentes vel minuents aut forte excludentes, delictorum nu-

(1) Cfr. quoque: *Krause*, De extensiva poenarum interpretatione, Gedau 1752; *Bileweld*, Doctrina de interpretatione iuris ad leges criminales applicata, Lugd. 1779; *Magliano*, De iuris interpret. ratione, Neap. 1808; *Cock*, De argumento ab analogia eiusque a legis interpret. differ. 1821; *Elout*, De interpretatione in iure criminali, Lugd. 1822; *Van Campen*, De interpret. legis crimin. extensiva, Lovan. 1829; *Hélie*, De l'interprétation de la loi pén., in Rev. critique de legis. 1854; *Hepp*, in Arch. di Diritto crim. Nuova serie 1846, p. 100, 161; *Van Eck*, De arbitrio iudicis in infligendis poenis legibus circumscripto, Lugd. 1776; *Van de Poll*, De vi legis novae in crim. Amstelod. 1834; *Garba*, Della retroattività della legge in materia penale, Pisa 1869; in Arch. di Diritto crim., t. 13, p. 167.

merus et gravitas atque imputabilitas, quae provenit ex participatione in alterius delicto sunt explanata, iam explicandum venit, qua ratione vero delicto secundum propriam ipsius imputabilitatem, poenae sunt decernendae. Qua in re generatim requiritur interventus iudicis ecclesiastici, cuius est sanctionem poenalem legis ecclesiasticae ad singula delicta applicare.

168. Generale principium. In genere in poena decernenda servanda est aequa proportio cum delicto. Substantialis poenae cum delicto proportio plerumque definitur a legislatore, dum in sua lege poenali statuit singula delicta accurate in lege definita hac vel illa poena esse punienda (2). Atque hic posset esse unus sensus verbi *decernere* can. 2218: sc. decernit poenam legislator qui suam legem sancit poenali sanctione et Superior qui poenale praeceptum imponit aut subditum monet monitione canonica cum comminatione poenae ut a sua agendi ratione desistat. Hic autem attenda rubrica tituli, quae est de *applicatione* poenae, potius est sermo de iudice qui considerare debet delictum in *concreto*, dum legislator illud considerat in *abstracto*. Ergo salva illa proportione a legislatore constituta, quam iudex inferior proprio arbitrio mutare non potest, iudicis est in singulis casibus investigare et decretoria sententia definire, factum criminis continere omnia elementa veri delicti, quod secundum leges sit puniendum; auctorem facti criminis illud posuisse cum ea deliberatione mentis et libertate voluntatis, quae requiruntur ad dolum et consequentem imputabilitatem vel forte dari causam imputabilitatem excludentem; constituto de facto et de eius imputabilitate, huius gradum aestimare secundum probatas circumstantias aggravantes vel minuents. Quibus aestimatis et definitis, sententiam decernentem poenam debet pronuntiare, in qua continetur iuris seu legis poenalis practica interpretatio, quam iudex debet facere secundum legitima principia specialia de interpretatione legis poenalis (3).

Citatus can. 2218 enumerat omnia elementa obiectiva et subiectiva imputabilitatis delicti, qualitatem et quantitatem et gradum, cum omnibus circumstantiis obiectivis et subiectivis, quae gradum augent vel minunt aut delictum prorsus excludunt, quae in praecedentibus

(2) *Rossi*, Tratt. di Diritto penale, l. IV c. 3; *Berner*, l. c. § 145 sq.

(3) *Berner*, l. c. § 154; *Kahn*, l. c. n. 57.

tibus examinata sunt, sine quorum consideratione aequa requisita proportio inter delictum et poenam servari a iudice non posset.

169. Imprimis ergo poena secundum imputationem delicti est decernenda. Cum autem ex disputatis in P. I, cap. 2, 3, delictum non detur sine praevia lege poenali sensu explicato, in transgressionem legis, quae sanctionem poenalem saltem indeterminatam adiectam non habet, iudex saltem Rom. Pontifice inferior poenam decernere non potest, nisi verificatis adiunctis et secundum modum ibidem explicatis, ad normam can. 2222.

Porro dolus, qui requiritur ad delictum, cum de facto externo contra legem constat, *in foro externo* semper *praesumitur*, donec contrarium probetur. Quodsi lex specialem dolum requirit consistentem in plena spontaneitate voluntatis aut in plena cognitione legis (quod generatim intelligitur in notis formulis: qui *scienter*, *sponte*, *ausu temerario*, etc.), huius maioris doli absentia, etsi in foro interno a poena latae sententiae liberat, ad evadendas poenas legis in foro externo probanda est (4). At si quis *poenam legis* in casu evadit, manente *gravi culpa* contra legem, haec poena aliqua inferiori proportionata culpae prudenti arbitrio iudicis castigari potest (5).

170. Sicut transgressio legis sine culpa imputabilitatem excludit, ita transgressionis *leviter* dumtaxat culpabilis ratio non habetur in iure poenali (6). « *Non solum quae ab omni imputabilitate excusant, sed etiam quae a gravi, excusant pariter a qualibet poena tum latae tum ferendae sententiae, etiam in foro externo, si pro foro externo excusatio evincentur* » (can. 2218, § 2). - Quaecumque ergo legis transgressionem vel omnino inculpabilem vel leviter dumtaxat culpabilem

(4) Cfr. tamen quae scite disputat, Suárez, De cens. d. IV, s. 7, n. 13, de foro interno, an et qua ratione quis teneatur ad observantiam illarum poenarum, quae bonis spiritualibus privant, quando iudicis sententia innititur in causa re ipsa non existente, seu quando agitur de poena seu condemnatione iniusta.

(5) Quae doctrina exinde videtur concludenter deduci, quod secus delicta atrociora, quae generatim puniuntur poenis latae sententiae, etiam commissa cum gravissima culpa, quam forte non sustulit defectus alicuius circumstantiae in lege definitae, manerent penitus impunita; porro lex nihil debet continere iniquum aut absurdum. Cfr. Reiffenst. V, 39, n. 429. Ceterum id manifeste eruitur ex can. 2229 § 4.

(6) Suárez, De cens. d. 22 s. 1, n. 23, nec reapse sunt contraria, quae tradit ibid. d. IV, sec. 3; D'Annibale, l. c. n. 305, not. 21.

reddunt a poena liberant, non solum legali seu lege definita (poena ordinaria), sed etiam ab arbitraria seu extraordinaria. At quandoque legis transgressio caret quidem illo gradu culpabilitatis, quem verba legis requirunt, manet tamen graviter culpabilis, licet quis a poenis latae sententiae evadat immunis praesertim a censuris, immo etiam ab ipsa *poena legis*, quae sit ferendae sententiae; mitiori tamen poena arbitrio iudicis determinanda carere non debet (7). Quodsi violatio legis ex metu gravi facta est expers poenae, licet metus libertatem et *moralem* imputationem non excludat, id ideo est, quia lex humana, qualis est lex poenalis Ecclesiae etiam quando sua sanctione munit naturalem vel divinam legem, non censetur obligare cum gravi incommodo seu cum periculo gravis damni, qua in hypothesis deest fundamentum iuridicae imputationis criminalis (8). At quando lex ecclesiastica etiam cum gravi incommodo obligat v. gr. dum transgressio redundaret in contemptum religionis aut auctoritatis ecclesiasticae vel grave detrimentum boni publici, metus a poena incurrenda non liberat (9).

171. Generatim lex poenalis respicit delictum consummatum. « *Poena lege statuta non incurritur, nisi delictum fuerit in suo genere perfectum secundum proprietatem verborum legis* » (can. 2228). Quare conatus delicti non est a iudice punibilis poena legis (10). Quare nisi lex conatum tamquam delictum distinctum puniat, mitiori poena arbitraria a iudice puniri potest, eo quidem graviore quo culpa sit maior et magis conatus ad delicti consummationem accedat, praesertim vero quando conatus transit in delictum *frustratum* seu *praetergressum* (can. 2235). Quodsi paenitentia seu resipiscentia statim post delictum, etsi a poena non liberet, est circumstantia a iudice attendenda (11); multo magis dicenda est liberare a poenis resipiscentia illa, qua quis sponte a conatu delicti desistit, quando ex tali conatu nondum secutum est damnum aliquod publicum aut pri-

(7) Cfr. praecedent. not. 5.

(8) Suárez De leg. l. III, c. 30, De cens. d. IV sec. 3 n. 14; Schmalzgrueber, V, 39, n. 79; Layman, De cens. c. 5, n. 9; D'Annibale, l. c. n. 312.

(9) Suárez, l. c.; Reiffenst. V, 39 n. 34.

(10) D'Annibale, l. c. n. 305 not. 23.

(11) Thesaurus, l. c. I, c. 13; Const. « *Divinarum* » Benedicti XIV, 4, non. Aug. 1757, de sincera confessione celebrationis missae et absolutionis sacramentalis a non presbytero.

vatum (can. 2213 § 3) (12). At poena conatus in poena delicti ex illo consummati *absorberi* dicenda est (can. 2224 § 3).

172. Non solum quantitas delicti, sed etiam delictorum *numerus* a iudice est attendendus, quibus multiplicatis toties est infligenda poena, quoties delictum commissum fuerit « *tot poenae, quot delicta* » (can. 2224 § 1) (13). Quod principium imprimis valet in poenis *latae sententiae*, quae statim incurruntur post singula delicta numero distincta, in quantum inter se contrariae vel repugnantes non sunt. Quae res difficultate caret, si sermo est de pluribus delictis inter se temporis intervallo separatis. At si agatur de actibus preparatoriis ordinatis ad unum finalem effectum, nisi pro singulis actibus praeparatoriis statuta sint *diversae* poenae, una tantum incurritur poena delicti principaliter intenti in qua exstinguitur poena delicti praeparatorii (14). Quodsi multiplicatio delictorum proveniat ex eo, quod idem factum plurium legum violationem continet, aut unius sed contra pluras personas; siquidem una actio terminatur ad diversas personas (v. gr. qui uno ictu plures clericos percutit vel plures occidit) probabiliter semel poena incurritur (15); si pluralitas delicti oritur ex oppositione facti ad diversas leges (v. gr. adulterium incestuosum, sepultura data publice excommunicato *et* nominatim interdicto *et* tempore interdicti), omnium legum poenae incurruntur seu multiplicantur in facto multipliciter delictivo (16).

(12) *Legis*, l. c. n. 18, 19, 20. Similia de conatu delicti statuuntur in modernis codicibus; cfr. v. g. Cod. pen. Ital. n. 61, 62.

(13) C. 1, X, de poen. V, 37, « *ea quae frequenti praevaricatione iterantur, frequenti sententia condemnantur* » cfr. quoque ibid. Summarium et Gloss. v. condemnentur; c. 27, X, de sent. exc. V, 39; c. 4 de eo qui cogn. IV, 13; *Suarez*, De cens. d. V, sec. 3, 4; *Muenchen*, l. c. II, 99; *Katz*, l. c. p. 54; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 944 sq.; *Schiappoli*, l. c. n. 109; Cfr. quoque L. 2, pr. D. de priv. delict. XLVII, 1; L. 8 § 2. D. XLVII, 7; *Berner*, l. c. § 291, 292, et codic. modernos v. gr. Cod. pen. Ital. n. 67 sq.

(14) *Thesaurus*, l. c. I, c. 8.

(15) *Suárez*, De cens. d. V, s. 3 n. 13. Paulo aliter *Altieri*, De cens. tom. I, l. 3, dis. 10, c. 8; *Thesaurus*, l. c. I, c. 8.

(16) C. 27, X, de sent. exc. V, 39; *Suarez*, De cens. d. V, s. á, n. 14; *Thesaurus*, l. c. I, c. 8; At si delicta plura in uno facto concurrentia se habent ut *genus* et *species*, tum in poenis ferendae sententiae genus confunditur in sua specie et una tantum poena sc. pro delicto specifico, quae solet esse gravior, est applicanda. Idem est dicendum de poenis latae sententiae, *si sint eiusdem speciei* (sic percutiens *Episcopum* non incurrit censuram 5 et 15 const. « *Apost. Sed.* »),

173. Quoad poenas *ferendae sententiae* dum codex (cit. can. 2224) firmat et innovat principium « *tot poenae, quot delicta* » iam contentum in citat. cap. 1. X. de poenis V. 37, quod expresse potius iudicem alloquitur, sine distinctione loquitur, ideoque saltem valet pro iisdem casibus, in quibus valet pro poenis latae sententiae. At illa cumulatio poenarum tantum potest habere acerbitatis, ut vere sit contra canonicam aequitatem, quam sine dubio iudex sequi potest, relicta rigida iuris applicatione, cum ipsa in nimium rigorem descisceret (17).

De hac ipsa moderatione cavetur in can. 2224 § 2: « *Si tamen propter numerum delictorum nimius esset poenarum infligendarum cumulus, prudenti iudicis arbitrio relinquitur aut poenam omnium graviolem infligere, addita, si res ferat, aliqua paenitentia vel remedio poenali, aut poenas intra aequos terminos moderari, habita ratione numeri et gravitatis delictorum* » (18). De se materialis cumu-

sed 5, tantum sc. delicti specifici, quae est gravior utpote *Apost. Sed.* speciali modo reservata); si vero sint poenae diversae speciei, per se omnes incurruntur, maxime censurae. *Thesaurus*, l. c.

(17) Gravem difficultatem, quae hic occurrit, persenserunt antiqui et moderni poenalistae atque legislatores civiles (Cfr. *Pessina*, l. c. § 136 sq.; *Berner*, l. c. § 162). At a *comulatione materiali* poenarum recentiores legislatores generatim abhorrent, sicut etiam generatim et sine discrimine non admittunt *absorptionem omnium poenarum in poena maiori*, sed via media solent procedere, admissa *comulatione poenarum iuridica* idque duplici ratione: vel sumendo poenam delicti gravioris eamque augendo, quasi cetera delicta concurrentia essent circumstantiae aggravantes, vel secundum certa principia statuendo unam poenam, quae non sit summa arithmetica omnium poenarum, sed iuridicam tantum servet proportionem cum pluribus delictis prudenter aestimatam. Cfr. Cod. pen. Ital. l. I, tit. VII., *Hisp.* art. 88 sq., ubi severior ratio servatur; *Pessina*, l. c. § 137. At in foro saeculari ea res difficultatem maximam non habet, nam in carcere vel ergastulo quoad durationem et in multa pecuniaria quoad quantitatem facile est poenam *iuridice* pluribus delictis respondentem definire. Sed in foro ecclesiastico, ubi brachium saeculare non praestatur ad carceris vel mulctae poenam exigendam praesertim a laicis, magna est difficultas quoad alias poenas. Quare haud immerito dixeris rem arbitrio iudicis esse relictam, qui poterit poenam delicti gravioris tamquam fundamentum assumere eamque ex aliis delictis veluti circumstantiis aggravantibus prudenter augere. Cfr. *Regol. pen. Gregor.* n. 17 sq.

(18) Ita adhibetur proportio cum delictis quae dicitur harmonica et dum applicatur pluribus poenis respondentibus pluralitati delictorum *comulatio poenarum iuridica*, de qua in nota praecedenti, relicta proportione *arithmetica*, quae placuit nonnullis doctoribus scholae classicae, et proportione *geometrica*, quae distinctionem introducebat inter varias classes sociales a spiritu iuris ecclesiastici prorsus alienam. Cfr. *Latini*, *Iuris criminalis philosoph.*, p. 185; *Roberti*, l. c. II, n. 226 sq, 252 sq.

lus poenarum magis respondet principiis iustitiae et retributionis et quoad poenas fori ecclesiastici ut plurimum est possibilis, sed ex aliis circumstantiis posset inducere nimiam acerbiteriam, quam codex temperare permittit.

174. Sicut *reincidentia* in delictum per se est causa delictum aggravans, ita iudici dat facultatem augendi poenam, praesertim si iam alias fuerit condemnatus vel poenam latae sententiae incurrerit (*recidivus* strictiori sensu), et non se emendaverit (19). « *Qui plura delicta commisit non modo gravius puniri, sed si, prudenti iudicis arbitrio, res id ferat subiici etiam debet vigilantiae vel alii remedio poenali* » (can. 2234): est applicatio *cumulationis iuridicae*. Huc quoque spectat *incurribilitas*, quae non est confundenda cum *reincidentia* in delictum, cum illa possit haberi in mera perseverantia in vita culpabili seu in delicto continuato, quo in casu ius statuit esse procedendum per *monitiones* primum *paternas*, deinde *canonicas* et tandem per poenas gradatim augendas. Huc spectat modus praescriptus a Conc. Trident. contra concubinos, sess. XXIV, c. 8 de ref. matr., sess. XXV, c. 14 de ref. Cfr. c. 4. X. de iur. patr. III, 38, cecreta Urbani VIII 21 Sept. 1624 et Innocentii XII, 4 Iul. 1694 de eiectione regul. et decr. « *Auctis admodum* » S. C. Ep. et Reg. 4. Nov. 1892. — Similem procedendi modum exigunt varii processus administrativi Parte tertia libr. IV (can. 2142 sq.) respicientia delicta continuata, permanentia aut habitualia.

§ 2. — De poenis ordinariis et arbitrariis (can. 2223)

175. Cum poena *ordinaria* sit illa, quae in lege est *determinata*, si haec verbis praeceptivis efferatur, manifestum est iudicem per se obligari ad determinatam poenam infligendam, quando extrema delicti in lege poenali definiti verificantur. Quae obligatio evidenter deducitur ex formula praeceptiva legis, quae in casu ad iudicem, non ad ipsum delinquentem refertur (20). Ob eandem rationem poe-

(19) C. 10 X, de iudic. II, 1; c. 2, X, de cler. exc. V, 27; Regol. pen. Gregor. n. 21.

(20) C. 4 X, de off. iud. del. I, 29, « si tale fuerit negotium, quod certa exinde poena in canonibus exprimitur eandem infligas, alioquin, ipsos pro delicti qualitate et causae secundum tuum arbitrium punire procures »; c. 4 X, de iur. patr. III, 38. « ... ipsos qui amodo ista praesumpserint, ... anathemate decernimus feriendos... presbyter vero sive clericus communionem privetur, et si persistiterit, a

nam lege determinatam iudex augere non potest, nisi extraordinaria adiuncta aggravantia id exigant (21).

176. *Praeceptiva* tamen *verba* legis poenalis in foro ecclesiastico ita obligant, ut tamen in applicatione multa relinquuntur regulato arbitrio *iudicis* et *praesertim Superioris* secundum principia sequentia, quibus iudici et praesertim Superiori committitur:

1° Poenae applicationem ad tempus magis opportunum differre, si ex praepropera rei punitione maiora mala eventura praevideantur (22).

2° A poena infligenda abstinere, si reus perfecte fuerit emendatus, et scandalum reparaverit, aut sufficienter punitus sit vel puniendus praevideatur poenis auctoritate civili sancitis;

3° Poenam determinatam temperare vel loco ipsius aliquod remedium poenale adhibere aut aliquam paenitentiam iniungere, si detur circumstantia notabiliter minuens, vel habeatur quidem rei emendatio aut inflictio a civili auctoritate castigatio, sed iudex vel Superior opportunam praeterea ducat mitiorem aliquam punitionem » (can. 2223, § 3). Ubi probe notandum est Codicem hoc loco appellare *iudicem* vel *Superiorem*; nam licet pro causis iudicialibus iubeantur Ordinarii habere Officialem, nihilominus etiam in causis ad Officialem delatis Ordinarius est manetque iudex ordinarius, nec ab Officiali causae tractandae et decideandae sunt cum plena independentia ab Ordinario; hic enim respondere debet et apud Deum et apud Ecclesiam de universa administratione ecclesiastica, cuius pars valde praecipua est iustitiae administratio ».

177. Quando poena *arbitraria* est, sane illud arbitrium nonnumquam eo etiam spectat, ut lex relinquat iudici facultatem delictum puniendi aut dissimulandi cum verbis praeceptivis non utatur sed *facultativis*; at generatim arbitrium solum est relictum relate ad determinationem poenae applicandae, qui casus in iure ecclesiastico

ministerio ecclesiastico et ordine deponatur ». Cfr. quoque c. 2, X, de fid. III, 22; c. 15 X, de dec. III, 30; c. 1 X, ne prael. V, 4; c. 3 X, de magistr. V, 5; Suárez, De leg. I, V, c. 6, 7, De cens. d. III, sec. 3; D'Annibale, l. c. n. 303, not. 13.

(21) Videntur in canone respici circumstantiae omnino extraordinariae, non ordinariae causae aggravantes, quorum semper habenda est ratio.

(22) In praevisione maioris mali poena in detrimentum cederet societatis contra finem ipsius poenae.

est frequentissimus (23). Nam lex nonnumquam mere *comminatur poenam* (24), aut expresse quoad poenam *remittit ad arbitrium iudicis*, vel solum statuit *poenam ecclesiasticam seu canonicam* (25), aut *poenam gravem* (26); nonnumquam etiam definit maximum et minimum poenae aut saltem poenam minimam (27). Qui varii modi sunt a iudice attendendi simul cum omnibus delicti circumstantiis, ut inde poenam decernat delicto proportionatam (28).

§ 3. De poenis latae et ferendae sententiae

178. I. Ante omnia tenendum est ut principium generale, poenam quamlibet semper habendam esse ut *ferendae sententiae*; sc. poena generatim a Superiore constituitur, a iudice infligitur, a reo susti-

(23) Nec in hac re est paritas cum foro saeculari, ubi generatim iudices non habent nisi iurisdictionem contentiosam sive civilem sive criminalem; at in foro ecclesiastico iudices *ordinarii* (i. e. *Ordinarii* locorum) generatim perfectam habent fori externi iurisdictionem, cui congruit illud arbitrium *regulatum*, attenta praesertim indole Ecclesiae et fine procurandi salutem animarum.

(24) C. 2 § 2 de poenit. V, 9 in Clem. « per locorum episcopos *puniri volumus* »; c. unic. de iudaeis V, 9 in Clem. « Hi vero, qui secus praesumpserint, ob divinam reverentiam *castigentur* ab ipsis ».

(25) C. 4 Dist. 93 « *sciat se canonicis subiaccere sententiis* »; c. 7, Dist. 18, « *canonicis poenis subiaceat* »; c. 12 X de reb. eccl. III, 13, « *ecclesiastica districtione compellas* »; c. 32, X. de dec. III, 30, ad id... *per censuram ecclesiasticam compellantur* » Quibus in canonibus iuris Decret. non semper *censura* habet hodiernam specificam significationem poenae medicinalis, sed saepe significat *poenam canonicam in genere* etiam vindicativam: nam vel ipsa decretalis Innocentii III relata c. 20, X de V, S. V, 40, dum definit quid intelligendum sit nomine *censurae*, satis ostendit eo tempore illius vocis significationem fuisse dubiam, ac postquam declarat intelligendam esse excommunicationem, suspensionem vel interdictum, addit « *nisi iudex discretus rerum et circumstantiis indagatis ferat quam magis viderit expedire* »; ergo etiam post illam decretalem nomine *censurae* potuit venire poena arbitraria seu poena in genere.

(26) C. 15 X, de off. iud. ord. I, 31, « *districta ultio* »; c. 2, eod. I, 16, in Sext. « *ultrix procedat dura sententia* »; c. 10, X de celebr. miss. III, 41, « *huiusdomi mandati graviter punire non differant transgressores* ».

(27) C. 2, X. de sort. V, 21 « *per annum et amplius, si tibi visum fuerit, ita tamen, quod biennium non excedat, eum altaris ministerio praecipias abstinere* »; C. 3, X de cland. despons. IV, 3, « *IV, 3 per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus si culpae qualitas postulaverit* »; Conc. Trident. sess. XXV, c. 14, de ref., etc.

(28) Inde facile apparet quid dicendum de *quaestione generali*, utrum iudex possit legis poenam augere vel minuere. In genere debet legis poenam infligere,

netur seu expiatur. Quod sit *latae sententiae* est exceptio, quae tunc solum admitti debet, cum certo modo de ipsa constet. Nulla est difficultas si lex expresse dicat esse *latae sententiae* vel *ipso facto* aut *ipso iure* poenam esse incurendam. *Similis* loquendi modus habetur, in variis formulis quibus lex directe ipsum alloquitur delinquentem « qui fecerit hoc, manet excommunicatus, interdictum incurrit etc. ». Porro reservatio poenae est signum certum poenae latae sententiae; nam poenae ab homine de se sunt reservatae.

II. Licet solae poenae *ferendae sententiae* videantur requirere iudicis ministerium, a quo infligantur, attamen etiam poenae *latae sententiae* in pluribus casibus interventum iudicis requirunt, non quidem ut per sententiam *condemnatoriam* in reum poenam decernat, sed ut per sententiam *criminis* declaratoriam auctoritative pronuntiet reum poenam ab ipsa lege non solum constitutam sed etiam inflictam incurrisse (29). Atque necessitatis huius interventus duplex congrua assignari potest ratio. Nam imprimis in certis poenis obligatio in aliis inducitur erga reum aut saltem reus privatur certis iuribus, quae ad alios dicunt respectum (30); quae obligatio erga reum urgeri non potest, nec suorum iurium exercitium ipsi est denegandum aut impediendum, nisi de poena ab illo incurta certo constet. Sed illa certitudo extra casum delicti notorii, non nisi per iudicis sententiam haberi potest, saltem communiter et respectu societatis; delictum enim quod notorium non est nec est probatum in iure, non est certum delictum pro societate, etsi pro aliquo individuo esse possit. Quae ratio alia completur ex parte ipsius delinquentis desumpta, quia delictum, ex quo poena latae sententiae incurta est, potest esse omni-

nisi lex ad ipsius arbitrium expresse appellet. At ad arbitrium iudicis iam generali modo appellat ius, dum statuit esse spectandas omnes circumstantias (c. 6, pr. X, de homic. V, 12; iunct. can. 2218); cum ergo lex poenalis certe benigniorem patitur interpretationem, ubi verificatur circumstantia minuens delictum, poenam legis etiam determinatam poterit temperare; at ob eandem rationem illam augere nisi ob circumstantiam *extraordinariam* non poterit, nam in poenis mitior interpretatio est facienda. Cfr. *Schmalzgr.* V, 37, n. n. 37 sq; *Suárez*, De leg. I, V, c. 11; *Kahn*, l. c. n. 64, 66, 67.

(29) Cfr. *Suárez*, De leg. I, V, c. 5-10, qui hanc quaestionem solide atque perspicue tractat; *Thesaurus*, l. c. l. c. 5, 28, 29, 30 sq; *D'Annibale*, l. c. n. 309; *Lega*, l. c. n. 70 sq.; *Schmalzgr.* V, 37, n. 46 sq.; *Reiffenst.*, I, 2, n. 226 sq.; *Ballerini-Palmieri*, Opus mor. t. VII, n. 7 sq.

(30) Cfr. obligationem excludendi a certis actibus vel locis excommunicatos, interdictos, et in beneficiatio iura iurisdictionalia vel administrationis.

no occultum. Qua in hypothesi obligatio se subiiciendi poenae sine interventu iudicis saepe haberet adiunctam obligationem sese proferendi atque diffamandi, quae nimis gravis et acerba foret ac supra humanam condicionem (31).

Huic difficultati providetur per can. 2232, ubi sanatur: «*Poenae latae sententiae, sive medicinalis sive vindicativa, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto in utroque foro tenet* (est ipse conceptus poenae latae sententiae; porro poenae sunt sanctiones fori externi seu socialis): *ante sententiam tamen declaratoriam a poena observanda delinquens excusatur quoties eam servare sine infamia nequit, et in foro externo ab eo eiusdem poenae observantiam exigere nemo potest, nisi delictum sit notorium*». Manet ergo poena latae sententiae, quae immediate conscientiam ligat et obligat ad sustinendos omnes ipsius effectus, iis dumtaxat exceptis ex quorum observantia reus se proderet cum infamia. Praeterea nemo, nequidem Superior, exigere potest observantiam poenae quoad effectus illos externos nisi fuerit data sententia declaratoria. Id multo magis valet de illis poenis, quae ex iuris dispositione certum effectum non producunt nisi cum infliguntur per sententiam condemnatoriam vel de illa poena incursa data est declaratoria sententia. Cfr. inferius dicenda de determinatis censurarum effectibus. Superior cuius intersit, ut reus illos determinatos effectus poenales sustineat, servatis servandis sententiam declaratoriam edat; item fidelis cuius interesse idem possit, v. gr. ut excommunicatus excludatur ab actione contra se instituta, iuridice petat declaratoriam illam sententiam, quae in exemplo proposito erit quaestio praeiudicialis. Stricta obligatio in Superiore sententiam declaratoriam edendi de crimine et de poena incursa non datur, nisi in duplici tantum casu: 1° si id bonum publicum exigat; 2° si instat pars cuius interest (can. 2223, § 4).

II. Pariter gravissima et acerba nimis est illa obligatio, qua quis in seipsum poenam exequi per propriam actionem teneretur, sicque idem esset reus et iudex et vindex. Porro etiam in foro ecclesiastico plures sunt poenae, quae sine proprio actu eius, cui imponuntur, effectum aut saltem plenam executionem non habent (32).

(31) S. Thomas, p. 3 q. 83, a. 6, ad 2; Suárez, De cens. disp. VI, sec. 3, n. 7, 8.

(32) Suárez, De leg. I, V, c. 7, n. 5; Reiffenst., l. c. n. 228; Lugo, De iur. et iust. d. 37, n. 134. Quae tamen rationes non probant ex natura rei Ecclesiae

Iam vero ex fontibus iuris satis patet legislatoris voluntatem non fuisse, ut omnes poenae latae sententiae, etsi statim a crimine patrato incurrantur, statim etiam plenam executionem habeant sine interventu iudicis; nonnumquam enim legislator edicit poenam aliquam ipso facto, ipso iure, incurri *etiam nulla praemissa declaratione*. Quibus verbis insinuatur saltem aliquando poenam latae sententiae ante sententiam declaratoriam iudicis plenam executionem non habere.

179. Cum vero fontes accurate casus non distinguerent, recurrendum erat ad communem theologorum et canonistarum doctrinam, quam Ecclesia tacito saltem consensu approbavit. Ex quo consensu habebatur: 1° Poenas latae sententiae *positivas*, quae in facto consistunt, seu sine facto aliquo sive ipsius rei sive alterius personae non dantur, reus in se exsequi ante iudicis sententiam non tenetur (33).

2° Poenae *privativae*, quae iure, non quidem iam *quaesito* (34), sed primum *quaerendo* privant, v. gr. inhabilitas ad beneficium, afficiunt delinquentem ante omnem iudicis sententiam, multo magis si ius ipsum expresse necessitatem sententiae declaratoriae excludat (35).

3° Si poena *privativa*, privat iure iam *plene quaesito*, regulariter non ita ante omnem sententiam iudicis afficit delinquentem, ut is ius

deesse potestamen intra certos limites imponendi poenam absque ulla declaratione effective imurrendam, ut optime citatis locis ostendit Suárez, qui illam potestatem etiam per se et in genere concedit auctoritati civili, cui ex parte contradicit Lega, l. c. n. 69, 73.

(33) Suárez, De leg. l. c. c. 7, n. 6; Schmalzgr., l. c. n. 49. In nonnullis quidem poenis hoc est ex natura rei, in aliis saltem ex consuetudine ita mitius propter allegatas rationes legem interpretante. Satis communiter excipiuntur poenae non graves nec cum infamia coniunctae. D'Annibale, l. c. n. 309, not. 47; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 7; Lega, l. c. n. 72.

(34) Cfr. c. 14, de eiect. I, 6, de parochio, qui infra annum non suscepit presbyterat.; Conc. Trident. sess. XXIII, c. 2 de ref.; Const. «*Ex proximo*» Pii V, de fructibus amittendis a non recitantibus offic. div.; Schmalzgr., l. c. n. 56.

(35) Suárez, de leg., l. V, c. 9, n. 2, qui c. 19. n. 8 et c. 22, inter poenas quae non requirunt sent. declar., merito praeter inhabilitates comprehendit irrationem actus in poenam statutam; D'Annibale, l. c. n. 309; Thesaurus l. c. c. 31; Sanchez, De matr. d. XXXII, n. 18.

illud teneatur dimittere (36), si excipiantur irregularitates, quae hodie poenae non sunt (37), et censurae (38).

Quare cum nemo teneatur delictum suum prodere, quo sibi infamiam, aliis vero scandalum pariat, dum crimen occultum est, nemo ante omnem sententiam (quae in casu locum non habet) ad id tenetur, quo crimen suum manifestum fieret, sed ad id solum teneri potest, quod servari valeat absque criminis manifestatione.

Haec doctorum doctrina videtur firmari cit. can. 2232, § 1: unde donec delictum sit *notorium* poena tantum in conscientia delinquentem tenet; urgeri in foro externo non potest nisi per sententiam declaratoriam, quae iuris notorietatem gignit (can. 2197, n. 2) (39).

Notorium tamen non excludit *possibilitatem* sententiae declaratoriae, sed notorietas iuris, quae minus exposita est dubiis et cavillationibus, superaddi potest notorietati facti: immo etiam potest esse *necessaria* praedicta sententia declaratoria, ut peculiare effectus iuridici inducantur, qui a lege exclusive tali sententiae alligantur, ut accidit in nonnullis censuris. (Cfr. v. gr. can. 2260, § 1).

(36) *Schmalzgr.*, l. c. n. 51; *D'Annibale*, l. c. n. 49; *Thesaurus*, l. c. c. 28, 30, 32; Quodsi dictum est *regulariter*, id eo spectat, ut ex disciplina vigente sit excipiendus casus in quo lex expresse sancit poenam esse incurendam etiam sine sententia declaratoria vel ante ipsam; clausulae namque legis non sunt flosculi rethorici omni vi iuridica carentes, sed suam habent vim legalem; porro illa vis legalis in casu alia esse non potest nisi efficere, ut poena statim incuratur. *Schmalzgr.*, l. c. n. 60; paulo aliter *D'Annibale*, l. c. n. 309, not. 46. Si dicitur consuetudine effectum esse, ut vis illius clausulae non admitteretur in praxi (cfr. *Lega*, l. c. n. 73, p. 114, 115) hoc factum consuetudinis universalis in tota sua generalitate seu quoad omnes poenas, non videtur esse satis probatum, cum frequentes fiant recursus ad S. Paenitentiarium ad obtinendam dispensationem; at saltem propter auctoritatem gravium doctorum illa sententia probabilis et in praxi tuta videtur. *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 8; *Lega*, l. c. n. 74; et certe illud ius posset convenienter mutari supprimendo in legibus illam clausulam, semper enim manet illa alia difficultas, quod quamdiu delictum notorium non est nec in iure probatum, per executionem poenae reus se ipsum proderet atque infamaret; unde iam monuit *Suárez*, De leg. l. V, c. 7, n. 5, cui consentit *D'Annibale*, l. c. not. 45, solum imponi posse obligationem exequendi poenam per actionem ipsius rei « quando per verba legis tam clare explicatur sententia obligans in conscientia, ut vitari non possit sine corruptione vel magna extorsione verborum ».

(37) *Suárez*, De cens. d. XL, sec. 4, n. 21; *Wernz*, Ius Decret. t. II, n. 102, 134 sq.; cfr. Conc. Trident. sess. XIV, c. 6, de ref.; *D'Annibale*, l. c.; *Lega*, l. c. n. 73.

(38) *Suárez*, De cens. d. III, sec. 1, n. 6 sq.; *D'Annibale* et *Lega*, l. c.

(39) Hoc sensu mitior facta est in Codice disciplina, quam illa quam ante Codicem proponebant plures D. D., Cfr. *Roberti*, l. c. II, n. 250.

180. Illius sententiae declaratoriae obiectum directum est *delictum* (causa poenae), consequenter est *poena*; atque inde effectum habet ut poenae ad momentum commissi delicti retrotrahat (40); ita expresse can. 2232, § 2.

§ 4. Relatio poenarum ecclesiasticarum inter se et cum poenis fori saecularis

181. In iure ecclesiastico non est statuta *fixa* quaedam *gradatio* inter omnes poenas, ita ut possit certo modo definiri unam alteram in gravitate superare (41). Sane sub aliquo respectu censurae, quae privant bonis spiritualibus magis directe ad salutem animae ordinatis, videntur esse graviores poenae quam vindicativae. At ex alia parte pro clericis supremae poenae sunt depositio et degradatio. Praeterea censurae delinquenti non amplius contumaci non sunt infligendae, et reus a censuris iam incursis statim post resipiscentiam et satisfactionem se liberat per absolutionem vere in tali casu debitam; dum poenae vindicativae reo etiam paenitenti imponuntur, nec resipiscentia dat ius obtinendi dispensationem aut remissionem. Inter poenas vindicativas certe degradatio, depositio, inhabilitas ad officia et beneficia et eorum privatio sunt pro clericis poenae aliis graviores; sed in aliis poenis praesertim quoad laicos difficilis est comparatio. Accedit quod ex natura rei videtur impossibilis *communis mensura* in poenis *spiritualibus* et *temporalibus*.

Quare iudex ecclesiasticus in decernendis poenis arbitrariis atque in poenis ordinariis pro diversis adiunctis minuendis vel forte etiam augendis, debet sequi probatum usum et consuetudinem Ecclesiae; sed omnino incompetens est, nisi iuris casus verificetur, ad decernendas poenas, quae inter arbitrarias non recensentur et solum in casibus in iure expressis incurruntur.

182. Cum delicta *mixta* per se tum Ecclesiae tum civitatis coercionem subsint, ne reus unius delicti duplex iudicium vel duplicem

(40) *Schmalzgr.*, l. c. n. 55; *Leua*, l. c. n. 70.

(41) *Kahn*, l. c. n. 45; *Schiappoli*, l. c. n. 162; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 143 sq. De foro saeculari cfr. *Berner*, l. c. § 158 sq.; *Pessina*, l. c. § 146, 153; Codice pen. Ital. l. I, tit. 2, Hispan. l. I, tit. 3, c. 2, 3. Illa perfecta gradatio in foro saeculari est facilis ob naturam poenarum, quae in ipso adhibentur, atque in poenis similibus etiam in foro ecclesiastico est possibilis v. gr. quoad durationem suspensionis per modum poenae vindicativae inflictae.

poenam subire cogatur, vel a tribunalibus mixtis unicum iudicium fuit institutum, a quo poenae quibus utrique societati satisfaceret dicerentur, vel per praeventionem ab alterutro iudice sive ecclesiastico sive laico poenae definiri debuerunt (42). De facto nunc Ecclesia de criminibus mixtis laicorum non iudicat, quae iam in foro saeculari puniri solent (43); quare can. 1933. § 3 Ordinarios admonet: «*in delictis mixti fori Ordinarii regulariter non procedant cum reus laicus est et civilis magistratus, in eum animadvertens, publico bono satis consulit*». Sed cum adhuc sibi vindicet forum privilegiatum clericorum praesertim in causis criminalibus, ubi hoc ius auctoritas civilis non reveretur atque ecclesiasticos perinde ac laicos suis poenis subiicit, iudex ecclesiasticus debet habere rationem huius poenae iam clerico inflictae vel infligendae; nam etiam in Ecclesia debet valere principium aequitatis naturalis *ne bis in idem* (44). Sicut ergo delictum iam sufficienter punitum poterit dissimulare, nisi necessaria sit ad vitandum scandalum prohibitio functionum sacram; ita clericum non sufficienter punitum aliis poenis ecclesiasticis castigare poterit (45). — Huc spectant relate ad laicos et clericos can. 2354, 2357, 2358, 2359. Hodie autem potestas civilis plerumque poenas irrogat nullo habito respectu ad poenas ecclesiasticas; unius circumstantiae, quae fere est ordinaria, ratio ab Ecclesia haberi debet, ut habetur can. 2223, § 3, n. 2°, 3°, et dictum est supra n. 176.

§ 5 Modi procedendi in poenis infligendis vel declarandis.

183. Canon 2225 duplicem modum assignat applicandi poenam, sc. *sententiam iudicalem*, et *sine sententia iudiciali*.

I. Ordinarius modus procedendi in applicandis seu *infligendis* poenis iam legitime constitutis, itemque in *declarandis* poenis iam

(42) Aichner § 216, 1; Fournier, Les officialités au moyen âge p. 90 sq.

(43) Aichner I, c.; Nussi, Conventiones p. 178, 198 sq., p. 17, 171 sq., 197.

(44) L. 6 § 4, D. 4, 9, «*ne saepius de eiusdem hominis admissio quaeratur*»; c. 24. Apostol. «*Bis de eodem delicto vindictam non exiges*»; R. I. 83 in Sext. iunct. Reiffenst. in cit. reg. n. 3; arg. c. 4 de iudic. II, 1, ubi clericus ab Episc. depositus dicitur non esse tradendus brachio saecul. «*nec duplici debeat ipsum contritione conterere*». Huc spectat cap. 2, de except. II, 12 in VI°. Cfr. De Oliva, De foro Eccl. P. II, q. 10, atque in tota hac parte plures solvit quaestiones de relatione inter utrumque forum.

(45) Cfr. Concordatum Austriacum art. 11, 14 inunct. Aichner, I. c. § 216 not. 19.

incurtis est *processus iudicialis* de quo agunt canones 1933 sq. Recta iustitiae criminalis administratio postulat, ut legitime probentur crimina antequam poenae in illa constitutae infligantur vel declarantur. «*Nulla poena infligi potest (expresse sancit can. 2233, § 1), nisi certo constet delictum commissum fuisse et non esse legitime praescriptum*». Certitudo privata generatim non sufficit, sed requiritur certitudo iuridica, ad quam eruendam praecise ordinatur processus iudicialis idcirco can. 2225 exigit processum necessarium pro iudiciali sententia. Si cit. can. 1933 § 2 excipit a necessitate formalis iudicii sanctiones poenales, de quibus agunt canones 2168-2194, simul provocat ad verum quemdam processum administrativum formis legalibus adstrictum, quem substituit formali iudicio, excepta suspensione ex informata conscientia relate ad clericos quae specialibus subiacet regulis.

Exceptiones etiam sunt *specialis* processus in illis criminibus instruendus, quae sunt exclusivae competentiae S. Officii (can. 247, § 2, 1555, § 1), itemque speciales processus sive iudiciales sive administrativi servandi in dimissione religiosorum a religione (can. 654 sq. 649 sq.); sed tunc quoque in adhibendo processu, licet speciali, non proceditur ex privata certitudine erroris aut nimiae arbitrariorum exposita.

II. Applicatio poenae *per modum praecepti extra iudicium*. Sicut Superior poenas per modum praecepti irrogare potest (can. 2220; supra h. t. n. 162) extra iudicium, modo delictum sit certum et actio poenalis non sit praescripta; ita poenam iam constitutam potest extra iudicium applicare per modum praecepti quod se habeat ad instar sententiae (46). Videlicet personale praeceptum potest rem praescribere sub comminatione poenae latae sententiae quae statim violato praecepto incuratur nec aliud remaneat quam declaratio poenae incurtae; vel in praecepto potest contineri comminatio poenae sive determinatae sive indeterminatae, quae deinde applicari debeat violato praecepto.

Canon 2225 tamquam formalitatem actus exigit ut dum poena ad modum praecepti irrogetur vel declaretur, illa irrogatio vel declaratio ordinarie scripto fiat aut coram duobus testibus, indicatis etiam poenae causis, salvo praescripto can. 2193 de suspensione ex

(46) Cfr. canones 1933, § 4; 2217, § 1, n. 3; 2225; 2243, § 1; 2244, § 3; 2245, § 2; 665, § 3; 668; 2186 sq. etc. de poena ad modum praecepti inflictata.

informata conscientia in qua declaratio causae non est rigore praescripta. Indicatio causae praebet punito medium recurrendi contra praeceptum et poenam; unde defectus processus per hanc aliam viam suppletur, si forte privata certitudo careret reali fundamento. Ille modus seu forma infligendi poenam non requiri ad validitatem satis aperte iudicatur per verbum *ordinarie* quo praescriptum circumscibitur.

Unde: 1° ex natura rei, extra casum notorii, saltem extraiudiciales inquisitiones peragendaes sunt ut habeatur certitudo delicti; 2° legitima defensio reo est concedenda; 3° decretum, quo infligitur poena, memorata forma scripta vel orali debet esse intimatum, a qua forma vix umquam erit praescindendum, nec actus adeo gravis administrationis iustitiae criminalis levi et informi et perfunctorio modo est peragendus; 4° decretum generatim publicari debet, si effectus poenales coram societate urgeri debeant, nisi aliud bonum publicum requirat; 5° tandem contra poenale decretum patet recursus et quidem in devolutivo quoad poenas vindicativas, nisi aliud iure caveatur.

184. Scholion. Can. 1933, § 4 ita enumerat poenas, quae ad modum praecepti extra iudicium infligi possunt. «Paenitentia, remedium poenale, excommunicatio, suspensio, interdictum, dummodo delictum certum sit, infligi possunt *etiam per modum praecepti extra iudicium*». Nullum verbum habetur quo significetur enumeratio taxativa seu aliarum poenarum exclusiva. Aliunde tale praescriptum evidenter *supponit* non omnes poenas tali modo infligi posse, secus praescriptum esset *inutile*. Aliunde can. 2225 distinctionem inter poenas non facit (47). Adsunt autem poenae evidenter minores illis enumeratis in cit. can. 1933, quae hac ipsa de causa non videntur excludendae a numero earum, quae ad modum praecepti infligi possint. - Certe forte possit videri mirum quod ad irrogandam vel declarandam excommunicationem per sententiam iudicalem in processu criminali datam requirantur ad validitatem tres iudices in tribunali collegiali adunatis et omnes sententiae iudicialis solemnitates (can. 1576, § 1, n. 1): et nihilominus excommunicatio, quae ab

(47) Scite miratur *Roberti*, c. II. n. 258, not. 1, de loco, quem obtinent in Codice duo citati canones, dum primus qui praeceptum substantivum continet ponitur inter canones de processibus, alter vero qui versatur circa formam ponitur in l. V; sed locus haud raro iustificatur ex connexionem materiae.

omnibus doctoribus vocata est poena gravissima, cit. can. 1193, § 4 enumeratur inter poenas, quas ad modum praecepti extra iudicium infligere potest *solus* Superior competens, sola illa observata solemnitate ut praeceptum vel scripto imponat vel oretenus coram duobus testibus, indicatis poenae causis etsi praemissae fuerint monitiones (can. 2225); atque haec ipsa formalitas non ita rigore requiritur ut pertineat ad valorem, quod redditur manifestum ex addito verbo *ordinarie*. - Iam vero in can. 1933, § 4 verbum *infligere* sonat sive *constituere* sive *irrogare* poenam, quod videtur fieri manifestum ex can. 2225 qui illum canonem supponit, ubi habetur poenam ad modum praecepti peculiaris imponi posse *sive sit latae sive ferendae sententiae*: poena qua munitur praeceptum est poena latae sententiae in praecepto *constituta* quae ulteriori irrogatione non eget; si autem est ferendae sententiae *irrogatio* extra iudicium assimilabitur sententiae, comminatio in praecepto facta erit poenae *constitutio*; sed in hoc technicismo Codex non insistit et verbum *inflictio* indiscriminatim unum et aliud significare potest et ex subiecta materia significatio est eruenda.

185. A numero poenarum quae ad modum praecepti irrogari possunt ex aliis principiis excludendae sunt:

1° *privatio beneficii* inamovibilis, quae solum infligi potest in casibus in iure expressis, nec ullo modo est poena arbitraria (can. 2299, §), pro qua can. 192, § 2 praescribit processum iudicalem, ad quem conficiendum can. 1576, § 1, n. 1 assignat *tribunal collegiale trium iudicum*.

2° Poenae *depositionis, privationis perpetuae habitus ecclesiastici et degradationis*, quae pariter in solis casibus in iure expressis infligi possunt et ad quas irrogandas ius (can. 1576, § 1, n. 2) exigat *tribunal collegiale quinque iudicum*.

3° Poenae statutae contra delicta, S. Officii competentiae reservata, quae iuxta modum procedendi ipsius S. Officii irrogandae et declarandae sunt (c. 1555, § 1).

4° Sanctiones statutae in can. 2142-2194, in quibus infligendis servandae sunt normae illis canonibus statutae.

5° Dimissio religiosorum suas quoque habet speciales normas in ea decernenda servandas (can. 649 sq. 654 sq.).

Ceterae poenae, non est unde excludantur e numero earum, quae ad modum praecepti infligi seu declarari possint, modo *iuste* decer-

nantur cum proportione ad delictum certum et non praescriptum: nam can. 1933, § 4, qui traditae doctrinae videtur posse obstare, nullam habet clausulam sensum exclusivum prae se ferentem. Porro tradita doctrina est conformis praxi in Curiis ecclesiasticis observatae atque in ipsis SS. Romanis Congregationibus.

Alii modi rem explicandi non videntur satis fundati in iure, et necessitati boni publici saltem in Ecclesia non satis consulunt, et potestatem Ordinariorum nimis restringunt nec in se ipsis satis sunt cohaerentes (48).

186. Applicatio poenae in delictis iniuriarum. In can. 2218, § 3 edicatur: « *Mutua iniuria compensatur, nisi una pars propter maiorem iniuriam ab eadem illatae gravitatem damnari debeat, diminuta, si casus ferat, poena.* » Iniuria hoc loco non sumitur sensu generico de qualibet actione contra iura alterius; sed sensu specifico seu de actibus contra alterius honorem vel famam, praesertim de ea iniuria quae verbis vel scripto perpetratur (cfr. can. 2355 iunct. can. 1938, 1618); ex qua tamen alia quoque damna diversi ordinis subsequi possunt iniuriam inferenti imputanda.

187. Quae iniuriae cum fiant contra personas *privatas* plerumque non intersunt boni publici, nisi in quantum violatur lex talia iura protegens, sed eius, qui iniuria affectus est, dumtaxat intersunt, cuius est postulare debitam indemnitate per actionem civilem ex delicto ortam (can. 2210). Idcirco actio poenalis plerumque non instituitur ex officio (can. 1618); sed ut in eiusmodi causis iniuriarum et diffamationis actio criminalis instituat requiritur praevia denuntiatio aut querela partis laesae (can. 1938). Solum quando agitur de iniuria aut diffamatione *gravi clerico vel religioso, praesertim in dignitate constituto*, illata, aut quam clericus vel religiosus alii intulerit, actio criminalis etiam ex officio institui *potest*, non necessario *debet*; quia secundum consilium evangelicum potest quis cum *vero* et secundum fidem *magis aestimabili* honore remittere iniurias.

Ergo quantum ad privatum interesse valet principium can. 2218,

(48) Cfr. *Roberti*, II, n. 257 sq. ubi n. 262 explicationem in textu propositam tuetur; quem sequuntur *Cappello* in *Periodica* de re mor. canon. liturg. 1930, p. 36 sq.; *Cabreiros*, *Ilustración del clero*, 1930, p. 35 sq. Aliter *Noval* in *Ius Pontif.* 1922, p. 156 sq. et in *De processibus* n. 755 sq.; *Vermeersch-Creusen*, *Epitome* n. 415; *Michiels*, in *Ephemer. Lovanienses*, 1927, p. 191.

§ 3 enuntiatum, iniuria recepta valet pro illata, nisi notabilis excessus adsit ex una parte. Qua ratione habeatur haec compensatio explicant theologi moralistae. Cfr. *Lugo* in materia iustitiae facile principem: *De iustitia et iure*, disp. XV, sec. IV, n. 58 sq.

188. Quod attinet ad applicationem poenae, ubi non adfuit iniuria *mutua*, sed ex una tantum parte applicandus est can. 2355. — Ubi vero in *mutua* iniuria adfuit excessus ex una parte, aliqua proportionata poena est applicanda, plerumque diminuta ob receptam ab alia parte iniuriam. Quaestio de reparandis damnis pertinet ad actionem civilem. At can. 2218, § 3 collatus cum canone 2355, exigit ut principium de *mutua* compensatione in iniuriis intelligendum sit non solum de damno immediato, sed etiam de damno *mediato* seu publico, secus principium esset superfluum, nec hoc loco Codicis esset ponendum nec sermo esse posset de poena, quam delictis iniuriarum esse imponendam sancit can. 2355.

§ 5. De interpretatione legum poenaliarum.

189. Iudex in applicandis poenis practicam dat interpretationem legis poenalis (interpretatio *iudicialis*, quae *usum forensem* gignit). At quoniam non de legibus, sed secundum leges est ipsi iudicandum, ut leges poenales recte applicet, debet observare generales normas de interpretatione legum (49) et praesertim principia specialia, quae ad leges poenales referuntur (50). Haec generali modo continentur in duplici pervulgata Regula Iuris 49. 15. in Sexto.: « *Odia restringi, favores convenit ampliari* », « *in poenis benignior est interpretatio facienda* »; in quarum priore statuitur, leges poenales, utpote odiosas, *restrictivam* potius quam *latam* pati interpretationem nec ultra casus et personas expressas esse extendendas; unde magis directe locum habet in imputabilitate delicti seu in *comprehensione facti* sub lege poenali. Altera potius respicit ipsam poenam legis, quae mitior in casu dubii potius quam severior est decernenda (51).

(49) *Suárez*, *De leg. l. VI, c. 1* sq.; *D'Annibale*, l. c. n. 184 sq.; *Wernz*, *Ius Decret.* tom. I, n. 131.

(50) *Bileveld*, *Elout*, *Hélie* in operib. citat.; *Lega*, l. c. n. 75 sq.; *D'Annibale*, l. c. n. 304 sq.

(51) *Reiffenst.* in cit. *Reg. Iur.*; *D'Annibale*, l. c. n. 184³, 304 not. 5; *Suárez*, l. c. l. V, c. 2, n. 15, ubi legem poenalem certo habet ut odiosam, l. VI, c. 3 n. 5.

Hanc ipsam regulam interpretationis in poenalibus firmavit Codex can. 2219, cum restrictione relate ad cooperatores delicti de quorum punitione speciatim agit in can. 2231.

190. Ius quidem Romanum sancivit, interpretationem ob legis defectum non posse restringi ad solos casus iure praevisos, sed admisit analogiam legalem pro casibus similibus (52). Ius canonicum nullibi videtur expresse contradixisse illi principio de applicanda lege poenali secundum analogiam sive iuridicam sive legalem, sed etiam non continebat claram et expressam illius approbationem (53). Hinc controversia inter doctores (54), quae idcirco erat minoris momenti, quia in foro ecclesiastico multum semper tributum est prudenti iudicis arbitrio atque ius commune Ecclesiae directius considerabat iudices, qui non mera facultate applicandi leges, sed perfecta fori externi iurisdictione sunt praediti, licet in praxi potestatem iudicalem exercerent per alios.

191. Quodsi quaestio est de lege, quam iudex applicare debet sine dubio lex poenalis posterior benignior applicanda est delictis sub alia lege poenali rigidiore patris et nondum definitive iudicatis. Nam etsi lege Romana contrarium videatur expresse cautum fuisse (55), illa iuris Romani dispositio videtur intelligenda solum de casu, quo lex posterior poenam contineat severiorem; nam in eodem titulo ponitur generale principium: «interpretatione legum poenae

6, 7, 9 sq. ubi tuetur benigniorem legis poenalis interpretationem, nec contrarium tenet c. IV, n. 3 sq., ubi eam, etiam in lege poenali, tenet *comprehensionem* (non extensionem), quae *necessaria est ad iustitiam legis*. Paulo aliter *Lega*, l. c. n. 77 sq. Cum iure canonico consonat ius Romanum: L. 155, § 2, D. L. 17 «in poenalibus causis benignius interpretandum est». L. 42, D. XLVIII, 19 «interpretatione legum poenae molliendae sunt potius, quam asperandae».

(52) L. 12, 13, 27, D. de lee. l. 3; L. 6 D. de verb. sign. L. 16; *Pessina*, l. c. § 6.

(53) Expressa illa approbatio non clare continetur in c. 6, 8, X, de verb. sign. V, 40; sed etiam correctio non infertur ex citatis Reg. Iur. 15, 49, ut apparet ex similibus regulis etiam in iure Romano admissis.

(54) Cfr. *Suárez*, De leg. l. V, c. 4, n. 3 sq. c. 3, n. 5; *D'Annibale*, l. c. n. 304, et not. 8.

(55) L. 1 pr. D. de poen. XLVIII, 19 «Quoties de delicto quaeritur, non eam poenam quem subire debere, quam conditio eius admittit eo tempore quo sententia de eo fertur, sed eam quam substineret, si eo tempore esset sententiam passus cum deliquisset». Cfr. quoque L. 7, C. 1, 14.

molliendae sunt potius, quam asperandae». L. 4 de poen. XLVIII, 19; porro irrogatio poenae est ex parte iudicis executio legis, legem autem debet exsequi praesentem, non iam abrogatam (56). At quoniam numquam ex post facto crescit praeteriti criminis aestimatio, in casu contrario legis posterioris severioris, potius praecedens benignior est applicanda, sub qua delictum commissum est, cum ad iudicium secundum illam subeundum iam reo ius sit quaesitum (57), et applicatio legis posterioris, quam reus dum commisit delictum praevidere non potuit, contineret rigidam et odiosam legis poenalis interpretationem.

Haec eadem principia firmavit Codex can. 2226. «*Licet lex poenalis posterior obroget anteriori, si tamen delictum, quando lex posterior lata est, iam erat commissum, applicanda est lex reo favorabilior*»; et addit: «*Quodsi lex posterior tollat legem vel poenam tantum, haec statim cessat, nisi agatur de censuris iam contractis*». Aequitas exigit, ut reus peius non tractetur quam alii ob idem factum.

192. **Scholion.** In foro ecclesiastico hactenus non erat *expresse* et formaliter statuta nec *liberatio condicionata* a poena in eo, qui ante ipsam plene expiatam dedit signa manifesta emendationis (58), nec *damnatio condicionata* eius, qui ante delictum, de quo subit iudicium, vitam egit inculpabilem, quam plures poenalistae in forum saeculare induendam putant (59). At si quis consideret dispositiones contentas in Instructione S. C. Ep. et Reg. 11 Iun. 1880 n. 2-8, alios iuris textus (v. gr. c. 1, 2, X. de cler. pugn. V, 14) ac praesertim Conc. Trid. sess. XIII, c. 1, de ref. et praxim S. Officii in

(56) *Carrara*, Programma del corso di diritto crim. vol. 2 p. 268; at praeclearo auctori non est consentiendum, si insistit in illo argumento, quod legislator per novam legem benigniorem declarat, antiquam poenam *iniustam* aut *incaute comminatam*; cfr. quoque p. 270 sq. de difficultatibus pro foro saeculari.

(57) C. 2, X de const. I, 2. At c. 3 (Ambros.) C. 32, q. 4, qui solet allegari «Poena criminis ex tempore legis est, quae crimen inhiuit, nec ante legem ulla rei damnatio est, sed ex lege», in contextu inspectus nihil ad rem pertinet. *Suárez*, De cens. d. XII, sec. 4, n. 18 et *D'Annibale*, l. c. n. 304 in fin. de poena posterioris legis *substituenda* poenae prioris, non cum ea *cumulanda*, nisi lex contrarium expresse statuatur. Cfr. Cod. pen. Ital. n. 3 «*se la legge del tempo in cui fu commesso il reato e le posteriori siano diverse, si applica quella le cui disposizioni sono più favorevoli all'imputato*».

(58) Cfr. Cod. pen. Ital. n. 16, 17.

(59) Cfr. Cod. pen. Ital. n. 26, 27.

acceptantibus et subeuntibus impositas paenitentias, merito poterit inferre, principium ipsum in foro ecclesiastico practice fuisse admissum, quamvis non ita esset determinantum, ut fit in modernis codicibus, in quibus ille modus promovendi correctionem delinquentis est admissus. Novus Codex apte providit per institutum *correctionis iudicialis*, per canones *de poenarum remissione* (can. 1947 sq.; 2236 sq.) et per expressam admissionem *damnationis conditionatae* (can. 2288).

CAPUT XIX

De subiecto potestati coactivae obnoxio

193. *Subiecta passiva* poenarum ecclesiasticarum in genere sunt viventes fideles baptizati delinquentes (1) sive laici, sive clerici, dummodo agatur de crimine sive natura sua sive ratione personae delinquentis potestati coercitivae Ecclesiae subiecto. Etenim laicorum crimina, quae ad tribunal Ecclesiae non spectant, potestati civili relinquit castiganda. Clerici vero, qui leges reipublicae temere violant et privilegiato foro gaudent, ab Ecclesia pro gravitate delicti puniuntur. Quodsi forum privilegiatum clericorum a Statu non agnoscatur Ecclesia haud raro tolerat ut pro delictis communibus puniantur secundum leges Status, modo honori sacerdotii consulatur.

194. In particulari: I. *Infantes* (2), qui septimum annum nondum attigerunt, etiamsi fortasse per accidens malitia suppleat aetatem, ordinariis poenis ecclesiasticis etiam latae sententiae non ligantur, atque similiter impuberes, in quibus praesumptio iuris de usu rationis nondum obtinet, eadem fruuntur immunitate. Cfr. supra dicta n. 60.

II. *Impuberes* vero doli capaces et multo magis puberes minores, qui aetatem legitimam pubertatis iam excedentes, aetatem maio-

(1) R. I. 23 in Sext.; *Schmalzgr.* l. c. n. 15 sq.

(2) Cap. unic. de homic. V, 4 in Clem.; *Thesaurus*, l. c. cap. 17; *Schmalzgr.* l. c. lib. V, tit. 33, de delict. pueror. n. 4 sq.

rem nondum compleverunt, indiscriminatim a poenis ecclesiasticis sive latae sive ferendae sententiae immunes non fuerunt (3). Id quod potissimum obtinuit in delictis quibusdam atrocioribus (4), ob quae minores dummodo attigissent annum vicissimum, gravissimis poenis ordinariis subiici iubebantur. Cfr. supra n. 60 dicta de impuberum et minorum imputabilitate. — Codex, diremptis controversiis de iure praecedenti existentibus, impuberes mitius iubet tractari. Imprius illos immunes declarat a poenis latae sententiae; deinde potius vult in eos procedi castigationibus correctoriis quam per poenas graviores «potius punctionibus educativis, quam censuris aliisve poenis gravioribus vindicativis corrigantur (can. 2230). Cooperatores cum impubere tractandi sunt sicut cum aliis.

III. De *minoribus* nihil speciale quoad poenas statuitur, et solum habenda erit ratio diminutae ut plurimum imputabilitatis. Cfr. supra n. 60.

IV. *Cooperatores* in delicto conformiter ad ea quae supra n. 108 sq. disputata sunt ex can. 2209, applicatio poenae sive latae sive ferendae sententiae facili generali principio definitur. Quicumque ad delictum concurrerint uno ex modis declaratis in canone 2209 § 1, 2, 3 eadem poena tenentur ac ipse delicti executor, licet hunc tantum aut unum vel alterum ex illis cooperatores nominet, salva contraria legis dispositione. Ceteri cooperatores qui in delictum concurrunt alio modo, non tenentur eadem poena, sed «alia iusta poena pro prudenti Superioris arbitrio puniendi sunt, nisi lex peculiarem poenam in ipsos constituat». — Enumeratio omnium cooperatores in singulis legibus poenalibus esset res infinita, et adesset singulare periculum ne legislatorem in casu particulari fugeret cooperatores mentio; porro iustitia exigit ut omnes ex quorum communi actione delictum exstitit cum proportione ad propriae actionis influxum puniantur (can. 2230).

V. Singularis habenda est ratio illius qui plura delicta commisit, qui non solum *gravius* puniri debet, sed, si id putetur opportunum, subiiciendus est *vigilantiae* vel alio *remedio poenali* a relapsu est praeservandus (can. 2234).

195. Quoniam poenae aut per *legem* feruntur aut per *praeceptum*, principium generale est «*Poenae adnexae legi aut praecepto*

(3) Cap. 1, 2, X, de delict. pueror. V, 23; cap. 1, 60, X, de sent. excom. V, 39; *Schmalzgr.*, cit. tit. 23, n. 9 sq.; *Thesaurus*. l. c.

(4) *Bened.* XIV, Const. «Ab Augustissimo» 5 Mart. 1744; Urban. VIII.

obnoxius est qui lege aut praecepto tenetur, nisi expresse eximatur (can. 2226, § 1). Statim autem decernit Codex exceptionem: 1^o quoad Cardinales, qui sub nulla lege poenali comprehenduntur, nisi expresse nominentur. Praeter poenas in Const. «*Vacante Sede Apostolica*» (cfr. can. 5330) pro Cardinalibus lata, in Codice unum tantum reperitur censura, qua etiam Cardinales ligantur (can. 2332); 2^o Episcopi (sive residentiales sive titulares), pariter nisi expresse nominentur, non comprehenduntur sub poenis latae sententiae suspensionis et interdicti (can. 2227, § 2) (5); 3^o reges et reginae seu ii qui supremum populorum principatum obtinet (velut praesides rerum publicarum), eorum filii et filiae et ii quibus est ius *proxime* succedendi in principatum, solius Rom. Pontificis iudicio subiiciuntur (can. 1557) et ideo in eos a solo Rom. pontifice poena infligitur aut declarari potest, exclusis Episcopis atque adeo S. Sedis Legatis speciali mandato carentibus (can. 2227, § 1) (6). At poenis generali modo iure communi i. e. Pontificio latis nequaquam eximuntur.

196. Cum territorium Ecclesiae sit orbis terrarum, numquam fidelis quoad leges universales Ecclesiae potest tamquam peregrinus exsistere extra territorium auctoritati ecclesiasticae subiectum (7). Quare quaestio, num peregrinus subiiciatur legibus poenalibus loci in quo versatur vel patriae derelictae, in foro ecclesiastico est solummodo practi momenti, si agatur de particularibus legibus poenalibus (8). Qua in re quoad *peregrinos* et vagos applicandus est can. 14. At Superior competens poenas per modum praecepti, extra iudicium, irrogare potest etiam extra territorium existens aut in subditum e territorio absentem (can. 201, § 3).

Item novis legibus poenalibus aliquis non est subiectus, nisi postquam promulgatio legis novae legitime facta est, atque in omnibus subditis cognitio legis merito praesumi potest. Quae cognitio, ut merito praesumatur, etiam in legibus poenalibus Ecclesiae non requirit promulgationem in singulis provinciis ecclesiasticis; verum

(5) De iure praecedenti cfr. cap. 4, V, 11 in 6^o ubi eadem exemptio continetur.

(6) De iure praecedenti magis restricto cfr. *Reiffenstuel*, V, 39, n. 20.

(7) *Kober*, *Der Kirchenbann*, p. 120.

(8) Cap. 2, de const. I, 2, in Sext.; *Suárez*, *De leg. lib.* III, cap. 32, 33; *Kober*, l. c. p. 126 sq.; *Wernz*, *Ius Decret.* t. I, n. 105, 107; *Regolamento penale*, Gregor. XVI, arl. 3, 4, 5, 71, 72.

ad vitandas dubietates in praxi optimo consilio in ipsa legis poenalis promulgatione certum quoddam tempus v. g. duorum vel trium mensium stabilitur, intra quod lex vacet, et quo elapso plenum obtineat vigorem, ita ut non amplius admittatur ignorantia iuris, saltem si agatur de poenis vindicativis (9). De legis pontificiae vacatione standum est can. 9.

197. Poena semel incurta vel inflicta «*reum ubique terrarum tenet, etiam resoluta iure Superioris, nisi aliud expresse caveatur*» (can. 2226, § 4). Est vinculum iuridicum personale, quod quis secum fert quocumque se conferat donec ab illo solvatur.

198. **Scholion.** *Orientalis* propria legislatione utuntur et propriis legibus proprias sanctiones habent adnexas: iure autem pontificio non ligantur, nisi agatur de legibus, quae ex ipsa rei natura Orientalem quoque Ecclesiam afficiunt velut leges quae ius divinum sive naturale sive positivum declarant seu interpretantur; aut nisi expressa de Orientalibus mentio fiat (10).

199. Denique singularis est Ecclesiae praerogativa, quod ipsa iam pridem (11) omnes fideles sibi subditos sive divites sive pauperes, sive nobiles vel ignobiles aequali ratione et sine acceptatione personarum suis legibus poenalibus poenisque subiiciat (12).

200. Licet quis subiiciatur legi, potest nihilominus evadere poenam, si in eo verificatur circumstantia a delicto eiusve imputabilitate

(9) Cfs. *Thesaurus*, l. c. cap. 15; *Suárez*, l. c. l. V, cap. 12; *Sanchez*, *De matr.* lib. IX, disp. 32, n. 20 sq.

(10) Can. 1. Benedictus XIV Const. «*Etsi pastoralis*»; encycl. «*Allatae sunt*». Licet autem poena sit lata per legem ecclesiasticam S. C. de P. F. 6 Aug. 1885 (Collectanea n. 1640) declaravit (Orientales) «*fideles subici omnibus censuris ab Apost. Sede latis in materia dogmatum et in Constitutionibus in quibus implicite de iisdem disponitur, nempe ubi materia ipsa demonstrat eos comprehendendos quatenus non de lege mere ecclesiastica agitur, sed ius naturale et divinum declaratur*». Item «*Illos fideles subici nominatim nedum censuris, sed etiam Apostolicis reservationibus latis in Const. Benedicti XIV Sacramentum Paenitentiae et in Constitutionibus contra sectae massonicae aliisque similibus addictos*».

(11) Id ab Ecclesia factum esse, antequam moderna constitutiones huiusmodi principium ploclamarint, aequo iustoque iudicio fatetur *Berner*, vir acatholicus, l. c. § 45.

(12) *Kober*, l. c. p. 104 sq.; *Regolamento penale* Greg. XVI, art. 2, non dispensa dalla pena, nè la condizione nè il sesso».

eximens, aut saltem evadere determinatam poenam legis, quando ob aliquam circumstantiam eius imputabilitas est valde diminuta. Hae circumstantiae sive eximentes sive minuentes aut forte aggravantes expositae sunt in P. I capitibus VIII-XII. Has debet considerare et verificare iduex in ferendis poenis ferendae sententiae ab ipso discernendae. Peculiarem considerationem merentur quoad poenas *latae sententiae*, quas reus sibi applicare debet, et confessarii interest scire num sint incursae necne. — In genere lex plerumque requirit perfectum dolum, et poena in ipsa statuta delicto proportionata censetur si cum perfecta externa consummatione concurrat plenus dolus: semper tamen requiritur *gravis imputabilitas* sive dolosa sive culposa. Quoad has poenas latae sententiae imputabilitatem requisitam definit can. 2229.

a) Si leges requirunt dolum omnino perfectum sive quoad cognitionem sive quoad voluntatem, non solum *culpa* (excludens *dolum*) sed etiam quaecumque causa *minuens dolum* sive quoad intellectum sive quoad voluntatem *excusat a poenis latae sententiae* (can. 2229, § 2).

Iam vero Codex docet perfectum dolum requiri cum lex habeat haec verba: *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit et similia*, « quae plenam cognitionem et deliberationem exigunt ». — Similia quoad exigentiam pleni doli habentur a doctoribus *clausulae pertinaciter, malitiose, fraude et dolo, de industria* (13) *sponte* quae tantum plenam libertatem videtur exigere, nisi dicatur *sponte et scienter*.

A principio generali sub a) proposito excipitur in § 1 canonis 2229 *ignorantia affectata iuris* i. e. sive legis sive solius poenae, quae ex Codice censenda est perfectae cognitioni aequiparanda, ideoque a nullis latae sententiae poenis excusat (14).

b) Quando lex perfectum dolum sensu explicato non requirit, nulla diminutio imputabilitatis (sive haec proveniat ex dolo sive ex culpa) excusat a poenis latae sententiae, *dummodo actio maneat graviter imputabilis* (can. 2218, § 2). Quod principium can. 2229, § 3, n. 2° applicat in casu *ebrietatis, omissionis debitae dili-*

(13) Cfr. *Chelodi*, Ius poenale, n. 27; *Roberti*, II, n. 246.

(14) Ante Codicem non deerant, qui tenerent nequidem ignorantiam affectatam cognitioni aequiparari criminaliter veluti *Legu*, t. III, n. 32; *D'Annibale*, I, n. 312, not. 72. At *Suárez*, Codicis sententiam iam propugnabat in *De censuris* disp. IV, n. 10.

gentiae, debilitatis mentis et impetus passionis; sed ex can. 2218, § 2 extendendum est ad alias causas minuentes pro casu, in quo adhuc maneat gravis imputabilitas.

201. Exceptiones: 1^a) *de ignorantia graviter imputabili*: haec continet imputationem sufficientem ad incurrendas poenas *vindictivas* etiam latae sententiae, *non habetur sufficiens ad incurrendas censuras latae sententiae*, sed ad has incurrendas requiritur ignorantia illa gravior, quae dicitur *crassa* aut *supina* (can. 2229, § 3, n. 1°). — Illud tamen notanter additur in § 4 videlicet, licet reus in casu censuram non incurrat « id tamen non impedit quominus, si res ferat, congrua alia poena vel poenitentia affici queat ». — Recolenda hoc loco sunt quae de imputatione legis vel poenae ignoratae sancuntur can. 2202. — Ad censuras incurrendas debet verificari *contumacia* ideoque culpa gravior, qualis censetur haberi in ignorantia crassa vel supina (15).

2^a) *Casus metus*: hic semper excusat a poenis latae sententiae, non solum in delictis contra legem mere ecclesiasticam, sed etiam in his quae committuntur actionibus naturaliter malis, ad normam eorum quae dicta sunt (n. 84 sq.) de imputabilitate criminali actus ex gravi metu positi; sed pariter addenda est exceptio ibidem considerata de casu quo legis violatio *vergat in contemptum fidei* aut *ecclesiasticae auctoritatis* vel *in publicum animarum damnum* (can. 2229, § 3, n. 3). Quo loco *publicum* videtur significare *non occultum*, etiam ex illa ratione, quod in Ecclesia animarum damnum numquam censi debet *privatum*, ideoque publicum non videtur opponi *damno privato*.

(15) *Cappello*, De censuris n. 53; *Ballerini-Palmieri*, VII, n. 99, 151; *Suárez*, De cens. disp. IV, n. 3; De legibus l. V, cap. 12, n. 13; *Sánchez*, De matrim. l. IX, disp. 32, n. 38; *Pirhing*, l. V, t. 39, n. 46; *Hollweck*, l. c. p. 79; *Passerini*, in Sext. Decret. t. I, p. 149 sq.; in cap. *Ut animarum* (l. 2 in Sext.) n. 408 sq., 412 sq.; itemque n. 371, 376, 379; *Reiffenstuel*, V, 39 n. 29, 32.

CAPUT XX

De poenarum cessatione

§ 1. De poenae extinctione per mortem, expiationem et praescriptionem (1)

202. Ex delicto oritur in publica auctoritate ius delictum persequendi per iudicium criminale contra delinquentem institutum et ius executioni mandandi poenam per sententiam iudicis decretam (2). Ius persequendi, praeter mortem delinquentis, per praescriptionem actionis poenalis exstinguitur. Ius exsequendi poenam cessat morte rei, praescriptione poenae et gratia a principe post sententiam latam facta. Abolitio procedurae criminalis per praescriptionem actionis poenalis spectat ad tractatum de processu criminali (can. 1703, 1704), alii vero modi quibus poenae exstinguuntur atque in iudice cessat ius poenam exsequendi, magis spectant ad ius poenale specificè acceptum (3).

203. I. **Mors rei.** Imprimis delictum et poena exstinguuntur morte rei. Id quod perfectissimo modo obtinet, si reus moriatur ante proceduram iudicalem inchoatam vel saltem ante sententiam latam. Nam mors omnia solvit, atque is, qui iam incidit in manus divini iudicis, iudici humano non amplius est subiectus. Hinc iam in legibus Romanis dicitur: « Is, qui in reatu decedit, integri status decedit »

(1) Cfr. *Lega*, De iudiciis eccl. t. IV, n. 184 sq.; *Berner*, l. c. § 165 sq.; *Riedel*, De praescr. crim. 1831; *Platzmann*, Observations de poen. praescr. 1832; *Koorebeke*, Traité des prescriptions en matière criminelle, Bruxelles 1849; *Carrara*, Programma, § 574, 714 sq. Cfr. quoque *Banniza*, De praescriptione contra iudic. ex offic. inquirentem locum non habente, Oeniponte 1766; *Nani*, Diatriba de crimin. indulgentia et praescrpt., Novocomi 1789; *Platzmann*, De poen. praescrpt. Lips. 1832; *Buma*, De iure gratiae, Groning., 1823; *Dompierre*, Examen du Droit de grâce, Lausan. 1823, apud *Pessina*, l. c. § 175, 179; *Roberti*, II, n. 264 sq.; *Chelodi*, Ius. poen. n. 29.

(2) *Berner*, l. c. § 165; *Pessina*, l. c. § 171 sq.

(3) Cfr. Codice pen. ital. l. I, tit. 9; *Berner*, l. c.; *Pessina*, l. c. Regolam. cit. art. 37 sq.; Codice pen. ital. n. 85 sq.; *Wernz-Vidal*, De processibus, n. 364 sq.

exstinguitur enim crimen mortalitate...; morte crimine liberatur » (4). Quare exstincto crimine post mortem rei neque accusatio introducitur neque coepta continuatur, nec potest esse quaestio de poena infligenda.

Quodsi si quis decedat post sententiam latam, quae nondum transit in rem iudicatam, mors impedit, quominus sententia illa transeat in rem iudicatam ideoque executioni mandari nequit. At si reus moriatur, postquam sententia lata transit in rem iudicatam, vinculum poenale a reo iam fuit contractum, sed profecto *poenae personales* reo condemnato applicari non amplius possunt, sed *poenae reales* et bona scelere quaesita et pecuniaria compensatio damni illati in bonis relictis rei mortui, citra difficultatem executionem admittunt atque propterea morte rei non exstinguuntur (5). Bona patrimonialia, sicut respectu privatorum, ita respectu publicae auctoritatis constituunt cautionem creditorum et a reo mortuo relinquuntur illis oneribus imminuta.

In iure canonico quoad poenas personales manet adhuc privatio sepulturae eccl. et exclusio a publicis precibus pro excommunicatis, nisi servatis servandis, vinculum hoc poenale fuerit ablatum cfr. can. 1240. § 1; 2261, § 1; Rit. Romanum, tit. III, cap. 4.

204. II. **Expiatio poenae.** Alter modus, quo exstinguitur poena est ipsa *expiatio poenae*. Qua expiatione facta, societati satisfactum est, atque cum idem non possit bis puniri, solummodo novum delictum vel repetitio perpetrati delinquentem constitueret reum novae poenae (6). At expiatio poenae in foro civili inflictae non obstat, quominus in foro quoque ecclesiastico competens poena decernatur et vicissim (7); quemadmodum paenitentia in foro interno perfecta non excusat a subeunda poena in foro externo statuta (8). Sed attendendus et can. 2223.

(4) L. 11 D. ad leg. Inl. Maiest. (XLVIII, 4); *Schmalzgr.*, l. c. lib. V, tit. 37 n. 16; *Pessina*, l. c. § 172.

(5) Cap. 9, X, de usur. V, 19; cap. 5, X de raptor. V, 17; *Pessina*, l. c. de hac exceptione in iure Romano facta. Cfr. quoque Codice penale d'Ital. art. 85 sq. art. 102.

(6) *Schmalzgr.* l. c. n. 23; sq. Regol. cit. art. 36.

(7) Cap. 2 de except. II, 12 in Sext.; Instr. S. C. Ep. et Reg. 11, Iun. 1880, art. 43.

(8) *Thesaurus*, l. e. P. I, cap. 2.

205. III. **Poenarum praescriptio.** Tertius modus extinctionis poenae est *praescriptio* (9) in casibus a iure expressis et intra tempus legibus statutum. Quamvis enim post sententiam rite pronuntiatam, quae transiit in rem iudicatam, illa ratio ex difficultate probationis et defensionis petita, in qua innititur praescriptio actionis criminalis, non amplius urgeri possit, cum solummodo poenae legitime decretae requiratur executio, tamen subsistit alia ratio quod tempore satis longo, sicut memoria delicti ita memoria sententiae criminalis et poenae statuae quasi deletur et ille timor executionis, forte cum exilio coniunctus, est saltem partialis castigatio. Hinc nihil videtur ob stare, quominus post certum annorum lapsum poena statuta praescribatur et non amplius executioni mandetur, sicut ob similes rationes praescribitur crimen ante omnem actionem criminalem inchoatam (10).

Fatendum tamen est, in fontibus scriptis iuris canonici praecedentis de isto modo extinguendi crimina et poenas disertis verbis nihil esse statutum (11).

(9) Ad proceduram criminalem pertinet agere de praescriptione actionis criminalis in foro ecclesiastico, praesertim in processu accusatorio. Quae praescriptio nititur illa ratione aequitatis naturalis, quod post longum tempus et probatio delicti et defensio accusati non exiguas nanciscantur difficultates; quare ne potestas publica exponatur periculo puniendi innocentem aut condemnandi reum propter probationes non sufficientes cum gravi detrimento dignitatis et bonae famae tribunalium, processus criminalis omnino denegatur. Cfr. *Regolam. cit. art. 36, 39-48, incl.*; *Codice pen. Ital. art. 91 sq.*; *Lega, l. c. n. 187*; *Berner, l. c. § 167*; *Pessina, l. c. § 179 sq.*; *Cremani, de iur. crim. I, p. 274 sq.*

(10) Cfr. *Regol. cit. art. 47* De historia praescriptionis in iure poenali cfr. *Pessina, l. c. § 181*; *L. 10, D. ad leg. Pomp. de parric. (XLVIII, 9)*; *L. 19 § 1 D. de ieg. Cornel. (XLVIX, 19)*; *L. 4 Cod. de apost. (I, 7)*: quo iure a praescriptione fuerant excepta delicta parricidii, suppositionis partus, apostasiae.

(11) Cfr. tamen causam *Lublinensem* de praescriptione actionis criminalis discussam a S. C. Ep. et Reg. in Actis S. Sedis t. 30, p. 677, et decisionem S. C. a R. Pontifice approbatam atque episcopo per litteras S. C. communicatam. *ibid. 688*, ubi expresse admittitur praescriptio actionis criminalis, atque definiuntur praescriptionis tempora, sc. pro actione iniuriarum spatium unius anni, pro crimine peculatae et delicti carnis spatium quinque annorum. At raptus, stuprum per vim illatum, adulterium cum incesto coniunctum, non nisi annorum viginti spatio dicuntur praescribi; praescriptio vero omnis negatur crimini suppositi partus, parricidii, assassinii, laesae maiestatis, duelli, falsae monetae, apostasiae, haeresis, simoniae, concussionis, abortus, sodomiae. Praescriptio etiam negatur in delictis, quae successiva sunt aut permanentia, nisi a die cessantis delicti. Cum vero adderetur praescriptionem in delictis *totaliter occultis* non currere a die com-

206. Codex de hac re cavet in canone 2240 hoc pacto: «*Ad praescriptionem actionis poenalis quod attinet, servetur dispositio can. 1703*». Qui canon, cum ponatur inter canones de cessatione poenae, videtur certo modo admittere poenae praescriptionem, secus esset inutilis et extra locum posita repetitio can. 1703, qui est canon processualis. Porro ratio iuridica, cur post tempora praescriptionis non debeat inchoari actio criminalis videtur eodem modo urgere pro non exsequenda poena iam decreta, atque forte a fortiori, quia per ipsam condemnationem delinquentis qui est actus iuridicam habens publicitatem iam aliqua ratione satisfactum est bono publico per delictum laeso, dum expiatio poenae plerumque in foro ecclesiastico est factum occultum et ceteris fidelibus ignotum. Quare canon 2240 videtur interpretandus de tempore ad praescriptionem requisito, quod desumendum erit ex tempore assignato pro praescriptione actionis poenalis (12).

Quare poenae inflictae ob iniurias praescribentur uno anno; poenae inflictae ob delicta contra VI et VII decalogi praeceptum quinquennio; ob simoniam vel homicidium decennio. Tempus autem erit supputandum a die sententiae quae transiit in rem iudicatam aut a die poene inflictae per praeceptum.

Sed praescriptio locum non habebit in poenis irrogatis ob de-

missi delicti sed a die scientiae accusatoris vel inquisitoris, inde pro foro Ecclesiae non parum elidebatur vis illa praescriptionis. — Aliter solet statui in codicibus modernis v. gr. in *Codic. pen. Ital. n. 92* (novus codex a. 172, 173); *Regol. pen. Gregor. n. 44*. Cfr. *Lega, l. c. n. 187 sq.*; *Pessina, l. c. § 182, 184*, ubi scite observat disparitatem inter praescriptionem in materia civili et in materia criminali relate ad scientiam illius contra quem praescribitur; nam lex statuens praescriptionem in materia civili praesumit *tacitam renuntiationem* eius contra quem praescribitur, et idcirco *contra non valentem agere non currit praescriptio*; at in re criminali praescriptio nititur *obiectiva difficultate* rite post certum tempus *administrandi iustitiam* (cfr. praeced. not. 9), ad quam impertinens est scientia vel ignorantia iudicis; hinc etiam in iure Romano praescriptio incipiebat a die commissi delicti seu a momento ex quo oritur actio poenalis. *L. 29 § 7, D. ad leg. Iul. de adult.* At *poenae praescriptio incipit a die sententiae irrevocabilis*. *Pessina, l. c. § 186*. Cfr. *Piat Mont. l. c. II, q. 632, 633*. — Leges civiles ante saeculum XIX generatim poenarum praescriptionem non admiserunt, et inter D. D. iuris civilis illius saeculi non adest concursus sentiendi modus. Occasio praescriptionis in foro saeculari vix habetur, nisi cum praesumptus reus condemnatur in contumacia propter absentiam.

(12) *Noval, De processibus, n. 377*; *Roberti, II, n. 277*; *Vermeersch-Creusen, Epitome III, n. 139, 434*. Paulo aliter *Chelodi, Ius poenale, n. 29*.

licta pertinentia ad competentiam S. Officii. Item praescriptio locum non habet relate ad censuras, cum hae secum ferant executionem nec in quibusvis poenis latae sententiae, quae pariter, sine actu hominis, a momento patrati criminis incurruntur.

207. Scholion. Sicut poena iam incursa non cessat resolutio iure Superioris, qui illam per legem constituit, ita etiam non cessat, si inflictum est per praeceptum poenale, nisi in ipso praecepto dicatur poenam debere durare quamdiu durat Superioris iurisdictio v. gr. per clausulam «ad beneplacitum nostrum». Quid autem requiratur ut praeceptum personale quoad vim obligandi non cesset resolutio iure praecipientis, statuit can. 24.

§ 2. De poenarum remissione (13)

208. Notio. Remissio de qua agitur est *relaxatio poenae a legitimo Superiore concessa*.

Modus duplex assignatur can. 2236: *absolutio* quae refertur ad censuras; *dispensatio* quae pertinet ad poenas vindicativas. Absolutio relate ad poenas medicinales est debita ex iustitia, deposita contumacia, sicut sacramentalis peccatorum absolutio afferenti ad sacramentum debitas dispositiones; dispensatio poenae vindicativae est mera gratia dependens ab arbitrio Superioris.

Necessitas et convenientia. Necessitas ex dictis verificatur de censuris. Convenientia quoad poenas vindicativas et in genere quoad poenas iam satis sistitur ex hoc quod in omni societate bene ordinata semper habitum est ut ius inhaerens supremo Principii facultas sic dicta agratiandi seu condonandi aut minuendi poenas.

209. Potestas remittendi poenam sive per absolutionem sive per dispensationem per se illi competit, qui poenam tulit vel qui huius sit superior aut successor vel delegatus (can. 2236). Poena enim

(13) C. 16. X. de maior. et obedient. l. 33; c. 15. X. de tempor. ordinat. l. 11. Cfr. Regolamento Gregor. a. 36, 49; *Thesaurus*, l. c. P. I. c. 23 i. pr.; *D'Annibale* l. c. n. 314; *Suárez*, De leg. l. VI. c. 14. n. 1, 2, 4, 6; *Piatius Montensis*, Praelectiones iurin regularis tom. II. p. 582 sq. 596 sq.; *Vermeersch*, De relig. instit. n. 418 sq. 425 sq. *Roberti*, II, n. 267 sq.; *Vermeersch-Cresuen*, Epitome III, n. 428 sq.; *Cappello*, De censuris, n. 84 sq.

inflicta est verum vinculum iuridicum per superiorem ecclesiasticum vi suae iurisditionis inductum, cuius vim nisi ex facultate accepta inferior non potest relaxare; at qui respectu illius fidelis aequalem habet iurisditionem, ut evenit in successore in officio, et a fortiori qui habet iurisditionem vere superiorem, cum aequali vel superiori (14) polleat potestate ligandi atque solvendi, vinculum poenae ab alio impositum per absolutionem vel dispositionem tollere potest.

210. Inde infertur ex natura rei et expresso praescripto can. 2236, § 3, iudicem, qui *mere applicat* poenam non a se sed a superiore constitutam, eandem semel applicatam per se et ex vi officii iudicis relaxare non posse; iudex enim ut talis post poenam sua sententia applicatam atque executioni mandatam functus est munere suo; ergo, nisi ex alio titulo habeat acceptam potestatem, poenam per dispensationem aut absolutionem tollere non potest. Quare licet Ordinarius alique ab ipso delegati possint dispensare a poenis iure dioecesano constitutis, a poenis tamen iuris communis, dispensare non valent, nisi in quantum habeant ad hoc facultatem sive specialem a R. Pontifice acceptam sive generalem per ius commune concessam, aut eam implicite acceptam habeant in facultate habita dispensandi a lege, qua poena lata est.

Qui autem *habet vel accepit* potestatem eximendi a lege, hoc ipso intelligitur *habere vel accepisse* potestatem remittendi poenam legi adnexam (can. 2236, § 2). Poena censetur pars legis quam sancit, et cui data est potestas ad id quod est plus (solvere a lege) convenienter datur ad id quod est minus (solvere poenam legis) (15).

(14) Superior relate ad Episcopum quoad absolutam potestatem dispensandi a poena ab Episcopo lata intelligitur in disciplina vigenti solus R. Pontifex, non v. gr. Metropolita et multo minus Primas. Metropolitanae et Primates in hodierna disciplina nullam habent iurisditionem in suffraganeos excepto casu visitationis et in actu appellationis (can. 274, n. 5, 7). Ceteri infra R. Pontificem superiores quando Ordinarii sententia fuit iniusta, eam per legitimam appellationem ad se delatam possunt cassare, ex qua infirmatione sententiae consequitur poenam non vere fuisse incursam nec indigere dispensatione. Quoniam vero in censuris iam incursis appellatio in *suspensivo* non datur (c. 30. 53. § 1. X. de appellat. II. 28 iunct. can. 2243; *Thesaurus* l. c. P. I. c. 24. i. f.; *Lega* l. c. t. IV. n. 491.), sed tantum in *devolutivo*, infirmatio sententiae a tribunali superiore facta id solum efficit, ut censura sit tollenda per absolutionem iudicis a quo inflicta est vel etiam iudicis superioris qui sententiam infirmavit, in quo videtur dari optio; cfr. c. 7. § 3. de sent. excomm. V. 11. in Sext.; *Lega* l. c. t. III. n. 122.

(15) Cfr. *Chelodi*, l. c. n. 29. Paulo aliter *Roberti* l. c. n. 268, B.

211. Potestas Ordinarium remittendi poenas iure communi status.

Can. 2237 loquitur de poenis *latae sententiae*, dum satis amplam facultatem Ordinariis largitur: nam poenae ferendae sententiae, cum post irrogationem fiant *ab homine*, Superioribus per se vel per iudices infligentibus reservantur (can. 2245, § 2). Ordinarii nomine veniunt ii, de quibus can. 198, § 1. Quae potestas verius ex can. 197, § 1 dicenda est ordinaria quae delegari possit; quae facultas delegandi etiam haberetur si diceretur *delegata* a iure (c. 199, § 2).

Alia datur pro casibus *publicis*, alia pro casibus materialiter vel formaliter occultis.

212. A. Pro casibus publicis. I. Praescindendo a censuris latae sententiae non reservatis de quibus sub proprio titulo agatur (16), in aliis poenis latae sententiae iure communi sine interventu iudicis incursis certe facultas dispensandi tacite fit ab ipso iure Episcopis aliisque Ordinariis quoties ius permittit dispensationem quin determinet personam a qua dari debet (v. gr. per clausulam donec dispensetur) (17); satis enim intelligitur R. Pontificem in iure communi dispensare posse; ergo facultas dispensandi in lege contenta non ad R. Pontificem sed ad inferiores Praelatos est referenda: est concessio implicita.

213. Scholion. In iure praecedenti, praeter hunc casum, etiam satis communiter fuit propugnata facultas Episcopi dispensandi a poenis ipso iure incursis *ob delicta minora* i. e. *non maiora adulterio*, saltem peracta paenitentia vel aliqua ipsius parte, nisi exceptio facta fuisset sive expresse sive saltem implicite (18). — Quae implicita

(16) Cfr. can. 2253. - Pro absolvendis censuris iuris communis adest specialis ratio desumpta ex natura medicinali talis poenae, quae statim tollenda est, cum adest resipiscentia seu recessus a contumacia, at ius absolutionis obtinendae maxima ex parte frustraretur si esset recurrendum ad R. Pontificem pro illa obtinenda; hinc pro censuris ius ipsum expresse statuit principium contrarium, non esse reservatas quoad absolutionem nisi de reservatione expresse caveatur, c. 29. X. de sent. excomm. V. 39; *Suarez* l. c. n. 7.

(17) *Thesaurus* l. c. P. I. 23. dic. III.; *Sánchez*, De matr. l. 8, d. 5. n. 2, 5; *Suarez* l. c. n. 8.

(18) *Thesaurus* l. c. P. I. c. 23. dic. IV.; *D'Annibale* l. c. n. 315; *Lega* l. c. t. III. n. 12. Cfr. quoque *Suárez*, De cens. d. XXIX. sec. I. n. 21., qui illam facultatem *de poena suspensionis* explicabat.

exceptio facta censeretur hoc ipso quod ius poenam statuisset *in determinatum tempus* duraturam (*Thesaurus*, l. c. dic. IV; *Suárez*, De cens. d. XXIX, sec. 1, n. 20). Ad probandam talem potestatem fuit allegatum c. 4, X. de iudic. II. 1., et adducta fuit ratio, quod cum illa minora delicta sint frequentiora, providendum fuit, ne nimis frequens recursus ad Sedem Apostolicam esset necessarius (19). Quae distinctio inter delicta *maiora* et *minora* adulterio est in se aliquantulum difficilis; unde iam *Thesaurus* l. c. cum aliis monuit non

(19) Fatendum erat nec canonem allegatum referre clare traditum principium de tam ampla facultate Episcopi, nec rationem additam esse vere convincentem. Nam prima pars Decretalis Alexandri III. loquitur de delictis, propter quae in iure est statuta *suspensio* (*dummodo sint talia crimina, propter quae suspendi debeant*), quae limitatio *de poena suspensionis* etiam in secunda parte videtur esse intelligenda atque expressa reperitur in Decretali integra relata in edit. *Friedberg* «potest episcopus cum *suis* clericis post peractam poenitentiam dispensare, *ut in ordinibus suis deserviant*». Ratio vero adducta de difficultate frequentis recursus ad Sedem Apostolicam, si valet in suspensione ceterisque censuris, de aliis poenis non adeo est efficax, cum poenae non infligantur ut dispensentur, sed ut sustineantur et expientur et per poenae sufferentiam violatio ordinis publici reparetur. Quare illa distinctio quae traditur a *Thesaurus* l. c. inter poenas, *quae receperunt vel non receperunt executionem per factum hominis*, etiam in allegato canone non videtur habere fundamentum; quasi Episcopus possit dispensare «super poena infamiae vel irregularitatis vel inhabilitatis aut depositionis verbalis, non autem super privatione beneficii vel officii vel bonorum post executionem factam iudicis ministerio». Nam, teste eodem *Thesaurus*, cum Episcopus dicitur posse dispensare in delictis adulterio minoribus, gravitas delicti est desumenda ex poena, at poena depositionis certe est gravior simplici officii privatione. Quae ostendunt principium in textu allegatum esse incertum, quae incertitudo non convenienter tollitur, nisi in particulari determinentur poenae a quibus Episcopus dispensare possit.

Si *D'Annibale* l. c. n. 315. nullam addens limitationem dicit Episcopum posse dispensare «*quoties gravis necessitas urget et R. P. sine gravi incommodo adiri non potest*» atque nullo allegato iuris textu suam assertionem probat «*ex ipsa natura legum humanarum, quarum nulla est obligatio cum incommodo gravi*», vix potest negari, quin tam ampla potestas dispensandi valde extenuet vim et efficaciam communis iuris poenalis ecclesiastici; atque *mirum est* quod id fundetur in illa ratione, cum omnes leges poenales (saltem poenam *gravem* constituent) *ex natura rei* obligent *ad grave incommodum* (i. e. gravem poenam) sustinendum; hactenus enim nullus legislator in poenam imposuit *aliquid suave* aut *incommodo* carens. Pro censuris quidem etsi sint reservatae est specialis ratio iam alias assignata. Pro poenis *occulte incursis*, quarum executio secum traheret infamiam aut scandalum, minor etiam apparet iuridica incongruentia. Unde *Thesaurus* l. c. P. I. c. 23. dic. V. illam assertionem generalem *ad casus occultos* restringit, cui consonat *Sánchez*, De matr. I. II. disp. 40. n. 3.

esse hic iudicandam theologice maiorem vel minorem gravitatem, sed ex gravitate poenae qua puniuntur; at ipsum iudicium de gravitate poenae est valde incertum et varium, unde asserta facultas valde obnoxia erat difficultatibus. Difficultates sustulit expressa et clara concessio can. 2237, § 1 per determinationem poenarum, quas Ordinarii dispensare possunt.

214. II. Expressa concessione iuris communis possunt Ordinarii *qualisbet poenas latae sententiae* remittere: a qua concessione excipiuntur:

1º) *Censurae Sedi Apostolicae reservatae.*

2º) *Poena inhabilitatis ad beneficia, officia, dignitates, munera in Ecclesia, vocem activam et passivam eorumve privationis, suspensionis perpetuae, infamiae iuris, privationis iuris patronatus et privilegii seu gratiae a Sede Apostolica concessae.* Poenae hic enumeratae mutant statum; quid esset v. gr. remittere poenam privationis beneficii iam incursum?

3º) *Casus deducti ad forum contentiosum* i. e. de quo iudex competens iam coepit agere per hoc quod imputatum citatione praevenit. Qui effectus deductionis ad forum iudiciale (in canone videtur contentiosum adhiberi pro iudiciali) nondum habetur durante praevia inquisitione processui criminali praemittenda, antequam imputatus citatus sit; nec etiam obtinet deductio ad forum iudiciale, si forte Ordinarius casum administrativa investigatione coeperit examinare ut aliquam poenam irroget per modum praecepti (20).

215. B. In casibus occultis (21). Ordinarii possunt remittere *omnes poenas vindicativas*, itemque *censuras non reservatas aut simpliciter reservatas Sedi Apostolicae*; non autem reservatas speciali aut specialissimo modo. Haec facultas respicit utrumque forum; potest delegari; exerceri potest in subditos, incolas, advenas et vagos et quidem valide etiam existens extra proprium territorium aut

(20) Cfr. *Roberti* n. 270; *D'Annibale* I, n. 242 et not. 48, n. 322 not. 11.

(21) Hic commemoranda est facultas, quam Conc. Tridentinum sess. XXIV. c. 6. de ref. facit Episcopis dispensandi pro foro conscientiae in irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus etsi Rom. Pontifici sint reservatae, excepta tamen ea, quae oritur ex homicidio voluntario et aliis ad forum contentiosum deductis, quam dispensationem potest Episcopus dare per se aut per delegatum. Insuper conceditur Episcopis quod possint « in quibuscumque ca-

in subditum e territorio absentem ad normam can. 201, § 3; etiam attento can. 2253, 3º, facultas non videtur posse exerceri etiam in peregrinos (22). Quae facultas dicenda videtur ordinaria ex recta interpretatione can. 197, § 1 (23).

216. Condicio exercitii harum facultatum, est ut exercitium sit liberum; et remissio, vi aut gravi metu extorta, ipso iure irrita est (can. 2238). At necesse non est ut Superior vel subditus in territorio inveniatur, agitur enim de actu iurisdictionis voluntariae (can. 201, § 3). Porro cum datur in foro externo tam praesenti quam absenti fieri potest; idem dicatur de remissione in foro interno non sacramentali.

sibus occultis etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in Diocesi sua per seipsos aut Vicarium ad id *specialiter* deputandum in foro conscientiae gratis absolvere; quae *absolutio* cum proprie non dicatur nisi de censuris, non est confundenda cum *dispensatione* ab aliis poenis vindicativis, quae in decreto Concilii non continetur (*D'Annibale*, I. c. n. 316; *Lega*, I. c. n. 112). Sed in const. « *Apostolicae Sedis* » exceptae fuerunt censurae speciali modo R. Pontifici reservatae. — *Wernz*, Ius Decret. t. II, n. 108; *Suárez*, De cens. disp. 41, sec. 2; *Boeningasen*, De irreg. fasc. I. p. 40 sq; *Gasparri*, De sacr. ord. n. 244; *D'Annibale*, qui n. 316. not. 15 inter *subditos* comprehendebat cives, incolas, advenas et vagos i. e. eos qui domicilium haberent in diocesi vel vagi esset, atque etiam peregrinos solum in foro *sacramentali*.

(22) Can. 2253 n. 3 facultas quoad peregrinos datur in censuris Ordinario reservatis: quae pro hoc singulari casu datur non videtur posse extendi ad poenas iuris communis, *maxime ad poenas vindicativas*. Porro Codex nullum generale principium sancit circa exercitium iurisdictionis in peregrinos; sed potius aliquando expressam facultatem concedit (v. gr. can. 1245, 1213, 1320), aliquando expresse restringit ad subditos aut actu commorantes (v. gr. can. 1043-1045); ergo videtur dicendum quod quando non exprimit ad peregrinos non extendit. Id maxime valet de poenis vindicativis. Tenebitur Ordinarius admittere ad actus legitimos ecclesiasticos subditum, quem ut peregrinum alius Ordinarius dispensavit ab illa poena? Tenebitur in eadem hypothesis non exigere multam pecuniariam? admittere ad sacramentalia? etc.; suspensum ad mensem tenebitur admittere ad exercitium ordinis vel officii? Cfr. *Roberti* I. c. n. 271; *Chelodi*, De personis, p. 145 n. 1.

(23) In quaestione quam excitavit *D'Annibale* n. 346, n. 10 num poena remitti in foro interno possit, dum casus deductus est ad forum iudiciale in eoque pendet cl. Auctor affirmativam tenet sententiam; sed videtur dicendum remissionem in foro interno in tali circumstantia dari non posse et si data fuerit nihil videtur prodesse; non enim videtur dari ab Ecclesia facultas quae redundet in praepudicium fori exterioris, atque maxima adest incongruentia iuridica, si, dum iudex iudicium instruit de vinculo poenali, veniat alius qui illud vinculum solvat et contemptui exponat iudicis potestatem et actuale ipsius exercitium.

217. Modus remissionis. Remissio concedi potest *absolute* vel sub *conditione* sive *suspensiva* sive *resolutiva*.

I. *Conditio suspensiva* de praesenti vel praeterito nullam habet difficultatem, fit dependens a facto vel circumstantia quae aut supponitur extitisse vel de praesenti exigitur (v. gr. si restituisti vel si proponis restitutionem); idem dicatur de condicione de futuro, quae est propria et stricta condicio v. gr. postquam restitueris. Deficiente condicione, ipsa remissio impertita corrui.

II. *Conditio resolutiva* illa est qua remissio fit ad *reincidentiam* i. e. quod eadem poena (eadem *specie* non numero) recurrat si determinata condicio verificatur; sc. tollitur poena cum certa obligatione implenda, quae si non fuerit impleta iterum inciditur in poenam. A *iure* imponitur v. gr. can. 2252, 2254; sed nihil prohibet, quominus etiam *ab homine* imponatur.

218. Ad cautelam datur remissio ad avertenda damna, quae ex dubia vel forte ignorata poena provenire posset. Sed in dubio iuris, poena non tenet, ideoque remissio seu absolutio non est necessaria (can. 15, 2219, § 1).

219. Ad effectum dari solebat absolutio ad impediendam nullitatem rescriptorum, quae in favorem personae censuratae concedebantur. At hodie valida sunt rescripta irretitis censura (can. 36 § 2), nisi lata sit sententia declaratoria (can. 2265, 2275 n. 3, 2283) aut agatur de excommunicato vitando (can. 2343. § 1, n. 1). Unde rarior usus huius remissionis partialis seu ad effectum. Cfr. quoque Const. «*Sapienti consilio*», Normae peculiar. c. 3, a. l. n. 6.

220. Forma remissionis. «*Licet poena etiam oretenus remitti possit, si tamen scripto inflicta fuerit, expedit ut etiam eius remissio scriptis concedatur*» (can. 2239, § 2). De absolute censurae cfr. can. 2250, § 3.

SECTIO II

DE POENIS IN SPECIE

CAPUT XXI

Generalia de poenis medicinalibus seu censuris.

(Cfr. Lib. V. tit. 39. de sent. excom.)

221. Fontes: Decret. Grat. C. IX. q. 1; C. XI, q. 2, 3; C. XXIV, q. 1, 2, 3; c. 7, i. f. D. 2, de Consecr.; c. 2, D. 55. — Compl. I, lib. V tit. 35, de sent. excomm. et absolutionis; Cpl. II, lib. V, tit. 18, de sent. exc. et absolutionis; Cpl. III, lib. V, tit. 21, de sent. excom.; Cpl. IV, lib. V, tit. 15, de sent. excom.; Cpl. V, lib. V, tit. 18, de sent. excom. — Decretal. Greg. IX, l. c.; Decret. Bonif. VIII, lib. V, tit. 11, de sent. exc., susp. et interd.; Const. Clem. V, lib. V, tit. 10, eod.; Extrg. Ioann. XXII, tit. 13, eod.; Extrg. com. lib. V, tit. 10, de sent. exc. — Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 1, de ref.; Sess. XXII, cap. 11, de ref.; Sess. XXIV, cap. 9, de ref.; Sess. XXV, cap. 12, 18, de reg. et cap. 19, de ref. — Decretal. Clem. P. VIII, ed. Sentis, p. 177 sq. 183 sq. 191 sq. — Collect. S. C. de Prop. F. n. 2171 sq.; Collect. Const. S. Sed. n. 154, 514 sq. 1136, 1020; Act. S. Sed. v. Excomm., Suspendio.

Scriptores: Commentator. iur. Decretal. in h. t. — *S. Raymundus*, Summa lib. III, tit. 33, de sententiis praecepti definit. et excom. — *Devoti*, Inst. can. lib. IV, tit. 18, 19, 20; *Vering*, Inst. iur. eccl. § 187 sq. — *Suárez*, De censuris; *Alterius*, De censuris ecclesiast.; *Kober*, Der Kirchenbann, Die suspension; *Strem-ler*, l. c. p. 171 sq.; *Ballerini-Palmieri*, Opus mor. t. VII, tract. 11; *Bucceroni*, Commentarius secundus de censuris, Commentar. de Const. «*Apost. Sedis*», Comment. in Const. Benedicti XIV. «*Sacramentum poenitentiae*». — *Hausmann*, Geschichte d. paepstl. Reservat-faelle; *Hollweck*, l. c. § 22 sq.; *Ojetti*, Synopsis, v. censura; *Ortolan*, in Dictionn. d. Théol. cath. t. II. col. 2113 sq.; *Hilarius a Sexten*, Tract. de censuris eccl.; *Piat. Mont.*, Prael. iur. reg. l. II, p. 582 sq. 609 sq. (1). — *Cappello* De censuris; *Roberti*, De delictis et poenis II, n. 228 sq.; *Amor Ruibal*, Derecho penal.

Codex de poenis in specie acturus exorditur a poenis medicinalibus quae proprio vocabulo dicuntur censurae.

(1) Ex scriptoribus antiquioribus consuli quoque possunt: *Felicianus*, *Ugo-linus*, *Sagrus*, *Avila*, *Gibalimus*. Alii auctores recentiores de hac re sunt: *Avan-*

222. I. Nomen, notio, divisio, origo censurarum ecclesiasticarum.

Censura apud Romanos dicebatur ipsum munus censoris (2), qui census sive descriptionem de personis et bonis senatorum, equitum, civium plebeiorum in tabulas censorias retulit et delicta contra honestatem publicam patrata nota censoria perstrinxit. Postea in legibus romanis verbum censuræ obtinuit generalem significationem poenæ (3). Quæ generalis significatio censuræ paulatim etiam in foro ecclesiastico est recepta, et idcirco primis Ecclesiæ sæculis censura denotat poenas ecclesiasticas magna varietate distinctas velut paenitentias publicas, excommunicationem, suspensionem, depositionem (4).

At iam ante collectionem authenticam Gregorii IX, verbum censuræ in iure canonico factum est artis vocabulum, quod sensu stricto et specifico denotabat certum determinatumque genus poenarum ecclesiasticarum in complures species divisum. Qua de re Innocentius III, cum quaereretur, quid per censuram ecclesiasticam deberet intelligi, si huiusmodi clausulam in suis litteris apponeret, respondit, per eam non solum interdicti, sed etiam suspensionis et excommunicationis sententiam intelligi, Cfr. cap. 20, X. de verb. sign. V. 40 (a. 1198-1205). Qua declaratione authentica partitio et ambitus censuræ ecclesiasticæ insinuantur, notio vero sive definitio non exhibetur.

223. Notio. Censura ecclesiastica in genere definiri potest: *Poenâ spiritualis et medicinalis, qua homo baptizatus et delinquens et contumax per ecclesiasticum magistratum competentem aliquorum bonorum spiritualium usu legitime privatur* (5). In idem recidit notio

zini, Bertapelle, D'Annibale sive commentator Reatinus, Pennacchi, Heiner, atque generatim moderni scriptores de theologia morali v. gr. Lehmkuhl, Genicot, Noldin, Gury-Ferreres, Tanquerey, Pighi.

(2) Forcellini, Lexicon lat. v. Censura; Walter, Roemische Rechtsgeschichte §§ 55, 63, 109, 137, 204, 205.

(3) L. 1, Cod. Theod. de off. rect. prov. I, 7; L. 5, Cod. Theod. ne s. bapt. iter. XVI, 6.

(4) Morinus, De administr. sacram. poenit. VI, 25.

(5) Schmalzgr., h. t. n. 1 sq.; Suárez, l. c. disp. 1, sect. 1, n. 1 sq.; Hilarius a Sexten, l. c. p. 3.

Codicis, in qua magis expresse indicatur finis proximus et duratio «*donec, a contumacia recedens, absolvatur*» (can. 2241).

Quæ definitio licet in nucleo universam doctrinam de censuris in genere contineat, paucis solummodo animadversionibus est explicanda, ne ultra limites legitimos excurrat commentatio praesumatque materiam numeris sequentibus reservatam.

Censura igitur in primis vera est *poena*, cum sit saltem malum privationis propter delictum a competente auctoritate inflictum; *spiritualis* vero dicitur non solum ob potestatem spiritualem a qua sola (6) infligi potest, et ratione finis spiritualis, ad quem ordinatur, sed praesertim intuitu bonorum spiritualium, in quorum *privazione* principaliter consistit. Quamvis enim censura interdum etiam privet bonis temporalibus veluti commercio civili in excommunicatione, vel redditibus beneficii in suspensione, tamen istum effectum solummodo secundo et indirecte producit (7). At bona illa spiritualia, quibus censura privat, non sunt bona supernaturalia mere interna veluti gratia santificans, fides, spes, caritas, nam illa dona supernaturalia virtutesque infusae iurisdictioni ecclesiasticæ non subiiciuntur. Quare privatio referri tantum potest ad illa bona mixta, quæ consistunt in actionibus et caerimoniis exterioribus interiorem et spiritualem fructum ex sua institutione operantibus velut sacramenta, sacrificium, officia divina, suffragia Ecclesiæ (8). Ceteroquin censura, quia spiritualis poena est, in sola privatione consistit neque ullo modo consistere potest in inflictione rei positivæ, quæ poenæ rationem habeat (9).

Medicinalis autem poena appellatur censura, quod principaliter infligitur ad emendationem delinquentis. Hinc ex natura rei censura excluditur, si agitur de delicto mere praeterito neque tractum successivum in tempus futurum habente, atque vicissim censura est auferenda, si emendatio delinquentis sit secuta neque in perpetuum ferri potest. At inde non efficitur, neminem censura esse plectendum, nisi qui reputetur corrigendus, nam etiamsi finis principalis censuræ sit emendatio delinquentis; tamen Ecclesia per eam etiam intendit punire sive *ulcisci* delictum aliisque *timorem incutere*; ergo

(6) Cap. 10, X, de const. I, 2.

(7) Schmalzgr., l. c. n. 2, 4; Suárez, l. c. n. 5, 6.

(8) Schmalzgr., h. t. n. 2.

(9) Suárez, l. c. n. 5.

cessante fine principali emendationis non cessant alii fines secundarii, ob quos censura legitime fertur (10).

Quae ratio medicinae non omnibus tribus censuri ita essentialis est, ut saltem *suspensio* et *interdictum* servatis servandis per modum quoque poenae vindicativae ferri non possint; sola excommunicatio numquam ut poena vindicativa potest infligi (11) (can. 2225, § 2).

Cum notione poenae *medicinalis* connectitur quod censura sit ordinata ad frangendam *contumaciam* et in solos *contumaces* feratur. Quae contumacia consistit in contemptu censurae sive formali sive saltem interpretativo, qui in eo habetur, qui sciens aliquid per legem vel mandatum superioris sub censura prohiberi, legem tamen vel mandatum transgreditur, talis enim iam censetur contemnere auctoritatem praecipientis. At talis contumacia non debet necessario praecedere actum quo censura fertur, ut patet in censuris latae sententiae, sed semper est *condicio ad incurrendam* censuram. Ideo enim superior censuram comminatur, ut per eam deterreat subditos ab inobedientia, ut sic censuram non incurrat, nisi qui eam parvipendens vult esse inobediens; quam comminationem potest per antecedentem legem vel per particulare praeceptum facere (12).

Reliquis definitionis verbis et subiectum activum et passivum, condiciones et forma canonica, immo etiam effectus censurae satis enuntiantur. Cfr. *Bucceroni*, De censuris n. 1. sq.

224. Divisio. Censura ecclesiastica dividitur: I. *In excommunicationem, suspensionem, interdictum* (13). Praeter tres illas species nulla alia species poenae ecclesiasticae sub genere censurae continetur; nam id evidenter colligitur ex cap. 20, X. de verb. sign. V. 40 et praeterea definitio censurae neque cessationi a divinis neque privationi vel depositioni neque degradationi neque irregularitati ex delicto convenit (14).

(10) *Schmalzgr.*, h. t. n. 5; *Suárez*, l. c. n. 7, 8; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 18, ubi per accuratorem explicationem S. Alphonsi et Salamanticenses emendat. Paulo aliter *Lega* l. c. t. III, n. 50.

(11) *Stremler*, l. c. p. 249 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 66 sq.; cap. 1 de sent. excom. V, 11 in Sext.

(12) *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 17; *Reiffenst.* h. t. n. 14; *D' Annibale*, Summ. I, 326.

(13) Cap. 20, X, de verbor. signif. V, 40; *Lega*, l. c. n. 80.

(14) *Suárez*, l. c. sect. 3 n. 2 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 6; *Stremler*, I, c. p. 174 sq.

II. *In validam, iustam, iniustam.* Valida et iusta vocatur censura, quae nullo laborat defectu; valida et iniusta appellatur, quae vitiatu defectu mere accidentali; tandem invalida et iniusta est, quae substantialem habet defectum (15).

III. In censuram *a iure* et in censuram *ab homine* inflictam. Illa fertur *per modum* verae legis sive universalis sive particularis aut per modum *praecepti generalis* carentis perpetuitate, quae est propria legis; altera infligitur a iudice vel Praelato ecclesiastico *per modum praecepti* particularis vel sententiae iudicialis (16).

(15) *Schmalzgr.* h. t. n. 8; *Kober*, D. Kirchenbann p. 202 sq.; *Stremler*, l. c. p. 211 sq.; *Suárez*, l. c. disp. IV sect. 7, n. 1 sq. Cfr. supra n. 158 discussa de poenis in genere.

Quare a *Kober* D. Kirchenbann p. 202, D. Suspension p. 76, censura *iniusta* sed *valida* minus accurate videtur explicari, si dicitur quod sit ea censura, in qua aut in procedura defectus accidentalis intercessit aut causa sufficiens defuit licet procedura omni caruerit defectu. Qua explicatione confunditur sententia simpliciter *vere valida* cum sententia *formaliter tantum valida* obiective vero irrita; nam sententia data in procedura, quae omni caruit defectu, licet *formaliter* seu ratione formae valida, variis modis potest esse obiective invalida. Nam invaliditas censurae potest provenire: 1. ex defectu iurisdictionis in censurante, v. gr. censura inflicta post interpositam appellationem (cfr. c. 55, X, de appellat. II, 28); 2. ex defectu substantiali in procedura, v. gr. si omissa est citatio; 3. ex defectu causae sufficientis; quae vel non existit, vel non est legitime probata. *Stremler* l. c. p. 212 sq.; *Lega*, l. c. n. 87; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 29. — Porro cum de censura *iniusta* et *valida* agitur, intelligitur sententia *in se vere valida*, et supponitur sententiam censurae in se validam et censuratum vere ligantem posse esse vel *iustam*, quae etiam in appellatione sit confirmanda vel *iniustam*, quae per appellationem possit corrigi aut cassari. — Ergo *iusta* seu *legitima* generatim est illa censura, quae conformis est *legibus*: quae leges vel referuntur ad ea, quae *substantialia* sunt in sententia censurae, et earum omissio vel violatio reddit censuram *irritam* seu *invalidam*; vel referuntur ad *accidentalia*, quibus omissis vel violatis censura redidit *illicita*; atque haec censura illicite lata, est quae sensu stricto appellatur *iniusta* (i. e. *directe* contra iustitiam legalem) v. gr. si absque sufficienti motivo trinae monitioni una peremptoria est substituta, c. 48, X, h. t. Cfr. *Suarez*, *Lega* I, supr. cit.; *Pirhing*, h. t. n. 40 sq. Cfr. supra disputata n. 157 de divisione applicata omnibus poenis.

(16) Aliter *Suárez*, l. c. disp. III, sect. I, n. 1, 2, sect. IV, n. 9 sq. cum pluribus antiquioribus et recentioribus.

Cum generatim auctores conveniant in vocandis *ab homine* illis censuris, quae per sententiam iudicalem aut per praeceptum particulare feruntur, non eodem modo conveniunt, utrum sit dicenda *ab homine* an *a iure* illa censura, quae *per sententiam generalem*, ut dicitur, i. e. per generale praeceptum irrogatur. — Qua in re plures AA. accurate ipsam distinctionem non proponunt: ita v. gr. *Schmalzgr.* h. t. n. 9 dicit *a iure* illam censuram, quae fertur *per canones, constitutiones, sta-*

IV. In censuram *latae sententiae* et in censuram *ferendae sententiae*. Prior censura incurritur *ipso facto* patrati criminis, absque

tuta; ab homine vero quae per modum *sententiae* vel *mandati* (particularis tantum an etiam generalis?); simili modo loquitur *Reiffenst.* h. t. n. 46. — Alii illam distinctionem faciunt, et dicunt ab homine censuram latam per mandatum seu praeceptum generale sed *temporaneum* (quod scilicet legis rationem non habeat); it v. gr. *Bonacina*, De cens. disp. I, q. 1, punct. 1 n. 5; *Lehmkuhl*, II, n. 863 (2, 4); *Gury-Ferreres* II, n. 933; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 21, 22 (ubi tamen dubitanter loquitur); *Stremler*, l. c. p. 175 sq.; *Noldin*, l. c. n. 9 qui tamen postquam censuras *ab homine* dicit ferri per sententiam *iudicalem*, minus accurate eas subdividit in illas, quae feruntur *per modum praecepti vel sententiae particularis*, et in illas, quae feruntur *per modum statuti sive sententiae generalis*; nam *statutum* non est sententia *iudicialis*.

Clarius et accuratius distinctionem facit et controversiam proponit *D'Annibale* I, n. 301, qui loquens de poenis in genere, poenas *a iure* dicit esse illas « quae feruntur ad instar legis, i. e. omnibus et perpetuo », *ab homine* vero « quae ad instar praecepti, i. e. singulis ». Deinde addit: « Inter has tenent, quae omnibus quidem, sed pro casu aliquo speciali irrogatur », de quibus dicit non convenire inter doctores, utrum sint habendae *a iure quia tenent omnes*, an *ab homine, quia non sunt perpetuae*. Deinde in not. 8 allegat *Suarezium* (De cens. disp. VII, sec. 2, n. 20, disp. XIX, sec. 2, n. 6) habentem *ut verius* quod sint ab homine, *ut aequius et usu receptum* quod sint a iure. Cfr. quoque *Ortolan* in Dictionn. d. Théol. cath. t. II, col. 2117 sq. ubi communior doctrina perspicue proponitur.

Qua ratione proposita controversia, facile potest fieri quaestio de nomine; at discrimina, quae assignantur inter utramque censurae speciem, non caret difficultate in opinione illorum, qui sequuntur sententiam, quam *Suarez* loc. cit. dixit veriore et quam reapse et ipse tenet disp. III, sec. 1, n. 2. Nam censurae a iure dicuntur auctore mortuo vel remoto ab officio perseverare et ferri dumtaxat in delicta futura; censurae vero ab homine dicuntur cessare auctore mortuo vel ab officio remoto et ferri vel pro delictis futuris vel pro praeteritis ad obtinendam emendationem vel satisfactionem. At quod praeceptum prout contradistinguitur a lege cesset cum auctore, etiam quando datur ex potestate iurisdictionis, ex natura rei non videtur posse deduci (cfr. *Wernz*, Ius Decret. tom. I, n. 135, et not. 225); quod vero possit aut non possit referri ad tempus praeteritum est discrimen ambiguum et dubium; nam de ratione censurae est, cum propter contumaciam feratur, ut aliqua ratione respiciat obligationem in futurum, ad quam implendam superior competens obligat per censuram ab eo incurrendam, qui contumaciter obligationi non satisfacit; quo sensu etiam censurae ab homine respiciunt actum futurum, quamvis occasione facti praeteriti (non tamen sine praevia monitione) infligantur. Hinc nihil mirum quod *Hollweck* l. c. § 23 et not. 5 in discrimine assignato non insistit; ibi tamen cum *Altieri* dubium movet non fundatum de potestate Episcopi dandi praeceptum generale *censura munitum*, quae a transgressoribus *ipso facto* incurritur; nam c. 21, X, V, 39 et c. 5, in Sext. V, 11 optime inter se cohaerent.

sententia condemnatoria vel ministerio hominis, immediate vi legis vel praecepti, immo neque sententia declaratoria criminis requiritur ut in foro interno incuratur censura (17); altera in lege vel praecepto (18) per modum comminationis iam est statuta, sed ut actu incuratur, omnino requiritur sententia iudicis ecclesiastici, vel novus actus superioris, qui censuram statutam revera applicet et infligat delinquenti. Qua forma censura inflictata sit, ex verbis legis vel praecepti facile colligi potest si accurata vocabula scientiae canonici-

Quamvis autem nomine iuris per se et magis proprie intelligatur ius stabile, constitutum per legem sive universalem sive saltem particularem, quo sensu censurae latae per praeceptum temporaneum non possunt dici stricte a iure (*Suárez* l. c. disp. VII, sec. II, n. 22); tamen quoad modum ligandi censuratum, ut ibid. n. 23 idem *Suárez* concedit, non conveniunt cum censuris per sententiam iudicalem ab homine latis, sed magis assimilantur censuris a iure. Porro hic potius videtur quaerenda *ratio* distinctionis, in modo ligandi censuratum; iam vero communi doctorum consensu censurae *ab homine* sunt *reservatae* quoad absolutionem ei, qui illas tulit, censurae a iure non sunt reservatae, nisi reservatio expresse facta fuerit. Atqui vel ipse *Suárez* concedit *probabilius* et *usu receptum* esse ut censurae per praeceptum generale latae non sint reservatae, nisi reservatio expresse sit facta, et in hoc habet consentientem communiorem doctorum sententiam; ergo tales censurae potius sunt recensendae inter censuras *a iure*, non inter censuras ab homine. Quod autem iste character conveniat censuris per praeceptum generale latis, clare arguitur ex c. *nuper* 29 X, h. t., ubi fit distinctio inter *sententiam iuris* et *sententiam iudicis*, sed ut l. c. admittit *Suárez* praeceptum generale pro futuris culpis non potest proprie dici *sententia iudicis*. Quae ratio, ut optime notat *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 137, est *lucidior* et *validior* omnium, cum tamen afferatur ab eo, qui in rigore iuris aliter sentit. Ergo potius dicendum est cum *Lega* l. c. n. 92, 123. *Navarro*, Summa c. 27, n. 44, et *Covarruvias* in c. *Alma* p. I, § 12, n. 4 *huiusmodi censuras per praeceptum generale latis esse a iure*. Hinc scite animadvertit *Lega* l. c. n. 109, poenas a iure sed ferendae sententiae, *post* sententiam condemnatoriam *fieri ab homine*, seu considerari tamquam ab homine, quia videlicet in hac divisione praesertim attendendus est modus ligandi atque vinculum inductum auferendi; porro censura contenta in iure tamquam ferendae sententiae postquam per iudicem inflictata est, ipsi aut eius superiori quoad absolutionem est reservata. In hunc sensum res decisa est in can. 2217 § 1, n. 3. Cfr. supra n. 157.

(17) Qua in re differt censura ab aliis poenis privativis (cfr. supra n. 63) semper tamen manet quod *in foro externo* (nisi res sit *notoria*) nemo est reputandus censura innodatus, absque sententia criminis declaratoria. *Benedictus XIV*, De syn. dioec. L. X, c. 1, n. 5; *Suárez* l. c. disp. III, sec. 8, n. 3; *Hilarius a Sexten* l. c. p. 8.

(18) Instr. S. C. Ep. et Reg. 11, Iun. 1880, art. 7; *Droste* l. c. p. 101 sq.; *Stremler*, l. c. p. 176 sq.

caae fuerunt adhibita v. g. excommunicabitur, suspendetur vel ipso facto vel ipso iure sit excommunicatus, suspensus (19).

V. In censuras *reservatas* et in *non reservatas* scl. ratione absolutionis. Ex censuris *a iure* reservatis, aliae sunt reservatae *Ordinario*, aliae *Apostolicae Sedi*; ex his vel sunt reservatae *simpliciter*, vel *speciali modo* aut *specialissimo modo* pro maiori difficultate obtinendi facultatem absolvendi (can. 2245).

VI. Cum poena inflictata in perpetuum aut ad determinatum tempus non possit esse censura, illico sequitur, censuram ad perpetuum vel certum tempus inflictam non habere rationem censurae, sed poenae vindicativae (20). Hinc distinguuntur censurae, quae unice per modum censurae proprie dictae ad tempus *indeterminatum* infliguntur, donec delinquens satisfecerit vel sese emendaverit v. g. excommunicatio; et censurae scl. suspensio et interdictum, quae etiam per modum poenae vindicativae sive in perpetuum sive ad tempus determinatum feruntur (can. 2255 § 2).

225. II. Potestas ferendi censuras Ecclesiae ex iure divino competere iisdem argumentis demonstratur quibus potestas generalis ferendi et infligendi poenas. Cfr. supra n. 161 sq. A qua generali potestate censurae non sunt exclusae, cum ipsae ad conveniens Ecclesiae regimen sint necessariae vel saltem utiles. In omni enim societate bene constituta requiritur potestas excludendi noxios socios, removendi a suis officiis malos magistratus, interdicendi certas actiones; ergo cum Ecclesia per modum societatis sit a Christo instituta, eodem iure polleat necesse est (21). Ex verbis, quibus Apostolis amplissima promissa est potestas atque ex ipsa praxi S. Pauli (22)

(19) *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 23 sq.; *Suárez*, l. c. disp. III, sect. 3; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 7, 8. Cfr. quoque *Suárez* l. c. disp. III, sec. 14 de denuntiatione censurae.

(20) Quare censurae, quae imponuntur in perpetuum aut determinatum tempus forte melius dicerentur *inhabilitationes*. Et revera in decreto S. C. Inq. 5 Aug. 1745, occurrunt haec verba: « *perpetua inhabilitatio ad sacrificii celebrationem* » quae in poenam decernitur in abutentes sacrificio missae ad sortilegia. Paulo aliter ex inefficaci ratione *Laurentius*, Inst. iur. eccl. n. 380.

(21) *Suárez*, l. c. disp. I, sect. 2; disp. II, sect. 1; *Schmalzgr.*, h. t. n. 12; *Stremler*, l. c. p. 179 sq.

(22) Matth. VIII, 15; I Corinth. V, 1 sq.; quoque II Corinth. X, 4-6, 9-11; XIII, 1 sq., 10; I Tim. I, 20; Acta Apost. VIII, 20-24; *Ortolan*, l. c. tom. II, col. 2123 sq.

satis patet, ex mente Apostolorum ab ambitu potestatis apostolicae ius infligendi censuras non fuisse exclusum. Accedunt praxis, traditio definitioque Ecclesiae (23).

At ex potestate illa divinitus collata minime sequitur singularem quoque censurarum originem, prout illae sunt in usu Ecclesiae, ex iure divino esse repetendam; immo communior sententia doctorum tenet, institutionem censurarum iure humano niti neque ullam existere censuram iure divino institutam vel certo crimini adnexam. Ipsa quoque obligatio servandi censuras, etsi remote ex iure divino et naturali ducat originem, tamen proxime et immediate in iure humano fundatur (24).

II. Subiectum Potestatis ferendi censuras

226. A. Potestas ordinaria ferendi censuras iis Praelatis competit, quibus potestas coactiva ad normam eorum quae supra n. 165-89 sunt tradita (25). Inter Ordinarios ab hac potestate excludendus est Vicarius Generalis, nisi habeat speciale Episcopi mandatum (can. 2220).

B. Potestas delegata (26) infligendi censuras est penes omnes illos, qui hanc potestatem legitime acceperunt a Praelatis ordinaria potestate munitis (27). Quae delegatio, ut sit legitima debet fieri ei, qui iurisdictionis accipiendae capax est. Quare delegatus imprimis usum rationis habeat necesse est, secus acceptatio delegationis, quae ad valorem requiritur, omnino fieri non potest. Porro baptizatus sit oportet; nam qui intra Ecclesiam nondum est constitutus, gravissima ipsius munera exercere non potest. Praeterea saltem ex iure humano requiritur, ut sit masculus; etenim iure quidem divino feminae accipiendae potestatis iurisdictionis delegatae absolute incapaces non sunt; sed ex sola plenitudine potestatis

(23) Artic. 19 Ioan. Hus damnatus a Conc. Constantiensi et Martino V (a. 1418).

(24) *Suárez*, l. c. disp. 2 sect. 1; *Stremler*, l. c. p. 179 sq.

(25) *Suárez*, l. c. disp. 2 sect. 2; *Schmalzgr.* h. t. n. 13 sq.; *Stremler*, l. c. p. 179 sq.; *Ojetti*, l. c.; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 9 sq.

(26) *Suárez*, l. c. disp. II, sect. 3; *Schmalzgr.*, h. t. n. 14 sq.

(27) Cap. 7 de off. ordin. I, 16 in Sext.

R. Pontificis huiusmodi facultas infligendi censuras feminis v. g. Abbatissis delegari posset (28).

Deinde delegatus saltem primam tonsuram habere debet, quoniam laicus iurisdictionis ecclesiasticae acquirendae incapax est, nisi interveniat specialis dispensatio Romani Pontificis. Hac in re laici aequiparantur clerici minores coniugati, qui etiamsi gestent habitum et tonsuram clericalem atque privilegio fori et canonis fruuntur, tamen ecclesiasticae iurisdictionis sine privilegio vel dispensatione Romani Pontificis incapaces sunt (29).

227. III. Personae censuris ecclesiasticis subiectae.

Subiecta passiva (30) censurarum ecclesiasticarum sunt soli fideles baptizati, rationis compotes dolique capaces, viatores sive clerici sive laici, dummodo iurisdictioni Praelati ecclesiastici censuram ferentis vere sint subditi. Praeterea subiectum censurae debet esse certum et saltem condionate determinatum. Id quod fit etiam in censuris, quae ipso iure incurruntur. Sententia vero censurae in personam vel personas vage determinatas v. g. excommunico unum ex tribus auctoribus huius criminis est nulla et irrita. Cfr. *Suárez*, l. c. disp. V. sect. 2. — At censura in personam determinatam sed *ignotam* ferri profecto potest v. gr. in non restituentem infra mensem ostensorium furto ablatum, in auctorem libri anonymi nisi haec vel illa praestet. De facto omnes censurae latae sententiae in lege vel generali praecepto latae, respiciunt violatorem legis vel praecepti determinatum sed antecedenter non notum. Denique si agitur de excommunicatione, non de suspensione vel interdicto, subiectum excommunicationis persona physica sive una sive complures, non persona moralis sit (Cfr. can. 2255, § 2, iunct. cap. 5, 17, h. t. in Sext.; *Schmalzgr.* h. t. p. 44 sq.; *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 76 sq.

(28) Cfr. c. *Dilecta* 12, X de maior. et obed. I, 33, ubi sermo est de clericis iurisdictioni Abbatissae subiectis. Sed potestas ferendi censuras non est potestas ordinis, sed iurisdictionis. *Suárez*, l. c. disp. II, sect. 3, n. 6, 7; *Schmalzgr.* h. t. n. 16; S. C. C. in caus. Tullen. 28 Iul. 1736; *Stremler*, l. c. p. 181 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 31.

(29) *Suárez*, l. c. n. 8 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 14; cap. unic. de cleric. coniug. III, 2, in Sext.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. ubi recte monet ex *Lehmkuhl*, II, 871, incapacitatem laici esse ex solo iure humano concludenter inferri ex eo quod simplici tonsurato, qui clericus est iure tantum ecclesiastico, iurdictio conferri possit.

(30) *Suárez* l. c. disp. V, sect. 1 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 35 sq.; *Stremler*, l. c. p. 184 sq.; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 14 sq.

228. Quare generatim *incapaces* sunt censurae ecclesiasticae: — I. Creaturae irrationales. Quodsi Ecclesia in creaturas irrationales aliquando anathema dixit, id non ad punitionem culpae factum est, sed ad manifestandam execrationem et detestationem. — II. Paganus, hebraei omnesque homines non baptizati, etiam catechumeni (31), minime vero apostatae, haeretici, schismatici baptizati, qui recepto baptismo a fide vel unitate catholica defecerunt (32). — Infantes (33), furiosi, amentes alique usu rationis omnino carentes; sicut enim delicti et contumaciae sunt incapaces, ita etiam correctionis vel emendationis; ergo censura neque ut poena neque ut medicina habet finem rationabilem. — IV. Mortui, cum corpus censura ligari non possit, anima vero separata certe Ecclesiae visibili non amplius sit subiecta et si in caelo vel purgatorio existat, ab omni culpa iam sit immunis, in inferno autem omnis spes correctionis sit exclusa. Hinc si Ecclesia haereticos etiam post mortem anathemate ferire iussit (34) (cfr. cap. 5, X. de haeret. V, 7) aut excommunicatis, qui cum signis paenitentiae ex hac vita migrarunt beneficium absolutionis indulsit (35), huiusmodi sententia in priori casu fuit mere declaratoria, ut fideles salutari timore percuterentur atque a sacra sepultura demortui haeretici precibusque publicis abstinerent; altera vero absolutio excommunicati praecise contrarium

(31) I Corinth. V, 12; Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 2 de sacr. paenitent. Merito *Cappello*, l. c. n. 15 reiicit opinionem *Caviglioli* et *Cerato* quod dubie baptizati teneantur censuris.

(32) Cap. 3 § Item X, de bapt. III, 42.

(33) *Impuberes* cum usum habeant rationis et delicti sint capaces, per se et ex natura rei directe censuris ecclesiasticis puniri possent. At de facto censuras latae sententiae generaliter statutas incurrunt tantum in casibus a iure specialim expressis; id quod iure praecedenti factum est contra violatores clausurae monialium (cfr. Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 5 de reg.) etiam in nova Const. Pii IX « *Apostolicae Sedis* »; alter vero casus in antiquo iure Decretalium expressus de impuberibus clericos graviter percutientibus (cfr. cap. 1, 60, X, h. t.), in cit. Const. Pii IX, non amplius expresse recensetur; censurae vero *ferendae sententiae* impuberibus inflictas, licet nullo claro iuris textu sint irritas, tamen secundum iustum et ordinatum modum in praxi saltem ordinarie convenienter ferri non possunt. Cfr. cap. 3 de indic. II, 1 in Sext.; *Suárez*, l. c. disp. V, sect. 1; *Kober*, l. c. p. 97 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 42; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 17 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 84 sq. Quae doctrina iuris praecedentis confirmationem accepit in can. 2230, cuius quoad duplicem speciem poenarum nunc standum est. Cfr. supra cap. XIX.

(34) Cfr. c. 6. C. XXIV, q. 2.

(35) Cap. 28, X, h. t.; *Kober*, D. Kirchenbann p. 90 sq. ubi quaestionem historicam tractat.

habuit scopum; nequaquam enim ipsi mortuo data, sed vivis, quatenus soluti fuerunt a prohibitione sepeliendi cadaver defuncti excommunicati in loco sacro. — V. Cum censura ligari non possint, qui iurisdictioni ordinariae vel delegatae Praelati censuram infligentis non subiiciuntur, imprimis nullus Superior ecclesiasticus incurrit censuram a se latam, quia nemo est sibi ipsi subditus. Porro Romanus Pontifex, quamdiu est Romanus Pontifex, censuris ecclesiasticis non ligatur; superiorem enim in his terris non habet (36). Item Episcopi et alii superiores Praelati ex speciali privilegio (37) nullius constitutionis occasione, sententiae sive mandati censuram suspensionis vel interdicti ipso iure incurrunt, nisi ipsorum expressa mentio fiat, secus dicendum de censura excommunicationis, quoniam in laudato privilegio excommunicationis non fit mentio neque in rebus positivis argumentatio a pari arbitrarie potest applicari (38). Deinde generali consuetudine videtur esse receptum, ut reges alii-que supremi principes ipsis aequiparati (sovrani) a solo Romano Pontifice, non a suis Episcopis censuris ecclesiasticis puniri valeant (39). Ceteroquin Ecclesia in censuris infligendis inter subditos suos non admittit acceptationem personarum, atque viros et feminas, divites et pauperes, homines privatos et magistratus, v. g. flamines, duumviros, immo etiam reges et imperatores iustitia exigente ob publica quoque delicta sive ratione et vi officii commissa censuris coercere potest et de facto coercuit (40).

Immo proprii subditi extra territorium sui Praelati delinquentes contra *legem* generalem et territorialem *suae dioecesis* etiam censura munitam non incurrunt illam censuram; nam extra territorium ius dicenti non paretur impune (41). Quae lex non eximit a censu-

(36) Suárez, l. c. n. 17; Kober, l. c. p. 118 sq.; Hilarius a Sexten, l. c. p. 15.

(37) Cap. 4 h. t. in Sext.

(38) Schmalzgr., h. t. n. 40.

(39) Stremmer, l. c. p. 187; Hilarius a Sexten, l. c. p. 16, qui addit *reginas* et propter similem rationem ex hodierna consuetudine et praxi possent addi, qui iuxta diversas regiminis formas supremum tenent in populis principatum eorumque filii. At nequaquam ipsi sunt per se exempti a censuris generali modo in iure Pontificio latis; cfr. quoque Ortolan l. c. col. 2127.

(40) Kober, l. c. p. 100 sq.; Hinschius, l. c. tom. IV, p. 757, tom. V, p. 1 sq. 300 sq. qui dubia non fundata movet de censura excommunicationis in Theodosium lata.

(41) Cap. 2 de const. I, 2 in Sext.; Suárez, l. c. disp. V, sect. 4, n. 4 sq., sect. 5, n. 1 sq.; Schmalzgr., l. c. n. 49 sq.; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 69 sq.

ra, si subditus physice quidem existat extra territorium, at revera delictum patravit vel patrare censeatur intra dioecesim v. g. per illegitimam absentiam a beneficio residentiali vel synodo dioecesana. At episcopus in sua diocesi existens per *sententiam* iudicalem vel per *praeceptum speciale* censura munitum, subditum extra territorium delinquentem censura ligare potest; nam praeceptum speciale vel sententia iudicis directe afficit personam; item Episcopus extra territorium existens in subditum censuram ferre potest per praeceptum peculiare, cum in hoc non exercent potestatem iudicalem (can. 201) (42). Regulares vero, in quos ipsorum Praelati magis personalem quam territorialem exercent potestatem, quocumque in loco existant, censuris suorum superiorum etiam in statutis generalibus latis ligantur, nisi ipsi quoque Praelati regulares iurisdictionem tantum habeant loco circumscriptam (43).

Regulares exempti (44) a iurisdictione Episcoporum censuris ab Episcopis ligari nequeunt, nisi committant delicta, ob quae Episco-

Cfr. Conc. prov. Westmonast. I, a. 1852, in Collect. Lac. t. IV, p. 939, quod suspensionem tulit in tota Anglia vigentem et respectivo Ordinario reservatam. Cfr. de legibus, quae ordini publico consulunt (can. 14, § 1, 2^o) *Cappello*, l. c. n. 19.

(42) Si quis *postquam mutavit domicilium* ponit actum sub censura prohibitum a Superiore domicilii relictis certe illam censuram non incurrit, sive illa adnexa sit legi particulari sive praecepto generali aut particulari, quo, sine ordine ad praeteritum factum, pure prohibetur aliquid in futurum (*Suárez* l. c. disp. III, sect. 5, n. 1-4); nam per mutationem domicilii desiit esse subditus prioris Praelati etiam quoad praecepta personalia. — Idem dicatur de delicto iudicato in loco domicilii relictis, et consummato in novo domicilio, ubi poena non adest (*Cappello*, n. 207). At licet cum domicilio mutetur subiectio, si censura feratur *sub conditione*, quae respiciat *factum praeteritum* et commissum tempore prioris domicilii et subiectionis, tum ratione iuris acquisiti ex priori facto manet subiectio quoad talem causam et censuram; v. gr. si a iudice ob delictum praeteritum vel aliam causam iam ad suum tribunal legitime delatam imponatur sub censura restitutio, satisfactio vel impletio obligationis intra determinatum tempus, mutatio domicilii intra illud tempus non liberat a censura, c. 19, X, de foro comp. II, 2; *Suárez*, l. c. n. 6; *Ballerini-Palmieri*, n. 127. — Semper tamen prae oculis habendum, censuram iam inflictam et incursum, *reum ubique terrarum tenere*, etiam resoluta iure Superioris (can. 2226, § 4).

(43) *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 73.

(44) C. 1 de privileg. in Sto.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 56, 57 sq. ubi efficaciter probat existentiam specialis privilegii, quo certi regulares, non possunt ab Episcopo coerceri censuris, licet possint aliis poenis, etiam iis rebus in quibus subduntur Episcopo, atque illius privilegii vim et indolem declarat; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 16; *Piat. Mont.*, l. c. t. II, q. 13; *Ojetti*, l. c. n. 957 sq. De casi-

pis ex iuris dispositione contra regulares procedere licet *et* insuper regulares isti non gaudeant *speciali* illo privilegio, quod ab Episcopis etiam in hisce casibus exceptis censuris plecti non valeant, sed aliis tantum poenis. Huiusmodi speciali privilegio praediti sunt regulares mendicantes; attamen in tribus casibus a Gregorio XV et Urbano VIII et Innocentio X huic speciali privilegio derogatum est. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 12 de reg. circa obligationem regularium publicandi et servandi censuras et interdicta etiam Episcoporum.

Peregrini omnibus in casibus a censuris statutis iure particulari territorii, in quo versantur, sunt immunes, quibus legibus illius territorii, non ligantur, et vicissim si legibus loci ligantur, etiam a censuris legibus adnexis non sunt exempti. A fortiori per censuram ab homine infligendam peregrinus potest castigari, si ratione delicti contra ius commune in territorio alieno patrati factus est subditus Episcopi illius loci (can. 14, 1566) (45).

IV. De causa sive obiecto censurarum ecclesiasticarum

229. Censura ecclesiastica, cum sit vera poena (46) simulque medicinalis, non nisi propter culpam censurae proportionatam imponi potest. Quae culpa, saltem in excommunicatione, illius propria et personalis sit necesse est, in quem directe haec censura fertur, quia nemo propter culpam alienam vere excommunicari potest. Suspendio quoque infligi nequit nisi ob culpam propriam, quamvis in hoc differat ab excommunicatione, quod etiam in communitatem culpabilem ferri possit (47), in qua forte personae innocentes existunt. Interdictum vero locale non solum in ea re convenit cum suspensione, quod in communitatem ferri possit, sed etiam directe infligi

bus in quibus Regulares subduntur Episcopis de iure praecedenti cfr. *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 51 sq.; *Ojetti*, l. c. v. Exemptio; in iure Codicis cfr. *Wernz-Vidal*, De religiosis n. 404.

(45) *Lugo*, Respons. mor. lib. VI, dub. 22; *Suárez*, l. c. sect. 5, n. 7 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 43, 45 sq.; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 16.

(46) C. 8, 42 C. XI, q. 3, cap. 5 de poenis V, 9 in Sext.; « Iudex in talem poenam metietur ex culpa »; *Suárez*, l. c. disp. IV, sect. 1 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 55 sq.

(47) Cap. 71 de elect. I, 6 in Sext.

potest sine culpa illius, in quem fertur. Nihilominus etiam interdictum locale semper fertur ob culpam saltem alterius, quamvis is, quem directe quoque attingit, culpa propria haud raro careat et ob solam connexionem cum vero delinquente gravamine illo, non stricta poena afficiatur (48). Secus dicendum de interdicto personali, quod requirit proprium peccatum mortale eius, in quem decernitur. Cfr. *Suárez* l. c. disp. 36, sect. 3, n. 2.

230. Peccatum mere internum et solum mente consummatum censura puniri nequit, sed in actum externum prodeat necesse est ut censurae obnoxium esse possit (49). Quae sententia communis doctorum iisdem fere argumentis probatur, quibus iam demonstratum est, Ecclesiam suis legibus disciplinabilibus actus mere internos non posse praescribere aut prohibere. Etenim generatim legislator humanus in actus mere internos iudicia exercere nequit, ergo iure quoque caret iustas poenas iisdem actibus decernendi. Neque ulla solida ratio afferri potest, ob quam potestas ecclesiastica ab ista lege generali sit exempta. Idem principium, Ecclesiam actus internos non posse suis iudiciis et poenis subiicere, etiam textibus iuris canonici confirmatur (can. 2242. § 1.). Cfr. quoque *Kober*, D. Suspendens. p. 53.

231. Quod peccatum ad incurrendam censuram non solum externum sit oportet, sed etiam consummatum sive completum in suo genere secundum proprietatem verborum, quae in statuto vel praeccepto poenali strictae interpretationi obnoxio (50) continentur, nisi speciatim in iure delicto externo nondum consummato atque forte solummodo attentato censura sit statuta (51).

232. Censura infligi nequit nisi ob peccatum coniunctum cum *contumacia* praesenti in Ecclesiam aliquid praecipientem vel prohi-

(48) Cap. 16 h. t. in Sext.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 77, 82.

(49) *Suárez*, l. c. sect. 2; *Kober*, l. c. p. 130 sq.; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 22; *D'Annibale*, l. c. n. 305; *Gury-Ferreres*, II, 934. Paulo aliter *Lehmkuhl*, l. c. II, 864 et *Noldin*, l. c. n. 20 qui id repetunt non ex defectu potestatis, sed ex usu Ecclesiae.

(50) Cap. 7 de elect. I, 6 in Sext.; *Suárez*, l. c. sect. 3; *Schmalzgr.* l. c. n. 64; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 92 sq.; *Noldin*, l. c. n. 21.

(51) Cap. 1 de homic. I, 4 in Sext.; cap. 1 § 1 de privil. V, 7 in Clem.

fectata non sit a censura excusatur; immo si in lege ecclesiastica adhibeantur formulae velut *scienter, consulto*, quae scientiam expresse requirant, ipsa quoque vincibilis ignorantia graviter culpabilis *crassa vel supina* tamquam causa excusans admittitur, exclusa semper ignorantia *affectata* (can. 2229). Cfr. cap. 2, de const. l. 2, in Sext.; Suárez l. c. disp. 7, sect. 8 sq.; Schmalzgr. l. c. n. 78; Ballerini-Palmieri l. c. n. 96 sq.; Kober, D. Kirchenb. p. 204 sq.; Hilarius a Sexten l. c. p. 25 sq. (59).

Item *metus* adeo gravis, ut excuset a gravi culpa multo magis excusatur a gravi censura (60); at viceversa *metus* gravis, qui nequam excusatur a peccato gravi et externo v. g. in legem divinam committendo, saltem illud efficit, ut Ecclesia censuram alias statutam ordinarie non sustineat. Etenim *metus* gravis, qui culpam non aufert, tollit saltem contumaciam ad incurendam censuram requisitam, nisi *metus* directe incutiatur in contemptum religionis aut ecclesiasticae potestatis. Quo in casu excepto, cum *metus* etiam gravis non tollat contumaciam in Ecclesiam, etiam a censura incurrenda non excusatur (Cfr. can. 2229, § 3, n. 3^o) (61).

(59) Per can. 2229 § 1 exclusa quoque est Disputatio antea habita, utrum etiam ignorantia *affectata* excuset, quando lex expresse requirit *scientiam* vel *temeritatem*. Certe non potest negari latum esse discrimen inter ignorantiam graviter culpabilem *ex negligentia* (ut evenit in *crassa* et *supina*) et idcirco *indirecte* tantum voluntariam et ignorantiam *directe* voluntariam et studiose quaesitam ut quis liberius agere possit contra legem (ut evenit in *affectata*).

Praesumptio et *temeritas* contra legem agentis ex ignorantia studiose quaesita, si non est maior quam in transgrediente legem cognitam, certe *non est minor*; cfr. Suárez, De cens. disp. IV, sect. 10, n. 3; S. Thomas, 1, 2, q. 6, art. 8, q. 76, art. 3, De malo, q. 3, art. 8 ubi dicit illam ignorantiam *augere* peccatum; Sánchez in Decal. l. I, c. 17, n. 5. — Quodsi in casu violentis legem cognitam dolus est *formalis* et in casu ignorantiae *affectatae* dolus est *virtualis* cum tamen dolus *virtualis* in casu non sit coniunctus cum minori malitia, videtur etiam equiparandus in poena. Illa vero aliqualis reverentia legis, quam vident nonnulli auctores in casu ignorantiae *affectatae*, in foro externo in paritate culpae non videtur a legislatore attendenda. Cfr. in sensum contrarium *D'Annibale*, l. n. 312, not. 72; Lugo, De fide, disp. XX, sect. 6; Ballerini-Palmieri, t. I, n. 89, 51 sq. t. VII, n. 101; Hilarius a Sexten, l. c. p. 27.

(60) Suárez, l. c. disp. 4, sect. n. 12 sq.; Schmalzgr., l. c. n. 79; Reiffenst., h. t., n. 34; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 103 sq.; Kober, D. Kirchenb. p. 209; Stremler, l. c. p. 223; Hilarius a Sexten, l. c. p. 27 sq.

(61) Quodsi *metus* gravis modo explicato excusatur a censura *incurrenda*, in iisdem casibus excusatur a censura iam incurra *observanda*. Suárez, l. c. disp. VI, sect. 3; Reiffenst., l. c. 77; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 105 in f.

236. V. **Condiciones, modus, forma infligendi censuras. Condiciones censurae ferendae.** Censura ut valide feratur, imprimis infligi debet ab eo, qui potestatem ordinariam vel delegatam habet decernendi censuras nulla ratione sublatam vel suspensam vel impeditam v. g. propter excommunicationem vel suspensionem *notoriam* aut *publice* denuntiatam ipsius Praelati censuram infligentis (62) vel illius Superioris ecclesiastici, a cuius iurisdictione usus validus iurisdictionis in alio, velut in Vicario Episcopi, dependet (63), propter recusationem iudicis ecclesiastici legitime factam (64), ob appellationem antequam censura absolute feratur rite interpositam (65), aut propter avocationem causae ad superius tribunal vel prohibitionem superioris cum clausula irritante legitime statutam.

237. Praeterea censura ne valore destituatur, feratur necesse est ab eo, qui rationis est compos atque intentionem habet vere ligandi sufficienti ratione manifestatam (66); est enim inflictio censurae exercitatio quaedam potestatis iurisdictionis, quae humano validoque modo absque usu rationis et intentione interna agentis fieri nequit.

Hinc quoque requiritur, ut censura *libere* et *sine coactione* a Praelatis ecclesiasticis infligantur. At etiamsi censura ex metu gravi per vim iniustam in ordine ad extorquendam censuram ab extrinseco illatam feratur, sane ex natura rei, nisi desit iusta causa vel intentio ferendi censuram, per se valida est neque ullo iure positivo irritatur (cp. can. 103); nam argumentum petitum ex analogia irritae absolutionis seu remissionis propter metum incussum (cfr. can. 2238 iunct. cap. unic. de his, quae l. 20. in Sext.) vi probandi caret (67).

(62) Suárez, l. c. disp. 2, sect. 4; Schmalzgr., l. c. n. 22; Kober, D. Kirchenbann p. 85 sq.; Cfr. c. 4, C. XXIV, q. 1; Kober, l. c. p. 359 sq., 365 sq.

(63) Cap. 1 de off. vicar. I, 13 in Sext.; Kober, l. c. p. 362, D. Suspens. p. 104; Suárez, l. c. n. 3.

(64) Cap. 41 § 1, X, de appell. II, 28; Kober, D. Kirchenb. p. 86.

(65) Cap. 36 de off. et pot. iud. del. I, 29; cap. 40, X, de appell. II, 28; cap. 14 de sent. excom. V, 11 in Sext.; Kober, l. c. p. 224 sq. D. Susp. p. 83 sq.

(66) Suárez, l. c. disp. 3, sect. 2 n. 1 sq.; Kober, D. Kirchemb. p. 89 sq.

(67) Suárez, l. c. disp. 2, sect. 5; Kober, l. c. p. 88 sq.; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 34, ubi scite notat vix cogitari posse censuram per metum extortam, cum censura valida requirat intentionem ferentis; at hic quaestio est de actu externo cuius coniunctio cum actu interno per se cognosci non potest.

238. Qui fert censuram *in territorio proprio* existere debet; secus ordinarie nulla et irrita est censura etiam in proprium subditum lata (68). Nam iudici ecclesiastico ordinarie non competit potestas extra territorium proprium iurisdictionem *contentiosam* exercendi; sed inflictio censurae est actus iurisdictionis *contentiosae*, qui saltem ordinarie fit cum cognitione causae strepituque iudiciali; ergo non nisi in casibus a iure exceptis sc. ob notorietatem delicti, in quo ordo iudiciarius stricte observandus non est, aut cognitionem causae in proprio territorio iam finitam aut expulsionem Episcopi ex sua dioecesi in casu et modo a Clemente V stabilito (69) extra territorium proprium decerni potest (70). Cfr. can. 1637.

239. Denique censura sive a iure sive ab homine absque *iusta* (71) *causa* lata in se omnino invalida et iniusta existit. Etenim huiusmodi censura est poena gravissima homini innocenti inflicta, ad quam utpote ad actum in sese turpem legislator vel iudex ecclesiasticus omni caret potestate; sed actus sine potestate positus est etiam nullus et irritus. Immo si censura per particularem sententiam iudicalem feratur, et iusta causa censurae vere a parte rei existat, sed in iudicio non sit legitime probata, propter defectum substantialem proceduræ iudicialis censura invalida est, atque adeo etiam vere iniusta dici potest. Nam huiusmodi sententia non solum est contra iustitiam legalem sive contra ordinem iudiciarium legibus ecclesiasticis stabilitum cum clausula irritante actus in contrarium gestos, sed etiam contra iustitiam commutativam, quoniam homini quoque nocenti vera infertur iniuria, si absque legitimis probationibus et defensionibus v. g. absque citatione condemnetur ad gravissimam poena subeundam (72). Cfr. supra n. 158 dicta de poena *iniusta* et *invalida*.

(68) Cap. 7 de off. legat. I, 30; *Schmalzgr.*, l. c. n. 24; *Ojetti*, l. c. n. 948.

(69) Cap. unic. de foro comp. II, 2 in Clem.

(70) At nihil obstat quominus Episcopus in territorio alieno existens censuram ferat per modum legis vel praecepti (can. 201). Imo si Episcopus loci consentiat etiam Episcopus non expulsus potest extra proprium territorium in subdito iurisdictionem *contentiosam* exercere (c. 3, C. IX, q. 2); sed cum partes *invitae* non teneantur extra proprium territorium litigare illa potestas in casu est parum practici momenti.

(71) *Suárez*, l. c. disp. 4, sect. 6, 7.

(72) Cap. 13 i. f. de sent. et re II, 27 « *Cum contra ius constitutionis expresse lata non sit* »; cap. 10, X de const. I, 2; cap. 5, X de in integr. I, 41; cap. 2 de V. S. V. 11 in clem.; *Suárez*, l. c. sect. 7, n. 2, 4; *Kober*, l. c. p. 201 sq. 209 sq., 165 sq.

240. **Scholion.** Censura, quamvis forte non solum formaliter, sed etiam vere et in se valida sit, tamen illicite fertur (73), si quis lege vel praecepto Superioris ecclesiastici a ferenda censura prohibeatur, aut in decernenda censura aliunde iusta et valida ex odio aliisque sinistris motivis agat (74), aut forte censura quadam ita sit innodatus, ut validum usum suae iurisdictionis retineat, sed licite potestate sibi relicta non iam ubi possit. Cfr. supra cib. n. 158.

241. **Modus censurae ferendae.** Censura duplici modo sive forma infligi potest scl. per *legem* aut per *hominem* (75); et *ipso facto* sive ex iure sive ex sententia seu praecepto generali, aut per specialem sententiam iudicalem a competente iudice ecclesiastico *ferendam* incurritur. Quae contra iustitiam vel genuinam significationem vel opportunitatem vel antiquitatem censurarum latae sententiae ab antiquioribus et recentioribus scriptoribus allata sunt vetut a *Godscalco Rosemundo*, *Gersonio*, *Du Pin*, *Van Espen* tum in iure tum in factis solidum fundamentum non habent (76).

242. Quamvis ad censuram ferendam necessaria sit *externa* et *sufficiens manifestatio* (77) voluntatis Praelati ecclesiastici, qui sive per legem sive per sententiam potestate sua utitur, tamen ex sola natura rei huiusmodi voluntas multiplici ratione manifestari potest, neque necessario verba propria et formalia requiruntur. At certe censura tum quoad personam tum quoad speciem censurae ita est exprimenda, ut omnis confusio et indeterminatio excludatur (78). Quae confusio ut vitetur, omnino expedit, ut in censuris et ferendae et latae sententiae ea adhibeantur vocabula, quae usu ecclesiae et communi loquendi modo canonistarum probata sunt (79).

(73) *Schmalzgr.*, l. c. n. 25; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 36 sq.; *Suárez*, l. c. disp. 2, sect. 6.

(74) Cfr. c. 4 C. III, q. 7 (S. Ambros.); c. 61, C. XI, q. 3 (S. Gregor.).

(75) *Suárez*, l. c. disp. III, sect. 1 sq. de leg. lib. V, cap. 5, sq.; *Kober*, D. Kirchenb. p. 49 sq.

(76) Pii VI Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794 prop. damn. 47; *Benéd. XVI*, De synod. dioec. lib. X, cap. 1, n. 5, cap. 2; *Kober*, l. c. cuius argumentationem *Hinschius* l. c. tom. IV, p. 781, 842 sq. efficacibus rationibus non refutavit neque confusis suis assertionibus « *de iuridica vi* » rem intentam evicit. Cfr. quoque *Devoti*, Inst. canon. lib. 5, tit. 18 § 8 not. 1.

(77) *Suárez*, l. c. disp. III, sect. 2 sq. disp. XVIII, sect. 4; *Kober*, D. Kirchenb. p. 89 sq.

(78) *Suárez*, l. c. et disp. V, sect. 2, n. 1 sq.; *Kober*, l. c.

(79) *Suárez*, l. c. disp. III, sect. 3; *Kober*, l. c. p. 61 sq.

243. Censura etiamsi generatim *absolute* feratur, tamen in forma quoque *condicionata* infligi potest, dummodo condicio apposita saltem ita pertineat *ad causam censurae* sive a iure sive ab homine latae, ut sine illa completa non sit causa censurae (80); at quotiescumque sententiae additur condicio, quae ad causam ferendae censurae non pertinet, omnino imprudenter et male additur (81). Quodsi talis condicio *de praeterito* vel *praesenti* iam existat, quantumvis ad causam ferendae censurae non pertineat, valida est censura lata, et vicissim si condicio ista non exstat, irrita est censura. Tandem condicio apposita de futuro contingente atque ad causam censurae non pertinente, censuram statim a principio reddit nullam et irritam neque ulla existit obligatio exspectandi eventum condicionis appositae, ut de valore censurae iudicium ferri possit.

244. **Monitiones praemittendae.** Inter *sollemnitates* sive *formas*, quae validam censurae sententiam praecedere debent, imprimis requiritur praevia rei *admonitio* (82); secus *de contumacia actuali rei* non constat. Quae admonitio in re est ipsa comminatio censurae qua Superior declarat delinquentem censuram incursum, nisi paruerit. Si reus non pareat habetur *formalis contumacia*. Quare: *a*) in delictis habentibus tractum successivum i. e. in continuatis, permanentibus, habitualibus, intimandum sub censura ut a delicto desistat v. gr. ut concubinam dimittat; *b*) in delictis mere praeteritis, ut reus paenitentiam agat et reparat damnum, mediatum vel immediatum, publicum vel privatum. In qua intimatione, si res ferat, debet assignari, ex prudenti iudicis vel Superioris arbitrio congruum tempus ad resipiscendum (can. 2233, § 2; 2242, § 2, 3).

(80) Cap. unic. de stat. monach. III, 10 in Clem.; c. 21, X, h. t. in Sext. absolute non obstat, quoniam condiciones simpliciter non prohibet, sed moderationes iniungit; Suárez, l. c. disp. III, sect. 4; cap. 40 X, de appell. II, 28, quo sententia excommunicationis, suspensionis, interdicti sub condicione quadam lata dicitur suspendi, si ante condicionis eventum fuerit appellatum; cfr. quoque Suárez, l. c. sect. 6; Kober, l. c. p. 245 sq.

(81) Suárez, l. c. sect. 7.

(82) Suárez, l. c. disp. III, sect. 8 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 108 sq.; *Kober*, l. c. p. 145 sq.; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 31; *Hinschius*, l. c. tom. IV, p. 761, 773, 342, ubi de hac quoque re perperam philosophatur. De origine monitionis canonicae cfr. *Mendelssohn*, De monitione canonica p. 9 sq., salvis quibusdam exaggeratis assertionibus de monitione canonica antiquitus etiam poenis vindicativis praemittenda ex Christi institutione (?).

Monitio illa praevia absolute necessaria est, exclusis arbitrariis exceptionibus, si vera censura per *sententiam particularem* sit infligenda (83). Quodsi censura *a iure* vel *per sententiam generalem* pro futuris delictis fertur et ipsi legi vel praecepto quoad actum futurum ut ipso facto incurrenda sit adnexa, *monitione opus non est*, nisi ipsum ius aliam specialem monitionem praeviam exigit (84); nam per se lex (85) vel praeceptum monitionem iam continet; est monitio a iure; lex vel praeceptum interpellat pro homine. Idem dicendum de praecepto peculiari comminante censuram etiam ferendae sententiae.

Quae admonitio ante sententiam particularem censurae, ut iuste sive licite fiat, in iure praecedente debuit esse *trina* vel *una pro omnibus* aliquorum dierum intervallo distincta, nisi facti necessitas aliam moderationem suaserit i. e. reductionem ad brevius tempus (86), salvis specialibus iuris dispositionibus trinam admonitionem ad valorem omnino requirentibus (87). Codex *unam* dumtaxat praecepit, licet plures non excludat, iudicis arbitrio remittens tempus (can. 2233, § 3). Quodsi vel unica admonitio omittitur, non solum illicita sive iniusta, sed etiam *invalida* est censura (88). Porro admonitio ista fieri debet a iudice ecclesiastico ad censuram ferendam competente vel ab alio ipsius nomine; secus enim contumacia in Ecclesiam non habetur (89). Denique in formanda et insinuanda admonitione servandae sunt sollemnitates a iure praescriptae. Quare in tenore admonitionis ii, qui monentur, nominatim et accurate sunt exprimen-

(83) Cap. 48 X, h. t.; cap. 5-9 h. t. in Sext.; cap. 26, 61, X, de appell. II, 28; *Schmalzgr.*, h. t. n. 26; Suárez, l. c. p. 153 sq.

(84) Cap. 2 i. f. X, de stat. monach III, 10 in Clem. ubi ipso facto dicitur censura incurri, sed cum condicione apposita « *nisi moniti resipiscant* »; cap. 1 de decim. III, 8 in Clem. Cfr. quoque can. 2314, § 1, n. 2°, 3°.

(85) Suárez, l. c. sect. 8 n. 3, 4. Si *Mendelssohn*, l. c. p. 19, de hac monitione per legem facta cum contemptu agit, iustos limites excedit.

(86) Cap. 9 h. t. in Sext. « Statuimus ut inter monitiones quas ut canonicè promulgetur excommunicationis sententia statuunt iura praemitti, iudices sive *monitionibus tribus utantur*, sive *una pro omnibus*, observent aliquorum dierum competentia intervalla, *nisi necessitas aliter ea suaserit moderanda*. Cfr. *D'Annibale* I 329, not. 25; Suárez, l. c. sect. 9; *Kober*, l. c. p. 150 sq.

(87) Cap. 3, 13 h. t. in Sext.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 115.

(88) Cap. 48, X, h. t.; cap. 5 h. t. in Sext.; Suárez, l. c. sect. 12; *Kober*, l. c. p. 156 sq.; *Mendelssohn*, l. c. p. 31 sq.

(89) Suárez, l. c. sect. 11; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 119.

di (90), et monitio reo insinuanda est personis praesentibus idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari (91). Cfr. *Thesaurus*, De poen. eccl. ad V. Censurae, cap. 1.

Si ferenda sit tantum sententia declaratoria de censura incursa ob delictum notorium, cui censura ipso facto incurrenda fuerat statuta, praevia quoque citatio et admonitio non requiritur (92); at si delictum non sit notorium, huiusmodi quoque sententia declaratoria citatione rei non praemissa omnino nulla et irrita existit (93).

Quoad censuras ad modum praecepti peculiaris latis alia admonitio non requiritur, praeter illam quae in ipso praecepto continetur, quae est admonitio omnino singularis et personalis, qua subdito in particulari intimatur, quid praestare debeat ut contumax non sit, et hoc sive censura fuerit comminata ut ad modum latae sententiae sit incurrenda sive ut ferendae sententiae (Commissio Codicis 14 Iulii 1922 in A. A. S. a. 1922 p. 530).

245. Praemissa admonitione legitima antequam sententia particularis censurae feratur, universus ordo iudiciarius tum in substantialibus tum in accidentalibus accurate servari debuit (can. 2225). (94). Quare imprimis sub poena nullitatis universi processus canonici etiam in causa censurae ferendae in forma legitima citandus est reus (95), atque legitimae et necessariae requiruntur probationes delicti (96) nisi delictum sit notorium et notorietas delicti sufficienter probetur (97).

(90) Cap. 9 h. t. in Sext.

(91) Cap. 48 X, h. t.; *Suárez*, l. c. sect. 11; *Kober*, l. c. p. 151 sq.

(92) *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 109 ubi corrigit *Wiestner*, *Schmalzgr.*, h. t. n. 32, *Reiffenst.*, h. t. n. 27, qui quod *Suárez*, l. c. disp. III, sect. 10, n. 18, merito defendit de sententia declaratoria, immerito et sine fundamento transtulerunt ad inflictionem censurae in casu notorietatis delicti et contumaciae, quae contumacia non probatur notoria nisi per admonitionem iure praescriptam.

(93) Cap. 19 X, de haeret. V, 2 in Sext.; S. C. C. in caus. Albintimil. 18, lun. 1746, apud Richt. ed. Conc. Trid. p. 442; *Kober*, l. c. p. 166, sq.; *Thesaurus*, l. c.

(94) *Suárez*, l. c. sect. 8, 13; *Kober*, l. c. p. 158 sq.

(95) Cfr. c. 12, C III, q. 9.

(96) Cap. 10, X, de Const. I, 2; cap. 2 de V. S. V. 11 in Clem.

(97) Cap. 9, X, de accus. V, 1; cap. 3, X, de testib. II 21. In sententia tamen suspensionis ex informata conscientia, quae propter delictum occultum infligitur, licet probationes non sint faciendae, at certe sunt habendae, ut in aliis censuris, et in casu recursus ad Sedem Apost. etiam sunt exhibendae.

Denique sententia censurae pariter ferenda est in forma legitima generatim in iure communi pro sententiis iudicialibus in foro ecclesiastico praescripta, et speciatim servendae sunt sollemnitates cap. 1. de sent. exc. in Sext. per Conc. Lugd. I (a. 1245) denuo statutae (98). De solemnibus anathematis sententia cfr. Pontificale Rom. in. ord. excom.; *Kober* l. c. p. 194 sq.

246. Denuntiatio censurae. Post sententiam particularem censurae rite a competente iudice ecclesiastico latam ad completam sollemnitatem sequitur denuntiatio censurae. Cfr. c. XI, q. 2, = c. 10 Conc. Ravennat. a. 877; *Kober* l. c. p. 177 sq. Attamen postquam sententia lata rite et sufficienter publicata est, ut ab aliis et ab ipso censurato servari possit, ulterior quaedam denuntiatio prudenti arbitrio iudicis ecclesiastici videtur esse relicta. Item a prudenti arbitrio iudicis ecclesiastici pendet, an et quomodo censura ipso facto inflicta sit publice denuntianda (99), nisi speciali iure denuntiatio censurae sit praescripta et determinata (100).

Quae publica denuntiatio censurae cum sit actus iurisdictionis et potestatis coercitivae, non nisi a competente iudice ecclesiastico (101) vel ipsius nomine aut mandato (102) fieri potest, etiamsi delictum sit notorium. Qui iudex competens imprimis erit is, qui sententiam iudicalem tulit (103) vel legem condidit; in censuris vero latis a

(98) *Suárez*, l. c. disp. 3, sect. 13; *Thesaurus*, De poen. eccl. V, Censurae cap. 2; *Kober*, l. c. p. 168 sq.; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 32.

(99) *Suárez*, l. c. disp. 3, sect. 14, n. 2, 4, 6; *Kober*, l. c. p. 179 sq.

(100) Cfr. v. g. de excommunicatione Pontificale Rom. in ord. excom.; cap. 9 X, h. t. cap. 3 de cens. III, 13 in Clem.; cap. 1, 2 de poen. V, 8 in Clem.; cap. unic. de furt. V, 5 in Extrav. com.

Denuntiatio eo spectabat, ut *excommunicatis ubique aditus ecclesiasticus* praeccluderetur et ut *excusationis causa omnibus auferretur*: quae erat aliqua ratione necessaria cum ante Martinum V Const. « *Ad evitanda* » omnes excommunicati essent vitandi; post Martinum V erat necessaria ut essent vitandi. Qui conceptus vitandi per Codicem est mutatus: quare nunc perseverat idem finis dandi censurae *iuridicam publicitatem*, sed citra respectum ad condicionem vitandi. Iure autem vigenti illa iuridica publicitas satis habetur ex hoc quod sententia condemnatoria vel declaratoria publici iuris fit aliquo legitimo modo v. gr. per eius publicationem in ephemeride dioecesana.

(101) *Suárez*, l. c. n. 7 sq.; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 33.

(102) De publicatione vel executione sententiae per inferiorem iudicem, quam iniustam esse cognoscit, cfr. cap. 28 § 3 de off. et pot. Iud. del. I, 29; cap. 2 X, de crim. fals. V, 20; *Suárez*, l. c. sect. 15; *Kober*, l. c. p. 181 sq.

(103) Cap. 53 § 1 de appell. II, 28.

iure communi denuntiatio est facienda aut a proprio Episcopo delinquentis aut ab Ordinario loci, in quo delictum est commissum (104).

Denique denuntiatio censurae ab homine per sententiam iudicalem latae appellacione interposita nequit suspendi (105), sicut ipsa censurae sententia per appellacionem generatim non suspenditur (106). At denuntiatio censurae, quae a iure lata est, et generatim ipso facto fuit contracta, per interpositam appellacionem suspendi potest (107).

VI. De effectibus censurarum ecclesiasticarum

247. Scholion. Quoniam inter censurae alicuius effectus ponitur *privatio divinarum officiorum* vel *actuum legitimum* Codex in antecessum can. 2256 declarat quid intelligatur duplici illa privatione. *Divina officia* intelliguntur functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt, velut celebratio Missae, cantus horarum, publicae preces vel processiones, benedictio candelarum, palmarum etc.

Actus legitimi ecclesiastici intelliguntur: munus administratoris gerere bonorum ecclesiasticorum; partes agere iudicis, auditoris et relatoris, defensoris vinculi, promotoris iustitiae et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis, munus patrini in sacr. baptismi et confirmationis; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis; ius patronatus exercere (can. 2256).

248. *Effectus* proprius et intrinsecus omnibus censuris iustis et validis communis est imprimis privatio aliquorum bonorum spiritualium non solum in foro externo, sed vere coram Deo (108).

(104) Cap. 1, X de raptor. V. 17.

(105) Cit. cap. 53 § 1 X, de appell. II, 28; Suárez, l. c. sect. 15, n. 18; Kober, l. c. p. 185 sq.

(106) Cap. 8 X, de off. iud. ordin. I, 31; cap. 20 h. t. in Sext.; Kober, l. c. p. 224 sq.

(107) Suárez, l. c. n. 19; Lugo, Resp. mor. I, II, d. 6.

(108) Leo X Const. « *Exsurge Domine* » 16 Maii 1520 prop. damnata 23 Lutheri; Pius VI, Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794 prop. damn. 46, 47; Suárez, l. c. disp. 6; Stremler, l. c. p. 214 sq. Inter primos effectus censurae certe

Qui effectus duplici ratione obtinetur. Etenim censura aut *immediate* et per se (109) certam privationem bonorum spiritualium (110) efficit atque exsequitur, aut tantum *mediate*, quatenus obligat ipsum hominem censura innodatum, ut is certis bonis spiritualibus sese privet vel abstineat, aut alios obstringit, ut eos, in quos lata est censura, bonis quibusdam spiritualibus privent et cum illis communicationem vitent. Quare prior effectus censurae habetur ipso momento, quo perfecte et absolute censura inflictata est neque ullo modo impediri potest (111); alter effectus post censurae fulminationem statim solummodo quoad illam obligationem absque ullo interveniente ministerio oritur, quae postea tum ab homine censurato tum ab aliis executioni est mandanda. Quae executio obligationis impositae ad instar effectuum remotorum sane variis modis culpabiliter potest impediri (112), et hisce violationibus illius obligationis non paucae poenae sive latae sive ferendae sententiae sunt statutae v. g. irregularitas vel depositio (113). *Ignorantia* vero vel *metus gravis*, nisi inferatur in ordine ad contemptum Ecclesiae, vel *gravis necessitas*, vel *scandalum* vitandum, vel *dispensatio* efficere possunt, ut etiam sine culpa effectus iste obligationis interdum impediatur vel suspendatur (114). Duplex vero iste effectus pro natura censurae, quae ad frangendam contumaciam, non ad vindictam dirigitur, neque perpetuum neque definitum durationis tempus habet, sed incertum et indeterminatum; secus poena vindicativa, non censura haberetur. Cfr. Stremler l. c. p. 249. sq.

ille quoque est adnumerandus, quod qui ab uno Episcopo censura innodatus est, etiam ab aliis Episcopis censura ligatus haberi debet, cfr. c. 3 § 1, X de privileg. V, 33, cuius rei optimam reddit rationem Suárez, l. c. disp. VI, sect. 4 n. 10. Cfr. Kober, D. Susp. p. 89 sq., D. Kirchenb. 186 sq.

(109) Cap. 53 § 1, X de appellat. II, 28.

(110) De illis bonis spiritualibus cfr. Suárez, l. c. disp. 1. sect. 1; Schmalzgr., l. c. n. 2.

(111) Cfr. cit. cap. 53 § 1, X de appell. quod appellatio, post inflictam censuram interposita, non impediatur vim et efficaciam censurae saltem quoad effectus spirituales; Suárez, l. c. disp. 5, sect. 2, n. 5.

(112) Suárez, l. c. n. 7 sq.

(113) Cfr. lib. V, tit. 27, de cler. exc., depos. vel interd. ministrante; Stremler, l. c. p. 217 sq.

(114) Suárez, l. c. n. 11 sq.; Stremler, l. c. p. 219 sq.; cap. 5, X, de his, quae ivi, I, 40.

249. Censura manifeste sive *notorie iniusta et invalida* neque in foro interno neque in foro externo ullum producit effectum. Quare huiusmodi censura cum non existat neque obligationem inducat, violari potest, quin poenae violatoribus censurarum statuta incurrantur (115).

Quodsi censura iustam quidem habeat causam, sed occultam et nullo modo in foro externo legitime probatam, profecto omnino ligat in conscientia, si per legem vel praeceptum tamquam ipso facto incurrenda lata sit; at si ab homine per sententiam particularem feratur, sed in foro externo legitime non sit probata, nulla et irrita existit (116), ideoque effectus iustae validaeque sententiae ne in casu quidem violationis habere potest. Denique si censura inflictam nitatur causa in se falsa, sed in foro externo secundum legitimas allegationes probata ideoque *formaliter* sit valida, nihilominus in foro interno homo innocens ista censura non ligatur (117) et in ipso quoque externo non vi sententiae, sed vi iuris naturalis ob scandalum et contemptum auctoritatis ecclesiasticae vitandum publice, non secreto, praeceptis et prohibitionibus, censura impositis, stare tenetur (118); immo ne publice quidem ad id obligatur, si prohibitiones vel praecepta postponantur coram personis, quibus iniustitia censurae nota est, aut in loco, in quo censurae nulla habetur notitia, aut iniustitia censurae publice et communiter nota est et innocentia hominis censurati est notoria (119). Consequenter huiusmodi censura *solummodo formaliter* valida, etiamsi publice et cum scandalo violetur, non inducit poenas, v. gr. irregularitatem, violatoribus censurarum statutas, neque in se et a parte rei alios produ-

(115) Cap. 2, 7, § 5 h. t. in Sext. S. C. C. in caus. Montis-alti 13 (15) Sept. 1800, in cans. Pisien. 25 Mart. 1752; *Stremler*, l. c. p. 221; *Schmalzgr.* l. c. n. 80; *Bullerini-Palmieri*, l. c. n. 128 sq.; *Suárez*, l. c. disp. 4, sect. 6, n. 1 sect. 7; *Kober*, D. Kirchenb. p. 202 sq., 210 sq.

(116) *Suárez*, l. c. sect. 7, n. 2, 4.

(117) Cap. unic. X, ut eccl. III, 2; cap. 28, X h. t.; cap. 1 de sent. et re II, 14, in Sext.; *Kober*, l. c. p. 211 sq.; *Suárez*, l. c. n. 8 sq. 11, 12, 13, 14.

(118) Cap. 40, X, h. t.; *Suárez*, l. c. n. 14, 15 sq.; *Kober*, l. c. p. 216 sq. At salvum manet innocenti, praeter recursum, etiam appellationis beneficium ad superiorem iudicem. Cfr. c. 5 Conc. Nicaen. (a. 325) = c. 73 C. XI, q. 3; cap. 48, X, h. t.; *Kober*, l. c. p. 221 sq.

(119) *Fagnan.* ad cap. 3 X de sol. III 23 n. 11, 12; *Kober*, l. c. p. 218 sq.

cit effectus censurae validae, v. gr. privationem iurisdictionis vel inhabilitatem ad officia vel beneficia ecclesiastica (120), licet in foro externo contrarium decerneretur (121).

VII. De appellatione vel recursu in censuris

250. **Praenotiones.** *Appellatio* in sensu stricto est *provocatio a iudice inferiore ad superiorem*; quare locum habet in processu et sententia *iudiciali*.

Recursus est *provocatio a Superiore inferioris gradus ad Superiorem gradus altioris*, quare pertinet ad actus positos in ordine *administrativo*, tametsi hic ordo haud raro exigit determinatas formalitates in modo procedendi, stricte tamen non iudiciales.

Effectus appellationis assignatur duplex *suspensivus* et *devolutivus*. Effectus devolutivus causam defert ad iudicium iudicis superioris et hic est effectus essentialis appellationis ubicumque haec est permissa. Effectus suspensivus *suspendit* iurisdictionem iudicis inferioris, unde hic, appellatione pendente, sententiam latam exsequi non possit et in genere ulterius in causa procedere non possit dum appellatio durat: hic effectus de regula generali coniungitur cum effectu devolutivo, nisi aliud in iure caveatur (can. 1889).

Quod dictum est de *effectu appellationis* pariter applicatur *effectui recursus*.

In appellatione vel recursu in censuris ratio habenda est *temporis quo censura contrahitur*. Censurae cum sint poenae spirituales et privativae, per quas non auferuntur res, sed effectus moralis inducitur privationis iuris, quae absque facto nostro vel alterius inducitur, *secum trahunt executionem* et, statim seu eodem momento

(120) *Suárez*, l. c. n. 19, 20 sq. Hinc patet, quo sensu accipienda sit sententia, quae S. Gregorio a Gratiano adscribitur c. 1, C. XI, q. 3, sed hisce verbis in operibus S. Gregorii non reperitur: « *sententia pastoris sive iusta sive iniusta fuerit timenda est* ». Ubique *vera* et *valida* sententia timenda est ob veros effectus internos et externos; *formaliter* tantum valida *timenda* est, quia saltem *externae* servanda est. Cfr. *Kober*, l. c. p. 220.

(121) *Suárez*, l. c. n. 18, 28, 29; *Kober*, l. c. n. 218 sq. Quare si *Stremler*, l. c. p. 215, asserit censuras *validas* sed *iniustas et illicitas* aequaliter producere suos effectus, attamen posse ab iisdem appellari, id dumtaxat potest admitti eodem sensu quo *Kober*, l. c. p. 210. id asserit de censura *vere* (non tantum *formaliter*) *valida*. Cfr. quoque *Hilarius a Sexten* l. c. p. 29 sq.

quo *irrogantur*, incurruntur: nullum requirunt actum executivum; sed ministerio legis aut praecepti, si sunt latae sententiae; per ipsam iudicis condemnatoriam sententiam *irrogantur et incurruntur*. Illi ipsi effectus qui sequuntur ex publicitate, notorietate aut sententia declaratoria iam continebantur in ipsa censura, etsi externam suam vim non exsererent.

Inde autem facile explicantur principia, quae regulant appellationem vel recursum in censuris, et in can. 2243 sanciantur.

251. A. Appellatio vel recursus a censuris iam applicatis i. e. *iam irrogatis* ideoque *iam incursis*. In his recursus datur tantum *in devoluto*. Censura irrogata ex sese recipit executionem, sive irrogata fuerit per sententiam condemnatoriam sive ad modum praecepti peculiaris. A fortiori cum effectu suspensivo non admittunt appellationem, quae tamquam poenae latae sententiae incursum sunt ministerio legis vel praecepti Superioris. Ergo appellatio vel recursus effectum dumtaxat habet *devolutivum*. Iudex altior in appellatione vel Superior altior in recursu, praemisso processu vel respective extrajudiciali inquisitione, censuram inflictam confirmabit, si casus ferat, vel absolvet aut iubebit absolvi (122).

Per se patet quod si censura aut ex termino aut sub condicione fuerit *suspensa*, non erit contracta, nisi elapso termino vel verificata condicione; tunc autem recursus non dabitur nisi in devoluto.

Si agatur de his effectibus censurae latae sententiae iam incursum, qui non exseruntur nisi post datam sententiam declaratoriam censurae incursum, si contra sententiam declaratoriam appellatio interponatur, videtur dicendum hanc appellationem habere *etiam effectum suspensivum*. De hac non expresse cavet Codex; ergo videtur applicanda regula generalis de *duplici* effectu appellationis. Insuper pendente appellatione nondum sufficienter constat de censura incursum, ad quam sufficientem iuridicam notitiam pertinet declaratoria sententia. Praeterea effectus qui pendet a sententia declaratoria, nondum ante ipsam receperunt executionem, quam aequum videtur posse impediri per appellationem cum effectu suspensivo (123).

(122) In iure Decretalium c. 7, § 3, V 11 in VI^o iudex appellationis poterat ipse quidem absolvere, sed dicebatur *honestius* et *convenientius* esse, ut reum absolvendum ad iudicem inferiorem remitteret, imponendo sc. ipsi obligationem absolvendi.

(123) *Chelodi*, Ius poenale, n. 32; *Roberti*, l. c. n. 289. Cfr. quoque *Stremler*, l. c. p. 417; *Fagnani*, in cap. *Super eo* de sent. excomm.

252. B. Appellatio vel recursus a censuris comminatis. Generatim can. 2243, § 2 ab his censuris admittit appellationem cum effectu etiam suspensivo; quia non verificatur ratio allegata de censura secum trahente executionem, quia nondum incursum est, dum manet in statu comminationis, cum illa exceptione de casu, quo in determinata re seu negotio ius prohibeat appellationem seu recursum in suspensivo (124).

I. Si poenae comminatio fiat *per legem*, sive latae sive ferendae sententiae, appellatio non habet sensum, potius esset rebellio contra potestatem legiferam Superioris. Si remedium aliquod locum habet potius erit *remonstratio* vel ipsi legislatori facta vel eius altiori Superiori, in praxi Rom. Pontifici. At talis remonstratio, vel, si mavis, recursus, non potest habere effectum suspensivum, qui in contemptum vergeret potestatis Superioris et innumeris abusibus illam obnoxiam faceret.

II. Idem dicatur de *praecepto generali*, ad instar legis communitati intimato, quod velut lex consideratur, exclusa indefinita seu perpetua duratione.

III. Si comminatio contineatur in *praecepto peculiari*, sive agatur de poena latae sive ferendae sententiae, appellatio seu recursus fieri potest vel contra praeceptum vel contra comminatam poenam vel contra utrumque: in hoc tertio casu praeceptum et censuram suspendit, nisi agatur de re in qua ius non admittit appellationem in suspensivo; si fiat contra praeceptum, etiam circa praeceptum effectum habet suspensivum cum eadem exceptione de materia in qua ille effectus excluditur; si fiat contra solam poenam seu censuram, haec suspenditur, firma tamen obligatione servandi id quod praecepto mandatur.

IV. Si comminatio contineatur in *sententia*, haec omnino assimilatur praecepto comminanti censuram (damno te ad praestandam talem satisfactionem, secus excommunicationem incurres aut te excommunicabo). Evidens est perfecta assimilatio talis sententiae cum praecepto quo extra iudicium Superior subdito intimet: « Fac hoc secus eris excommunicatus vel te excommunicabo »; ideo valet eadem regula quae de praecepto peculiari, suspendet aut censuram

(124) Illius exceptionis ratio est necessitas singularis boni publici. De iure praeced. cfr. *Benedictum XVI*, Const. « *Ad militantis* » 30 Mart. 1742, in qua fiebat enumeratio casuum, in quibus non erat admissa appellatio in suspensivo. In iure Codicis saepe habetur exclusio appellat. cum tali affectu.

aut decretum prout appellatio fiat vel contra solam censuram vel etiam contra decretum, cum eadem exceptione, quae dicta est de praecepto.

De numero III et IV habentur in Codice plura exempla. Cfr. v. gr. can. 345; 512, § 2; 513; 1340, § 3; 1395, § 2; 1428, § 3 etc.

Exemplo res declaratur: Episcopus Titio praecepit: «Hoc facias, nisi intra mensem feceris, eris suspensus»; si Titius infra mensem recurrerit censura suspenditur, immo etiam praeceptum si etiam contra ipsum praeceptum recurret; elapso mense Titius manebit suspensus et tunc recursus solum poterit habere effectum devolutivum. Idem dicatur de sententia: nisi infra mensem satisfeceris eris ipso facto suspensus (125).

VIII. De censurarum reservatione

253. Notio. Reservatio in censuris est *avocatio absolutionis censurae ad iudicium Superioris*; quare impedit ne inferior possit liberare a censura per eius absolutionem: nonnumquam connectitur cum reservatione peccati, nonnumquam ab ea est omnino independens; sed semper in se est res distincta; nam absolutio peccati respicit solum forum sacramentale divinum; absolutio censurae respicit poenam in foro sociali ecclesiae impositam propter externam actionem. Si *excommunicatio* propter talem externam actionem inflictam reddit, ut dicitur, peccatum in ea contentum reservatum (atque idem obtinet in *interdicto personali*), id est quia impedit sacramenti paenitentiae receptionem, in quo illud sicut alia peccata remittenda sunt; sed peccatum *in se* non redditur reservatum, nam si quavis ratione illa censura non incursa sit vel per actum fori externi fuit sublata, peccatum a quovis confessario, datis debitis dispositionibus, absolvi potest. Vicissim *suspensio*, quae non impedit sacramenti paenitentiae receptionem, peccatum ob quod inflictum fuit nullo modo reddit reservatum (can. 2246, § 3) (126).

(125) Cfr. Suárez, De censuris, disp. III, sec. VI, qui aliter rem explicabat.

(126) In casibus in quibus adest reservatio pontificia omnia peccata sunt reservata ratione censurae, excepto unico peccato falsae delationis de crimine sollicitationis (can. 894); de iure codicis, cum non fiat distinctio, idem dicendum de casibus episcopalibus in iure notatis, cum iure praecedenti satis communiter docebant doctores utramque reservationem esse principalem. Quo novo iure statuto, decet ut Episcopi sese accommodent, et ubi censuram reservatam statuunt abstineant a directa reservatione peccati (cfr. can. 2246, § 3).

254. Solet dici quod fundamentum reservationis censurae sit bonum publicum hoc sensu, quod casus graviore, quasi difficiliore, iudicio Superioris reservantur. Vix autem negari potest quod legislatoris intentio directe dirigatur ad delinquentem, quem adigit ut pro obtinenda absolutione recurrat ad Superiorem vel eius delegatum, ita ut iurisdictionis sacerdotalis restrictio sit medium ad hoc electum, quo verum gravamen delinquenti imponitur; quod inde etiam fit manifestum quod pro gravioribus delictis strictior statuitur censura reservatio. Quare character poenalis reservationis censurae non potest negari; est ipsius censurae seu poenae aggravatio.

Ita tamen urgetur, ut causae minuente imputabilitatem, v. gr. ignorantia, a reservatione non excusent. Reservatio vero in loco pro quo statuta est applicatur omnibus, etiam his qui delictum admiserunt in loco ubi reservatio non vigeat, modo ibidem vigeret censura, cum reservatio auferat potestatem absolvendi communibus confessariis; ob similem rationem incursa censura reservata in uno loco, ex particulari illius loci lege, potest sine speciali facultate in alio loco absolvi, ubi communis confessarius non habet restrictam iurisdictionem, quia ex iuris dispositione reservatio in particulari loco vim suam extra illius territorii fines non exserit, et qui in alium locum ubi non viget reservatio se confert, etiam in finem obtinendae absolutionis, iure suo utitur (can. 2247, § 2).

Interpretatio reservationis est stricta (can. 2246, § 2), et in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget (can. 2245, § 4), sive dubium versetur circa delictum sive circa censuram aut reservationem.

Quodsi postea factum evaserit certum nova absolutio non requiritur.

Quoniam scientia reservationis ut plurimum non habetur a communibus fidelibus, sed generatim est petenda a Superioribus vel confessariis, provide statutum est, quod si confessarius ignorans reservationem, poenitentem a censura et peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata (can. 2247, § 3); quod videtur intelligendum de solis censuris pro quarum absolutione habet potestatem. — Ceterum facile in hac materia occurrere potest applicatio can. 209, de iurisdictione ab Ecclesia supplenda, quam profecto supplet in casu ignorantiae confessarii intra memoratos limites.

255. Potestas reservandi cohaeret potestati ferendi censuras ac statuendi normas pro earundem absolute. Nonnumquam reservatio fit ipsi Superiori reservanti v. gr. Rom. Pontifex reservat sibi vel Ordinariis; Episcopus sibi reservat. Nonnumquam ex natura rei reservatio fit alii, ita Concilium ex natura rei non sibi reservat sed determinato Superiori i. e. personae physicae; ita Capitulum Generale Ordinis ex natura rei non sibi, cum permanenter non duret, sed determinato Superiori censuram latam reservat.

Praescindendo ab Ordinibus religionis circa ipsorum ius proprium, duae species reservationis habentur in iure: reservationes *Rom. Pontificis* et reservationes *Ordinariorum*. *Mixta* reservatio non datur: nam «si censura Sedi Apostolicae reservata sit, Ordinarius nequit aliam censuram sibi reservatam in idem delictum ferre» (can. 2247, § 1); quae enim sunt advocata ad iudicium Superioris hoc ipso intelliguntur inferiori penitus substracta. Cfr. quoque can. 898. *Pontificiae* ex dictis triplici modo habentur: simpliciter, speciali, specialissimo modo, pro difficultate concedendi facultatem absolvendi.

Quoad *Ordinarios* Codex eos admonet, ne censuras reservent, nisi attenta peculiari gravitate et necessitate aptius providendi disciplinae ecclesiasticae et medendi conscientis fidelium (can. 2246. § 1). Finis assignatur duplex, medicinalis et punitivus.

256. Reservatio censurae induci potest aut per *legem* vel praeceptum *generale* sive latae sive ferendae sententiae, vel per praeceptum *peculiare* aut per sententiam *condemnatoriam* sive latae sive ferendae sententiae. Priores dicuntur *a iure*; posteriores *ab homine*. Quod praeceptum generale aequiparatur legi est res omnibus doctoribus nota et semper admissa: nulla est differentia nisi quod lex habetur perpetua, utique perpetuitate *relativa*, nam leges saepe mutantur, derogantur aut abrogantur; praecepta generalia sunt temporanea, quod facile cognoscitur ex hoc quod dantur pro facto de se temporaneo v. gr. pro tempore pestis, belli, alius publicae calamitatis. Hoc adeo est notum, ut legislator in Codice nequidem mentionem expressam fecit de praecepto generali in titulo de legibus aut alibi: porro in definitionibus legis passim datis nequidem fit expressa mentio de perpetuitate, et satis intelligitur legem de se cessare quando respexit particulare tempus aut particularem necessitatem, finito illo tempore vel cessante penitus illa necessitate; in

hoc casu canonistae illam temporaneam legem proprio iuridico vocabulo vocarunt *praeceptum generale*.

Quoniam censurae ferendae sententiae violata lege ipso facto non incurruntur sed debent applicari per sententiam iudicis, licet sint *a iure* (i. e. constitutae) fiunt *ab homine* dum applicantur. Pariter *ab homine* sunt censurae latae per praeceptum *peculiare* sive latae sive ferendae sententiae: Codex non distinguit et praeceptum *peculiare* et *condemnatoriam* sententiam aequiparat, et opponit tamquam alterum membrum verae divisionis censuris quae sunt et manent *a iure* (can. 2217, § 1, n. 3^o). Eadem aequiparatio et oppositio clarissimis verbis fit in can. 1145, § 2. Quare, nisi contradictionem in eodem canone velimus asserere, in § 4 cit. canonis verba *lege vel praecepto* intelligenda sunt de praecepto generali, quod reapse instar legis est. De his solis censuris *latae sententiae* in lege vel generali praecepto latis statuit can. 2245, § 4 non esse reservatas, nisi in lege vel praecepto id expresse dicatur. Talis lex vel praeceptum constituit obiectivam normam pro communitate; cui additur tamquam sanctio censura i. e. poena taxative determinata, aggravatio poenae per *reservationem* non fuit constituta; ergo non est admittenda. Est principium quod iam fuit propositum in iure Decretalium cap. 39, X. V, 39 «Quia tamen *conditor canonis* eius absolute sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi».

IX. De cessatione et absolute censurarum ecclesiasticarum

257. Censurae ecclesiasticae sive latae sive ferendae sententiae, quae per modum verarum legum poenaliu[m] statutae sunt, sed neminem actu ligant, ad instar aliarum legum *cessare* vel *abrogari* possunt. Item praecepta generalia vel specialia forte a Superiore ecclesiastico imposita etiam cum censura adnexa cessant *revocatione*. *Morte* vero vel *amissione iurisdictionis* Superioris praecipientis, si per legitimum documentum aut coram duobus testibus imposita fuere, praecepta illa de se non cessant (can. 24); sed tum solum cessant, cum Superior non intendit praecepti obligationem sustinere post resolutam propriam potestatem, ut in communibus casibus fieri solet. *Wernz* t. I, n. 135. Quibus in casibus cessante praecep-

to etiam cessat censura adnexa, dummodo nondum actu incursa vel inflictata fuerit; etenim censura semel incursa vel inflictata non obstante cessatione vel revocatione legis vel praecepti postea secuta ipso facto non cessat, sed tantum absolutione tollitur (can. 2226, § 4). (127).

258. Quodsi vera censura ecclesiastica *inflicta sit* sive ipso iure sive per sententiam iudicalem vel aequivalens peculiare praeceptum, *nonnisi absolutione* tolli potest (can. 2248, § 1) (128). Nam censura certe auferri potest ab eo, qui habet potestatem solvendi ligatos S. Petro concessam; at huius potestatis proprius actus est absolutio; ergo per absolutionem censura auferitur (129). Neque minus certum est, *sola* absolutione censuram auferri; etenim omnes alii modi, qui fingi possunt, omnino sunt excludendi. Profecto censura non cessat morte auctoris sive Praelati censuram infligentis, ut dictum est (130); nam licet ab eo pendeat, cum infligitur, id non obtinet in conservanda censura; illa enim est poena, quae ex iuris dispositione durat, donec legitime tollatur. Porro *plene et perfecte* censura non tollitur *morte censurati* (131); afficit enim non solum censuratum, sed etiam aliqua ratione fideles, quibus imponit obligationem abstinendi a certis actionibus. Quae obligatio fidelium, v. g. quoad sepulturam, sola morte censurati non cessat. Denique si censura *absolute* lata sit, non cessat sola emendatione et satisfactione delinquentis (132). Nam emendatio et satisfactio delinquentis est ratio, ob quam censura a iudice competente tolli possit et debeat, sed non sufficit, ut ipso facto cesset (133). Secus dicendum, si censura condionate fuisset lata (134). At absolutio necessaria denega-

(127) *Stremler*, l. c. p. 225 sq.; *Fagnanus*, l. c. in cap. 23, X h. t. n. 50 sq.;

(128) Cap. 1 X, de R. l. V. 41; *Suárez*, l. c. disp. 7, sect. 1, n. 2 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 107 sq.; *Kober*, D. Kirchenb. p. 447 sq. D. Susp. 127 sq.

(129) Cap. unic. de maior. l. 17 in Sext.; cap. 7 § 1, h. t. in Sext.

(130) Cap. 11 § 1, X de off. iud. ordin. I, 31.

(131) Cap. 28, 38 X, h. t.; cap. 20 h. t. in Sext.; *Suárez*, l. c. disp. VII, sect. 1, n. 7; sect. 7, n. 3; *Kober*, D. Kirchenb. p. 125 sq.; de absolutione mortui a censura et speciatim ab excommunicatione, iunct. Rituale Rom.

(132) Prop. 44 damn. ab Alex. VII, 24 Sept. 1665 (*Denzinger-Bannwart*, Enchiridion n. 1144).

(133) Cap. 11 X, de const. 1, 2; cap. 25, X de appell.; II, 28 cap. 15, 30, X, h. t.; *Schmalzgr.* h. t. n. 107 sq.; *Reiffenst.*, h. t. n. 240; *Pirhing.* h. t. n. 179; *Kober*, l. c. p. 451; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 170.

(134) *Schmalzgr.*, h. t. n. 111; *Ballerini-Palmieri*, l. c.; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 34.

ri nequit cum primum delinquens a contumacia recesserit ad normam can. 2247, § 3 i. e. et delicti paenituerit et congruam satisfactionem pro damnis et scandalo dederit aut saltem serio promiserit (can. 2248, § 2) iudicio absolventis; qui, si res, ferat pro patrato delicto congruam vindicativam poenam vel paenitentiam potest infligere. Semel ablata per absolutionem, censura non reviviscit, nisi in casu quo onus sub poena reincidentiae impositum impletum non fuerit (can. 2248, § 3).

Quodsi censura v. g. suspensionis vel interdicti in determinatum tempus feratur, lapsu temporis cessat; verum huiusmodi censura non est poena medicinalis, sed potius vindicativa (135), ideoque generale principium de censuris sola absolutione tollendis non mutatur (136).

259. **Scholion.** Absolutio a censura potest dari in *foro interno* et in *foro externo*. Quodsi datur in foro externo utrumque forum afficit i. e. tam apud Ecclesiam, quam apud Deum vinculum censurae auferit: at si datur in foro interno, vinculum poenale per se solum tollitur apud Deum, manente vinculo apud Ecclesiam, quae per se in suo foro externo potest ita absolutum tamquam censuratum habere (137), donec in ipso externo satisfactionem dederit, si opus fuerit.

(135) *Suárez*, l. c. n. 11; *Stremler*, l. c. p. 227; *Kober*, D. Suspens. p. 127 sq.

(136) De discrimine inter *absolutionem* et *dispensationem* cfr. *Thesaurus*, De poen. eccl. P. I. cap. 20; *Ojetti*, l. c. v. Absolutio. Praecipuae differentiae sunt: *Absolutio* est actus iustitiae, quo causa aliqua sive iudicium terminatur in favorem rei; sine iustitia denegari non potest reo paenitenti, qui satisfactionem praestiterit, aut saltem sit paratus satisfacere, quando per ipsum non stat, quominus satisfactionem praestet; semel valide concessa nequidem valide revocari potest, nec cessat cessante causa propter quam data est. At *dispensatio* in poenis est actus gratiae, quae per se etiam paenitenti et disposito denegari potest atque est revocabilis ab eo, qui ex potestate ordinaria illam concessit, nec repugnat ut cessante causa finali et adaequata dispensationis, cuius usus habet tractum successivum v. gr. in irregularitate, ipsa dispensatio cesset et reus poenae iterum subiacet.

(137) Cfr. *Suárez*, l. c. disp. VII, sect. 5, n. 20, disp. XLI, sect. 2 n. 11; *Alterius*, l. c. l. IV, disp. 1, c. 2. disp. 4, c. IV; *Sánchez*, De matrim. l. VIII, disp. 34, n. 29; *Thesaurus*, l. c. I, c. 22; *Bonacina*, De cens. disp. I, q. 3, punct. 10, ubi aliis verbis bene eandem rem declarat. « Ille dicitur absolvere in foro interiori, seu conscientiae, cui superior concessit facultatem absolvendi, salvo iure cognoscendi de illo delicto in foro exteriori et de eo poenam et satisfactionem im-

Atque per se quidem absolutio in foro externo esset danda; censura enim in hoc convenit cum ceteris poenis, quod sit vinculum poenale per externam et publicam seu socialem potestatem coercitivam Ecclesiae impositum, quod proinde non nisi per externum exercitium eiusdem potestatis solvi potest. Nihilominus ex una parte censurae saepe etiam ob delictum *occultum sine externa procedura iudiciali* tamquam *poenae latae sententiae* infliguntur; ex alia parte censurae privant supernaturalibus bonis maxime ad salutem necessariis, v. gr. usu sacramentorum, vel impediunt usum potestatis ecclesiasticae, cuius exercitium in sui favorem pro suo iure postulant fideles a sacris ministris. Verum minister sacer potest esse innodatus censura, quam fideles ignorant, ideoque qui suum ministerium propter censuram negaret se ipsum proderet cum propria infamia et fidelium scandalo. Idcirco debuit Ecclesia providere, ut censurae suam non amitterent vim poenae et privationis ad frangendam contumaciam et obtinendam emendationem destinatae, at simul possent a censurato paenitenti ita tolli, ut is recuperaret ius ad media supernaturalia vel ad exercitium potestatis, cuius usus non sine ipsius ministri et ceterorum fidelium detrimento intercipitur (138). Quae duo apte conciliavit Ecclesia dando in certis casibus et sub certis conditionibus potestatem censurae absolutionem pro foro interno impertienti, quae tamen in foro externo plenum saltem effectum non obtineret nisi accederet absolutio etiam pro foro externo data. Cfr. can. 2251.

Illa absolutio data in foro interno, quod non necessario est forum sacramentale (139): 1° si censura est notoria, non liberat censuratum ab obligatione in facie Ecclesiae seu publice se habendi ut adhuc censura ligatum, quamdiu de legitima absolutione publice non constat; secus potest a iudice puniri tamquam violator censu-

ponendi ». Cfr. quoque Const. Bened. XIV « *Pastor bonus* » de facultatibus S. Paenitentiarum §§ 6, 7, 8, 32. Similis distinctio fit in *dispensationibus* v. gr. in impedimenti matrimonii; citata Const. Benedicti XIV, §§ 43, 45, 51, 52, 53; Gasparri, De matrim. n. 251 sq. 322, 430; *Benedictus XIV*, Inst. eccl. 87, n. 49 sq.; Wernz, l. c. tom. IV, n. 609, not. 9, 10. Quare non videtur probandus *modus loquendi* adhibitus a Noldin, l. c. n. 31, si distinguit inter censuram *contractam in solo foro interno* et censuram *contractam in foro externo*; censura enim est *vinculum fori externi*, quod quidem *vere* potest tolli per absolutionem in foro interno datam, at illi ablationi Ecclesia pro suo iure potest ponere limitationem quod non suffragetur pro foro externo, nisi etiam in hoc servatis servandis obtenta fuerit absolutio. Cfr. Lugo, De fide, disp. XXIII, n. 64; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 161 sq.

(138) *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 136.

(139) *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 194 sq.

rae. At iudex potest, si vult, absolutionem etiam pro foro externo acceptare (140); 2° si censura fuit occulta, tum censuratus non prohibetur etiam publice se habere ut absolutum. Quodsi accidat, ut deinde censura innotescat et causa ad forum externum deferatur, poterit quidem, si casus ferat, propter delictum, cuius causa censuram incurrerat puniri, sed nequaquam tractari tamquam irregularis, quasi censuram nondum sublatam violasset, si modo de absolutione obtenta fidem facere possit. Quae relatio ad externum forum iudiciale videtur etiam dari, quando qui notorie censuram incurrerat et in foro conscientiae absolutus fuerat occulte et sine scandalo contra prohibitionem censurae fecerat. 3° Si casus ad forum iudiciale deductus fuerit, dum in eo causa pendet nec absolutio pro foro interno est danda nec si data fuerit quidquam videtur prodesse; non enim videtur dari ab Ecclesia facultas quae redundet in praeiudicium fori exterioris atque maxima adest incongruentia iuridica, si dum iudex iudicium instituit de vinculo poenali, veniat alius qui illud vinculum solvat et contemptui exponat iudicis potestatem (141).

260. Principia de potestate absolvendi censuras. I. Si quis pluribus censuris detinetur, potest ab una absolvi, ceteris minime absolutis. Id potest accidere ex defectu seu limitatione potestatis et etiam ex hoc quod cessatio contumaciae habeatur circa unum delictum, perseverante contumacia in aliis delictis ob quae censurae incursae sunt. Huius principii consequentia est, quod is qui absolutionem petit debeat omnes casus iudicare, secus absolutio valet tantum pro casu expresso, non pro reticitis. Nihilominus licet petitio particularis facta sit, si absolutio data fuit generalis (v. gr. illa quae habetur in forma sacr. Paenitentiae), talis generalis absolutio valet quoque *pro reticitis bona fide*, exceptis specialissimo modo S. Sedi reservatis, non valet *pro reticitis mala fide* (can. 2249). Talis absolutio in reticitis est *implicita* si confessario non deest potestas (in quantum possum et tu indiges), sed *directa*; ubi deest potestas, ius supplet hoc canone; absolutio *indirecta* ne cogitari quidem potest in censuris.

261. II. Censura ab homine. *Subiectum legitimum potestatis* absolvendi a censuris specialiter *ab homine* latis sive per praeceptum particulare sive per specialem sententiam iudicalem est ille, qui

(140) *Thesaurus*, l. c.; *Laymann*, l. I, trad. 5, part. 1 c. 7, n. 7; *Suárez*, l. c. n. 26; *Navarrus*, consil. 4, n. 4, cons. 51, n. 3; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 206.

(141) *Ballerini-Palmieri*, l. c.; cfr. quoque Const. Benedicti XIV, « *Inter praeteritos* » §§ 61, 63. Paulo aliter rem explicat *Roberti*, l. c. n. 271.

censuram legitime tulit (142) aut eius successor (143), aut superior competens (144), aut ipsorum delegatus (can. 2245, § 2) (145).

(142) Cfr. c. 33 (31) Apost.; c. 53 Conc. Illiber. (a. 300-306); c. 16, 17 Conc. Arelat. (a. 314); cap. 8, 11, X, de off. iud. ord. I, 31; c. 1, X, de Reg. Iur. V, 41; L. 35 D, de divers. reg. iur. L. 17; *Schmalzgr.*, l. c. n. 86. Quam potestatem auctor censurae exercet etiam in reum, *qui domicilium mutavit*, in quem propter vinculum impositum quoad hanc causam adhuc retinet iurisdictionem. Nec illa potestas cessat in auctore censurae *post interpositam appellationem*, quia per hanc non privatur iurisdictione quoad ea, quae appellationi non obstant; porro appellationi absolutio non obstat, cum praecise haec sit, quae per appellationem obtineri intenditur. At iudex *delegatus* potest absolvere *ante* interpositam appellationem, non *post* illam, quia per appellationem privatur iurisdictione. *Schmalzgr.*, l. c. n. 87; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 132. Sed cum *auctore* censurae non est confundendus is, qui merus fuit *exsecutor* aut *denuntiator* censurae; nam in exsecutore facta executione omnis potestas est extincta, c. 22, X, h. t.; denuntiator vero vinculum censurae non induxit, sed mere publicavit, *Schmalzgr.*, l. c. n. 88; *Kober*, l. c. p. 453.

De exceptionibus cfr. *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 133; *Hilarius a Sexten*, p. 38 sq. v. gr. si auctor censurae factus est excommunicatus vitandus; si R. Pontifex censuram ab Ordinario latam in forma specifica confirmavit, c. 22, X, de praeb. III, 4 in Sext. Illa exceptio, quae tit. c. 19, X, h. t. de censura lata ab Ordinario in incendiariis, cuius absolutio reservatur R. P. non amplius videtur esse usu recepta. Pariter in c. 26, X, de offic. iudic. deleg. I, 29, non videtur contineri vera exceptio, sed *delegato R. Pontificis* tribuitur annus ad executionem sententiae.

(143) Cfr. c. 40 C. XI, q. 3; cap. unic. de maior. I, 17 in Sext.; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 16 de ref. Contrarium tenet *Roberti*, l. c. n. 295 sq., de censuris latae sententiae per praeceptum peculiare inflictis nova quadam opinione, quam ante propugnauerat *Sole* De del. et poen. p. 122, sed parum consequenter. Nam iudex in applicanda censura ferendae sententiae per condemnatoriam sententiam, cum monitionem praemittere debeat, idem prorsus facit ac Superior extra iudicium. Iudex: « fac hoc, satisfacias, secus ipso facto es excommunicatus »; Superior: « Hoc praesta vel hoc omittas, secus ipso facto es excommunicatus ». Si primum vinculat personaliter delinquentem iudici; alterum quoque vinculabit Superiori; nec illa sententia nec tale praeceptum elidi possunt per absolutionem ab alio datam. Ceterum alius absolvens deberet exigere ab absolvendo satisfactionem Superiori exhibendam, cuius *unius* est decernere num illa satisfactio sit sibi sufficiens.

(144) *Kober*, D. Kirchenb, p. 458 sq. Superior autem intelligitur qui *pleno iure* talis est v. gr. R. Pontifex respectu Episcopi, Generalis respectu Provincialis. At Legatus inde a Concilio Tridentino sess. XXIV, c. 20 de ref. non iam potest absolvere censuratos ab Ordinario, nisi in casu appellationis; nec Metropolitae (a fortiori nec Patriarchae aut Primas) censuratos a suffraganeo nisi in casu appellationis vel visitationis. *Schmalzgr.*, l. c. n. 90, 91; *Kober*, l. c. p. 458 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 134; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 39. Qua potestate superior competens convenienter non utitur, nisi prius satisfactionem exigat et inferiorem Praelatam moneat, ne huius auctoritas contemptui exponatur.

(145) R. I. 68 in Sext.; cap. 26 X, de off. et pot. iud. del. I, 29.

262. III. **Censurae a iure latae non reservatae.** 1° Potestas absolvendi a censuris *iure latis* (146) *neque reservatis* competit cuilibet confessario *in foro sacramentali*; extra forum sacramentale cuilibet habenti in reum iurisdictionem fori externi.

2° Idem dicendum est de censura lata per praeceptum generale; nam huiusmodi censurae aequiparantur censuris a iure latis (147).

Quae absolutio a confessariis data iure praecedenti videtur habuisse valorem in foro quoque externo (148). Nunc autem standum est canoni 2251. Attamen non videtur dari magnum discrimen cum illo praecedenti iure: nam Superior fori externi per se debet praesumere absolutionem obtentam, si constet reum adisse confessarium approbatum.

3° Pro *reservatis Rom. Pontifici* requiritur facultas *generalis* vel *specialis* vel *specialissima* pro gradu reservationis.

263. IV. **Censurae a iure reservatae.** A censuris *a iure latis* et *reservatis* solum potest absolvere is, *cui sunt reservatae* vel huius *superior* aut *successor* aut rite *delegatus* (Conc. Trid. sess. XIV c. 7). Quare a censura reservata *Episcopo* vel *Ordinario* quilibet *Ordinarius* absolvere potest suos subditos, *Ordinarius loci etiam peregrinos* (can. 2253). Hanc videntur participare Cardinales ex can. 239; eandem recipiunt canonici paenitentarii ex can. 401, § 1. Religiosi vero et alii qui obtinuerunt facultatem absolvendi censuras iure communi Ordinario reservatas, non possunt sine facultate ab Ordinario obtenta absolvere a censura quam *Ordinarius* constituit sibi reservavit. Quae delegatio ad absolvendum fieri potest a iure seu per legem aut per concessionem specialis facultatis particulari personae factam.

(146) *Suárez*, l. c. disp. VII, sect. 3, 4, 5; *Schmalzgr.* l. c. n. 95; *Kober*, l. c. p. 463.

(147) Cfr. *Suárez*, l. c. disp. 7 sec. 2; *Kober*, D. Kirchenb. p. 452 sq.; l. c. n. 85 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 132 sq. Supra n. 223, III, cum nota.

(148) Arg. cap. *Nuper*, 29, X, de sent. exc. V, 39; S. C. C. in caus. Comp. 14 Iun. 1591; *Ferraris*, Prompt. Bibl. v. Excommunicatio art. 8 n. 4; *Schmalzgr.*, l. c. n. 96; *Kober*, l. c. p. 469 sq.; *Suárez*, l. c. sec. 5, n. 19; cfr. tamen quae idem addit. n. 29 de scandalo vitando; *Lega*, l. c. n. 124; *Gury-Ferreres*, l. c. n. 951; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 40; *Noldin*, l. c. n. 28. Semper tamen etiam in censura non reservata est excipiendus casus, quo causa iam sit deducta ad forum contentiosum, nisi iam reus ob defectum probationis fuerit dimissus.

V. **Facultas delegata.** Ab ipso iure communi plures huiusmodi delegationes sunt factae: 1° *Cardinales*, ex privilegio per statutum perpetuum ipsis a Pio X concessio, 29 dec. 1912 atque ad modum praerogativae ipsi dignitati cardinaliciae adnexo, absolvere possunt quoslibet paenitentes a quibuslibet peccatis *et censuris*, exceptis tantum censuris *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservatis et illis quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii (149). Quod statutum transiit in ius Codicis, can. 239, § 1, 1°.

2° Episcopi in propria diocesi possunt per se ipsos aut per alium, ad hoc specialiter deputandum, absolvere quoscumque sibi subditos a censuris etiam Sedi Apostolicae reservatis sed in *casibus occultis* tantum et in *foro conscientiae* (Cfr. Conc. Tridentinum sess. XXIV. c. 6. de ref.). Excipiuntur censurae *speciali* vel *specialissimo modo* reservatae (can. 2239, § 2) (150): exceptio iam erat facta in *Const. Apostolicae Sedis*.

3° Iam ex eodem Concilio Tridentino sess. XIV. c. 7. et nunc ex can. 882 omnes sacerdotes absolvere possunt a qualibet censura utcumque reservata eos, qui sunt in articulo vel periculo mortis positi; quibus nunc ex responso S. Paenitentiariae 18 martii 1912 tempore belli aequiparandi sunt omnes milites in statu bellicae convocationis, seu, ut aiunt, mobilizationis constituti (151).

4° Etiam sine specialibus facultatibus in casibus vere urgentioribus quilibet sacerdos approbatus potest absolvere a quibuscumque censuris papalibus sub poena tamen (generatim) reincidentiae in in eadem censuras, nisi ille qui ita fuerit absolutus, infra mensem,

(149) *Ferreres* in «Razón y Fe» tom. 33, p. 243 sq.; in quo decreto dicitur illa privilegia cardinalibus concedi iam ante publicationem novi Codicis.

(150) S. C. Inquis. 66 Ian. 1892; *Kober*, l. c.; *D'Annibale*, l. c. n. 346; *Lega*, l. c. n. 124; *Noldin*, l. c. n. 29; *Gury-Ferreres*, l. c. II, n. 952, 954; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 144 sq., 149 sq.; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 40 sq.

(151) *D'Annibale*, l. c. n. 439; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 140 sq., 295 not. (a); *Ojetti*, Synopsis III, n. 3492; *Gury-Ferreres*, l. c. II, n. 574, 576; *Ferreres* in «Razón y Fe» tom. 33, p. 521 sq., de resp. S. Paenitentiariae 18 Mart. 1912. At absolutis in articulo mortis a censura speciali modo R. P. reservata remanet, si convaluerint, obligatio *standi mandatis Ecclesiae* i. e. recurrenti per se vel per confessarium ad R. Pontificem i. e. ad S. Paenitentiarium vel ad habentem facultatem absolventi a censuris R. Pontifici *specialissimo modo* reservatis et quidem sub poena reincidentiae in eandem censuram (S. C. Inquis. 17 Iunii 1891, 19 Aug. 189 ubi erat sermo de censura *speciali* modo reservata. Eadem obligatione sub eadem poena reincidentiae tenetur, qui in dicto articulo seu periculo mortis absolutus est a censura *ab homine*, recurrenti ad illum qui censuram tulit (can. 2225)

saltem per epistolam et per medium confessarii (nisi id paenitens per se ipsum praestare malit) recurrat ad Sedem Apostolicam, aut ad Episcopum vel eius vicarium generalem (si Episcopus facultatem habeat absolventi a papalibus), vel saltem eadem reservata iterum confiteatur apud sacerdotem, qui habeat facultatem absolventi a censuris reservatis — In casu extraordinario impossibilitatis recursus, onus recurrenti non est imponendum, excepta censura can. 2367, sed tunc confessarius debet se substituere Superiori et imponere de iure imponenda sub onere reincidentiae (can. 2254) (152).

Quid sacerdotes regulares vi suorum privilegiorum vel alii sacerdotes ex indultis extraordinariis in absolutione censurarum pro foro interno possint, ex tenore documentorum est eruendum (153).

264. Historia circa absolutionem a reservatis. Cum reservatio importet ut causa deferenda sit ei, cui est reservata eiusve delegato: potestas sacerdotum (et respective Episcoporum) in censuras reservatas regebatur usque ad Decretum S. O. 23 Iunii 1886 *iure Decretalium*, attento nihilominus Conc. Trid. sess. XIV. c. 7, et *Const. Apost. Sedis*.

Iam illo Decretalium iure erant assignati casus, in quibus censurae papales devolverentur quoad absolutionem ad Episcopum vel sacerdotem (cap. 25. X. V, 39).

A. 1°) In articulo mortis quilibet sacerdos potuit absolvere censuras reservatas. Manebat tamen obligatio postea recurrenti ad

(152) S. C. Inquis 23 Iunii 1886, 19 Aug. 1891, 30 Martii 1892, 19 Dec. 1900; *Gury-Ferreres*, l. c. II, n. 575 sq.; *Ferreres* in «Razón y Fe» tom. I, p. 254 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 295. Cfr. tamen de casu impossibilitatis recurrenti etiam per epistolam, S. C. Inquis. 9 Nov. 1898, 6 Sept. 1900 cum exceptione facta pro censura absolventis complicem ab eadem S. C. Inquis. 7 Iun. 1899. Quae disciplina de *directa* absolutione pro casu urgenti a censuris R. Pontifici reservatis, cum onere recurrenti per litteras sub poena reincidentiae, nondum erat expressa sanctione extensa ad censuras Episcopis per ius particulari ab ipsis conditum reservatas (cfr. *Lehmkuhl*, II, n. 410; *Gury-Ferreres*, l. c. II, n. 574); sed facile propter paritatem rationis illa extensio fieri posset, qua ratione simul induceretur uniformis quaedam praxis in materia reservationis, *Lehmkuhl*, l. c. n. 880. - Quae extensio ex tenore can. 2254 iam est facta, nam canon non respicit singularem casum papalem.

(153) S. Paenitentiarium 5 Dec. 1873 iunct. *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 167 sq. 294, tom. V, n. 510 sq.; *Piat. Mont.*, Praelet. iur. reg. t. II, q. 257, 259 sq.; *Vermeersch*, De religiosis, n. 516, 519.

S. Sedem, pro omnibus; post Const. *Apost. Sedis* pro solis reservatis *speciali modo* (cap. 13, 26, 58 X. V, 11 in VI).

2º) Extra mortis periculum *in casu impedimenti*. Recursus praescriptus erat recursus *personalis*, ex quo facile explicatur *impedimentum* talis recursus. Ergo in impedimento personaliter adeundi S. Sedem: a) si impedimentum esset *temporaneum* (non tamen omnino breve et transiens, sed diuturnum) v. gr. ratione infirmitatis non periculosae, insidiarum in itinere, absolutio *directa* devolvebatur communi sacerdoti, sed sub onere, iuramenti fide confirmando, de adeunda S. Sede post impedimenti cessationem (cap. 11 et 29 X et cap. 22 in VI cit. tit.). — b) si impedimentum erat *perpetuum* v. gr. in paupere, uxore, impubere, mutilato, in indefinite vel ultra quinquennium impedito, communis confessarius poterat *directe* absolvere, *sine onere recurrendi* (cap. 58 et 13. X. V, 39). — Idem valebat de censuris Episcopo reservatis.

B. Ab anno 1886 nova per *accommodationem* et *authenticam interpretationem* inducta fuerat disciplina.

Ergo: a) impedimentum sive perpetuum sive temporaneum, iam non intelligendus erat de impossibilitate *personalis accessus*, sed de impossibilitate sive personaliter sive *per litteras* adeundi. Unde *impediti* habendi non erant, nisi qui non valerent recurrere, neque personaliter neque per litteras; quare clausula de instituendo ad S. Sedem recursu intelligenda in posterum erat de recursu sive personali sive per litteras (S. O. 23 Iunii 1886, 17 Iunii 1891, 9 Nov. 1898).

b) Sub ambitu impedimenti *temporanei* comprehensum fuit impedimentum transiens; immo addita est facultas *pro casu urgentiori* (S. O. 23 Iunii 1886; 16 Iunii 1897).

Inde prodiit disciplina in Codice relata.

265. **Condiciones** (154) **requisitae** ex parte *absolventis* sunt potestas absolvendi, in subiecto habili, *immunitas ab errore* circa causam principalem sive motivam (155), *libertas a metu* gravi et *iniuste* incusso ab homine (156), ad extorquendam absolutionem,

(154) Suárez, l. c. sect. 6; Schmalzgr., l. c. n. 99; Kober, l. c. p. 305 sq.

(155) Cap. 42 X, h. t.; cap. 5, X, de off. iud. ord. I, 31; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 175; Hilarius a Sexten, l. c. p. 44.

(156) Cap. unic. de his, qui vi, I, 20 in Sext.; quo in capite etiam irritatur facta ob eandem causam censurae *reservatio*, quare non obstante revocatione

secus in unoquoque casu invalida est absolutio. Ex parte vero *absolvendi* requiritur imprimis saltem ad convenientem concessionem absolutionis, ut reus censura innodatus apud competentem iudicem ecclesiasticum vel Superiorem aut delegatum gratiam absolutionis *petat* (157); attamen ista petitio absolute necessaria non est, quoniam absolutionis beneficium etiam *invito* saltem a Superiore concedi potest, si rationabilis causa id exigat (158). Quae petitio absolutionis, ut convenienter fiat, personaliter est praesentanda; sed etiam per alium sive per procuratorem legitimo mandato speciali munitum fieri non prohibetur. Etenim si vel ipsa absolutio a censura saltem urgenti ex causa *absenti* dari (can. 2239), multo magis per procuratorem peti potest (159). Qua in re analogia cum absolutione sacramentali nequit urgeri, sed potius paritas cum inflictione (160) censurae est attendenda. Profecto absens si accipit absolutionem sine conditionibus specialibus ipso momento absolutionis datae eius effectus consequitur (161), nisi alia sit intentio superioris absolventis; at antequam certus habeatur nuntius de absolutione secuta, censuram inflictam licite neque censuratus neque alii fideles negligere atque violare possunt (162).

Maxime vero *in absolvendo* ad licitam absolutionem sive ab ordinario sive a delegato iudice factam requiritur, ut is ante absolutionem *deposita contumacia* (163) *satisfaciat* parti laesae et si casus

mandati vel sententiae de censura sub condicione aut intra certum tempus incurrenda, praecepto violato censura incurritur, si illa revocatio per vim aut metum iniustum fuit obtenta. Suárez, l. c. n. 13; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 174; Hilarius a Sexten, l. c. At censura excommunicationis ipso facto incurrendae contra eos cit. cap. statuta, qui absolutionem per vim extorqueant, propter silentium Pii IX, in Const. « *Apost. Sedis* », non amplius viget, nec in Codice fuit renovata, firma tamen irritatione (can. 2238).

(157) Cap. 40, X, h. t.; cap. 6, X, de eo, qui dux, IV, 7; Kober, l. c. p. 521 sq.; Tertullianus, De orat. c. 7; Benedictus XIV, De syn. dioec. l. VII, c. 16, n. 6; Hilarius a Sexten, l. c. p. 44 sq.

(158) Suárez, l. c. sect. 7 n. 5 sq.

(159) Cfr. c. 8 C. II, q. 5; Suárez, l. c. n. 4; Schmalzgr. l. c. n. 102; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 208.

(160) Cap. 5 X, de cleric. exc. V, 27.

(161) Cap. 7, 30, 38, X. de rescr. I, 3; cap. 1, eod. tit. I, 3; in Sext.

(162) Suárez, l. c. n. 4; Kober, l. c. p. 523 sq.

(163) Cfr. c. 8, Conc. Nicaen, (a. 325); c. 5 C. XXIV, q. 2; Suárez, l. c. n. 6 sq.; Kober, l. c. p. 512 sq.; Schmalzgr., l. c. n. 100, 101; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 209 sq.

ferat, etiam publico scandalo vel damno (164). Quodsi absolvendus ad satisfactionem praestandam actu impotens sit, iure praecedenti cautionem pignoratitiam vel fideiussoriam (165) vel si ne hanc quidem exhibere valebat, saltem iuratoriam (166) praestare debuit, antequam absolveretur (167); immo Innocentius III, cap. 51, X, h. t. cum iuramentum iuxta formam Ecclesiae haberi non posset, ut cum praevia manuali promissione absolutio concederetur, benigne indulset. Quare iuramentum ad valorem absolutionis non requirebatur (Gloss. in cit. c. 51, X, h. t. v. Cum promissione). Iure vero Codicis, attento can. 2242, § 3, cautio etiam mere iuratoria non requiritur, sed etiam eius exactio non prohibetur; sed de se sufficit seria promissio. Quod si ordinarius iudex non praemissa satisfactione vel promissione absolutionem a censura concedat, valida est absolutio, itemque valore non destituitur, si fiat a iudice delegato cum clausula « *satisfacta parte* » deputato, nisi aliunde constet, satisfactionem vel saltem illius cautionem tamquam condicionem sine qua non delegationi fuisse appositam. Cir. *Pirhing*, h. t. n. 163; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 179 sq.; *Hilarius e Sexten*, l. c. p. 46 (168).

(164) Cap. 8 X, de off. iud. ord. I, 31; cap. 2 h. t. in Sext.; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 12 de ref.; cap. 16, X, de elect. I, 6; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 176 sq.

(165) Cit. cap. 2 h. t. in Sext.

(166) Cit. cap. 8 X, de off. iud. ord.; cap. 23 X, de V. S. V. 40; cap. 3, X de solut. III, 23.

(167) *Schmalzgr.*, l. c. n. 101.

(168) Quaestio de liceitate et valore absolutionis ante datam vel saltem promissam satisfactionem videtur restringenda ad unicum casum practicum, in quo satisfactionem censuratus non vult dare cum possit, vel saltem non vult promittere, dum actu dare non possit. Nec sunt verae exceptiones a generali principio quod absolutio non est danda (i. e. saltem licite) ante datam vel saltem promissam satisfactionem, duo casus per modum exceptionis allegari soliti, sc. quando pars, cui satisfactio esset danda, *iniuriam remittit* vel quando pars laesa oblatam *iustam* satisfactionem *reicit*; nam in primo casu obligatio satisfactionis *cessat* et obligatio, quae non datur, urgeri non potest; in altero casu censuratus obligationi suae satisfacit nec amplius est debitor satisfactionis praestandae. — Quodsi Ordinarius non data nec promissa satisfactione *valide* absolvit, ratio videtur esse, quae traditur cap. 7 de sent. excom. V, 11 in Sext. « quoniam etsi contra ius *litis* non tamen contra ius *constitutionis* absolvit », non quia Superior in lege sua *valide* etiam sine causa dispensat; nam ex communi doctrina hic *ordinarius* prout opponitur *delegato*, intelligitur qui habet ordinariam potestatem absolvendi in casu, sive quia ipse de lege a se facta iudicat de sententia inferioris, sive quia *iure* ei competat potestas absolvendi a sententia Superioris, v. gr. Episcopus in censuris

266. **Modus concedendi absolutionem** a censura est multiplex (169). Atque imprimis sicut censura a iure aut ab homine infligi potest, ita etiam a iure vel ab homine absolutio est permessa; attamen ordinarius modus est absolutio ab homine.

Praeterea est modus absolvendi simplex et *absolutus*, quo reo emendato et a contumacia recedenti simpliciter et absolute datur absolutio. Modus vero *condicionatus* in hoc consistit, quod absolutioni condicio de praeterito sive de praesenti sive de futuro ita apponatur, ut illa condicione deficiente ipsa censurae absolutio omnino corruat. Qua in re nequit dubitari, quin etiam appositio aptae conditionis de praeterito vel de praesenti, valori et per se etiam liceitati non obstat. Immo condicio quoque de futuro valorem absolutionis non impedit, nam neque ex natura rei neque iure divino positivo, ut in sacramentali absolutione a peccatis, neque iure canonico prohibetur, atque vel ipsa inflictio censurae condicionata in iure est permessa (170); attamen modus iste absolvendi, utpote alienus ab usu Ecclesiae atque rationibus convenientiae et prudentiae ordinarie non commendatus, regulariter in praxim non est deducendus.

papalibus occultis. At etiam Ordinarius *illicite* absolvit, tum ob iniuriam parti factam, tum quia *violat iuris ordinem*. *Schmalzgr.* h. t. n. 101; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 183. Delegatus vero certe ob easdem rationes *illicite* absolvit; sed praeterea etiam *invalidè* si condicio de satisfactione praestita vel promissa sit condicio sine qua non, quia in tali hypothese iurisdictione caret; quodsi illa condicio expresse non apponatur sed tantum clausula « *satisfacta parte* », absolutio videtur esse habenda valida cum *Sánchez*, *Reiffenst.*, *Pirhing* et aliis; nam ex natura rei sufficit *prohibitio*, non necessario requiritur *irritatio* actus, nisi speciali iure de contrario caveatur; condicio vero in illa clausula contenta eo modo censenda est appositae, quo continetur in iure communi, in iure autem communi non ponitur ut condicio, cuius defectus irritet actum; ergo etiam in delegato per se absolutionem non reddit nullam. *D'Annibale*, I, n. 41, 76, 352; *Lega*, l. c. n. 130 — Atque inde apparet quid sibi velit in materia absolutionis a censuris clausula addi solita in concessionibus facultatum « *iniunctis de iure iniungendis* », (cfr. v. g. Pagellam S. Paenitentiarum), scilicet praeter recessum a contumacia, iniungenda est satisfactio parti laesae praestanda et reparatio publici scandali, si adfuit. S. Paenit. 10 Dec. 1860 in Act. S. Sedis t. I, p. 566. *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 45, 46; cui duplici obligationi nunc adiungenda est obligatio recurrendi per litteras ad Superiorem, quando datur facultas absolvendi cum illo onere.

(169) *Suárez*, l. c. sect. 8; *Schmalzgr.* l. c. n. 103 sq.; *Kober*, l. c. p. 537.

(170) Cap. 40, X, de appell. (II, 28); *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 185 sq.; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 35.

Porro est modus absolvendi « *ad cautelam* » (171), quo cavetur damnum, quod ex ignorata vel dubia censura sive ipsi censurato sive aliis provenire potest v. gr. ex officio (172) vel privilegio ecclesiastico invalide concesso (173). Quodsi *Van Espen* aliique canonistae et Synodus quoque Pistoriensis absolutiones ad cautelam etiam usu praxique Ecclesiae probatas putarunt esse inefficaces mere styli clausulas et inutiles vanasque formulas, huiusmodi opiniones in Pii VI, Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794, pr. 48, tamquam falsae, temerariae, praxi Ecclesiae iniuriosae merito condemnatae sunt. Cfr. supra cap. XX.

Tandem existit modus absolvendi qui vocatur « *ad reincidentiam* » eo quod homo a censura certo cognita ita vere absolvatur, ut denuo in eandem specie censuram incidat, si opus sub censura praeceptum non exsequatur. Quae reincidentia potest esse a iure aut ab homine (174) statuta, et cum tantum incurratur si nova culpa gravis admittatur, cum contumacia coniuncta, ob omissionem operis iniuncti rationem quoque novae numero censurae habet. Quare reincidentia illa solummodo decerni potest ab eo, qui habet ius sive per legem sive per sententiam ferendi censuram (175).

Ab ista absolutione ad reincidentiam proprie dicta omnino distinguenda est altera, quae non nisi improprie absolutio ad reincidentiam dici potest, quatenus per illam censura in se non tollitur, sed solummodo determinatus quidam effectus censurae pro certo acto et tempore aufertur vel suspenditur (176). Quo tempore elapso sen-

(171) Cap. 40, 52 X, h. t. cap. 7 § 6, h. t. in Sext.; Forma absol. sacramentalis « in quantum possum et tu indiges »; *Suárez*, l. c. n. 12 sq.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 104; *Kober*, l. c. p. 541 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 201, 190.

(172) Cap. 9, X, de except. (II, 25); *Stremler*, l. c. p. 248.

(173) De singulari specie absolutionis ad cautelam cfr. cit. cap. 40, 52, X, h. t.; cap. 2, 7 § 6 h. t. in Sext.; *Schmalzgr.* l. c.; *Kober*, l. c. p. 543.

(174) Cap. 8, X, de off. iud. ord. 1, 31; cap. 22 h. t. in Sext.; S. C. C. in caus. Cassan. 26 Apr. 1749; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 191 sq. *Lega*, l. c. n. 115; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 35; *D'Annibale*, I, n. 354; ubi not. 19 censet. post Const. « *Apostolicae Sedis* » non amplius habere locum *ipso iure* reincidentiam; at certe per decreta S. Officii saltem instaurata est poena reincidentiae in censuram contra eos, qui postquam in casibus recentioribus a reservatis R. Pontifici absoluti fuerunt ab inferiori, non recurrunt intra mensem saltem per epistolam, ut iam monuit idem *D'Annibale* in ultima editione Summulae et expresse tradit in Commentario in Const. « *Apost. Sedis* » (a. 1894) n. 230, 231. Codex autem de novo firmavit can. 2252, 2254.

(175) *Suárez*, l. c. sect. 8, n. 10 sq.; *Stremler*, l. c. p. 246 sq.

(176) Cap. 38, i. f. X, de testib. II, 20; *Ballerini-Palmieri*, n. 190.

tentia censurae inflictae sine nova culpa denuo plenam suam vim exserit.

267. *Forma* quaedam absolutionis omnibus censuris communis, quae ad valorem sive *substantiam* actus requiratur, iure positivo non est praescripta (177). Quare sufficit et requiritur, ut absolutio iis verbis signisque sensibilibus (178) manifestetur, quibus inter homines de ablatione vinculi censurae constare possit. Hinc si *intentio* competentis Praelati ecclesiastici concedendi absolutionem a determinata *censura* certae *personae* sufficienter ex verbis vel signis vel circumstantiis patet, omnino valida est absolutio censurae neque v. gr. requiritur, ut scripto detur vel causa censurae exprimat. Ipse quoque Codex de remissione poenarum in genere convenientiam adstruit (can. 2239, § 2) ut poenae scripto inflictae remissio scriptis concedatur. At cum iam longo saeculorum usu (179) certae stabilesque formulae et sollemnitates accidentales tum in foro interno tum in foro externo sint introductae et authenticis libris liturgicis Ritualis et Pontificalis Romani approbatae, ab illis ad licitam censurae absolutionem concedendam in praxi nequit recedi, nisi iusta causa excuset. Ad hos provocat Codex citra rigorosum praeceptum in can. 2250. § 9: « Absolutio censurae in foro sacramentali continetur in consueta forma absolutionis peccatorum in libris ritualibus praescripta; in foro non sacramentali quolibet modo dari potest, sed ad excommunicationis absolutionem regulariter formam adhiberi convenit in eisdem libris traditam ».

Quodsi censurae inflictio publice denunciata fuit, etiam denuntiatio sive publicatio absolutionis proportionata est necessaria (180).

(177) *Suárez*, l. c. sect. 9; *Schmalzgr.* l. c. n. 98.

(178) At ne ipse quidem Rom. Pontifex praesumendus est, absolutionem censurati tacite sive factis concessisse, nisi id clare exprimat. Cfr. cap. 41 X, h. t., cap. 4 h. t. in Clem.

(179) Cfr. c. 108, C. XI, q. 3; cap. 28 X, h. t.; *Kober*, D. Kirchenbann p. 551 sq., D. Suspens. p. 141; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 171; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 46 sq.

(180) *Suárez*, l. c. sect. 10, n. 3; *Kober*, l. c. p. 558.

CAPUT XXII

De excommunicatione

I. Nomen, notio, divisio, origo excommunicationis

268. Nomen. Excommunicatio (*ἀπορισμός*) antiquo Ecclesiae usu in iure Decretalium (1) comprobato est vocabulum artis, quo prima ex tribus speciebus denotatur, quae sub communi genere censurae comprehenduntur. Primis saeculis, quamvis in designanda excommunicatione maxima esset varietas, tamen diversa illa vocabula diverso modo substantialiter eandem rem denotarunt (2). Attamen praeter vocabula voci excommunicationis affinia maxime in usu fuit verbum « *anathematis* » (*ἀνάθεμα*). Quod verbum ex Sacra Scriptura (3) desumptum mox in foro ecclesiastico (4) frequenter adhibetur ad designandam *perfectam* sive totalem *exclusionem* ab Ecclesia Christi, atque etiam in Ecclesia latina usque ad Concilium Tridentinum (5) verba excommunicationis et anathematis promiscue adhibentur (6). Hinc si in canonibus antiquis (7) ante collectionem Gregorii IX interdum excommunicatio et anathema sibi videntur opponi, prius vocabulum potius *excommunicationem quandam minorem* (8), anathema vero *maiorem* denotavit excommunicationem. At postquam Gregorius IX cap. 58, X, de sent. excom. V, 39 declaravit, verbo excommunicandi simpliciter prolato significari maiorem excommunicationem, oppositio inter excommunicationem et anathema, si

(1) Cap. 20, X, de V. S. V. 40.

(2) Kober, D. Kirchenb. p. 52 sq.

(3) Num. XXI, 3.

(4) Cfr. Symbol. Nicaen. (a. 325) i. f. « τούτους ἀναθεματίζει ἡ... ἐκκλησία »; Conc. Gangr. (a. 362-370?) i. f. canonum « ἀνάθεμα ἔστω »; Hefele, Konziliengeschichte tom. I, p. 791 sq.

(5) Sess. XXV, cap. 3 de ref. « *excommunicationis gladius* »; « *anathematis mucrone... ferire poterit* »; Suárez, l. c. disp. VIII, sect. 2, n. 2 sq. 6.

(6) *Devoti*, Instit. canon. lib. IV, tit. 18 § 7; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 9 not. 2.

(7) Cfr. u. 24 Conc. Turon. (a. 567); c. 56 Conc. Melden. (a. 845) = c. 41. C. XI, q. 3; Ioann. VIII, scr. a. 876 in c. 12 C. III q. 4, cum. dict. Grat.; *Kober*, l. c. p. 37 sq.

(8) Suárez, l. c. n. 9; *Kober*, l. c. p. 38; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 7 sq.

occurrat, ita accipienda est ut anathema significet *sollemnem* excommunicationem pro gravioribus delictis ab Episcopo parato amictu etc. latam, excommunicatio vero *simpliciter* intelligi debeat de maiore excommunicatione, quam iudex ecclesiasticus sine sollemnitate per sententiam scriptam legendo promulgat. Quae distinctio secundum analogiam divisionis voti sollemnis et simplicis non est substantialis, sed mere accidentalis ideoque duplicem quandam veram *speciem* excommunicationis totalis non constituit (9).

Quodsi praeunte S. Apostolo Paulo (10) verbo anathematis additur *Maranatha*, huiusmodi verbum, prout occurrit in legibus ecclesiasticis (11), refertur ad tempus futurum et significat « *donec Dominus redeat* ». Quae forma profecto auget extrinsecam sive accidentalem sollemnitatem excommunicationis, sed novam poenam non addit neque necessario illo rigore est intelligenda, quasi quis exinde absolute et sine ulla spe reconciliationis sit ab Ecclesia separatus (12), ut complures scriptores arbitrati sunt (13).

269. Notio. Excommunicatio in genere recte definitur: *Censura, qua quispiam separatur ab ecclesiastica communione fidelium* (14).

Qua in definitione omissis non paucis verbis superfluis v. gr. « *ab Ecclesia instituta* » (15), verbum censurae denotat genus, cuius prima et praecipua species est excommunicatio (16), quo excommu-

(9) Cfr. c. 106 C. XI, q. 3 = Cap. incert. auct.; cap. 10, X de iudic. II, 1; Pontificale Rom. in ord. excom.; Suárez, l. c. disp. VIII, sect. 2, n. 7, 8, sect. 3 sq.; *Hollweck*, l. c. p. 114.

(10) I Corinth. XVI, 22; *Cornely*, S. J. Commentarius in I ep. ad Cor. p. 531 sq.

(11) Cfr. c. 30, C. XXIII, = cap. apocryph. Silverti; c. 75 Conc. Tolet. IV, (a. 663); c. 10 Conc. Tolet. XVI (a. 693); c. 13 Conc. Troleiens. (a. 909).

(12) Suárez, l. c. sect. 2 n. 7; *Hefele*, l. c. tom. I p. 155; *Binterim*, Denkwürdigk. V, 2 p. 267 sq.; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 8 sq.

(13) V. g. *Kober*, l. c. p. 42 sq. Cfr. quoque *Benedict. XIV*, De synod. dioec., lib. X, cap. 1 n. 7.

(14) Suárez, l. c. disp. VIII, sect. 1; *Hollweck*, l. c. § 45; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 48; *Hinschius*, l. c. tom. IV, p. 747 sq. satis confuse de poenis ecclesiasticis philosophatur et imprimis sine ullo solido fundamento et arbitrariis interpretationibus innixus contendit, primis quinque saeculis excommunicationem non fuisse censuram, sed poenam vindicativam.

(15) Suárez, l. c. n. 2 sq.

(16) Cap. 20 X de V. S. V. 40; Suárez, l. c. n. 1.

lummodo erant notorii percussores clerici, etiamsi a iudice ecclesiastico denunciati non essent et praeterea ii, in quos sententia excommunicationis a iudice ecclesiastico nominatim lata et publicata (28) aut specialiter et expresse publiceque denunciata esset. Reliqui excommunicati ideo dicebantur tolerati, quod *fidelibus* (29) cum illis *permissa* erat communicatio in humanis et civilibus atque aliqua ratione etiam in divinis; at minime « arbitrari debuerunt catholici, fas sibi esse *indistincte* cum haeticis quamvis non denunciatis in rebus *sacris* et *divinis* communicare » (30).

substantiam non accurate quoad verba relata, habetur in Act. Conc. Basileensis et in Concordato Leonis X cum Francisco I a Conc. Lateranensi V approbato. Illud vero praesertim est animadvertendum, inter utrumque textum discrimen esse substantiale maximique momenti; quod in textu qui dicitur Concilii Constantiensis solus *notorius clericus percussor* est vitandus praeter eos, « qui specialiter et expresse per sententiam a iudice publicatam vel denuntiata » fuerint excommunicati; at in altero textu, praeter nominatim excommunicatos vel ut tales denunciatos, declaratur vitandus, nulla facta distinctione in delictis, omnis notorie excommunicatus « *aut si aliquem ita notorie excommunicationis sententiam contiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari* ». Cui discrimini accedit alterum non minoris momenti, quod solum in hoc altero textu habetur clausula finalis, qua excluditur intentio aliquem favorem praestandi ipsis excommunicatis, qui per Const. declarantur tolerati: « *Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos seu prohibitos, non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari* ».

Fatendum est solam hanc alteram lectionem referre dispositiones coherentes cum principiis iuridicis et cum fine concessionis atque cum querelis non undequaque iniustis, quae illi ansam dederunt (*Hollweck*, l. c. § 48. not. 1); nihilominus iam *Navarrus* l. c. n. 35, concessit posse probabiliter teneri illam Constitutionem non fuisse receptam nisi cum sola illa limitatione de excommunicatione ob notoriam percussionem clerici et multo magis deinde post *Suarezium* disp. IX, sect. 2, n. 5, idem tenuerunt doctores fere communi consensu, cui deinde certe in lege favorabili tuto stari potuit. Cfr. *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 217 sq.; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 51 sq.; *Hollweck*, l. c. Immo, *de iure ferendo*, illa unica exceptio de notorio percussore clerici, cuius iuridica ratio non satis intelligitur, facile posset abrogari, et quoad obligationem urgendi *publicos* effectus censurarum melius insisti posset in *sententia iudicis* condemnatoria aut declaratoria censurae incursae, quae sententiae generatim *publice* innotescunt, aut saltem *iuridice publicum* reddunt factum quod quis sit determinata censura innodatus. -- Cui desiderio apta quadam ratione Codex fecit satis.

(28) *Kober* l. c. p. 257 sq.

(29) Quare ex tenore decreti Martini V, ipsis excommunicatis nullus favor novus fuit concessus. Cfr. *Kober*, l. c. p. 265.

(30) *Bened. XIV*, De synod. dioec. lib. VI, cap. 5, n. 2.

Ante Const. Martini V, omnes excommunicati erant vitandi, cum hoc tamen discrimine, quod, hi quorum excommunicatio erat publice nota, publice et ab omnibus erant vitandi; hi vero, quorum excommunicatio erat occulta seu publice minime nota ab illis erant vitandi qui excommunicationem novissent. Inde facile oriebantur dubia, anxietates et scandala, quae dederunt occasionem disciplinae a tempore Martini V inductae.

Codex alia ratione providit, mutatis condicionibus requisitis ut quis sit vitandus et nonnullos effectus excommunicationis quae alios fideles respiciunt decernendo non induci nisi per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam.

Itaque ex can. 2258 « nemo est vitandus nisi fuerit nominatim a Sede Apostolica excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denunciata, et in decreto vel sententia expresse dicatur ipsum vitari debere ». Additur tamen exceptio de eo qui sive occulte sive publice violentas manus in personam Rom. Pontificis iniecerit, qui *ipso facto* est vitandus (can. 2243, § 1 n. 1).

271. Origo. Dubium existere non potest, quin *potestas* infligendi excommunicationem ex natura rei omni societati quoad substantiam propria (31) ab ipso Christo Domino Ecclesiae etiam directe et positive collata sit (32); ipsa vero excommunicationis *institutio*, quam ratio naturalis suasit et praxis populorum, praesertim Hebraeorum (33), commendavit, proxime ex iure *ecclesiastico* (34) est repetenda, quemadmodum supra de censuris universim spectatis iam fuit demonstratum.

(31) *Kober*, l. c. p. 1 sq.

(32) *Matth.* XVIII, 15 sq.; *Suárez*, l. c. disp. I, sect. 2; *Kober*, l. c. p. 8 sq. *Devoti*, Inst. canonic. lib. IV, tit. 18 § 2; *Hollweck*, l. c. p. 114; *Hinschius*, l. c. tom. IV, p. 691, not. 3, 6, gratuitis suis *assertionibus* sine ulla ratione prolatis vim argumentorum, quae ex variis textibus sacrae scripturae a viris catholicis petuntur v. g. ex cit. text. S. *Matth.*, certe elidere non potuit.

(33) *Kober*, l. c. p. 2 sq. Inde tamen vel ipso *Hinschio* fatente (l. c. not. 2) minime cum *Vitringa* asserendum est, excommunicationem christianam repetere originem suam historicam ex Hebraeorum excommunicatione atque consulto in illius imitationem institutam esse.

(34) *Suárez*, l. c. disp. II, sect. 1, 2; disp. VIII, proem. Quare si *Kober*, l. c. p. 14 sq. excommunicationem dicit esse « *divinam institutionem* », id ad *potestatem* excommunicandi est restringendum. Cfr. *Devoti*, l. c. not. 2.

II. De subiecto activo et passivo, obiecto, condicionibus, modis, formaque excommunicationis (35)

272. Cum quae supra de censuris universim spectatis in hac re disputata sunt, maxime excommunicationi convenient, ommissa fusiore tractatione potius brevis tantum instituenda est repetitio, et pauca solummodo sunt subiungenda, quae forte specialem disputationem merentur.

273. *Subiectum activum* potestatis excommunicandi, quam vel ipsis reformatoribus fatentibus (36) Christus aliqua ratione dedit Ecclesiae suae (37) nequaquam radicaliter et proprie est penes « *universitatem Ecclesiae* » atque nonnisi quoad exercitium penes Episcopos aliosque ministros Ecclesiae de consensu saltem praesumpto totius corporis, ut *Quesnel, Dupin, Van Espen, Febronius* falso docuerunt (38).

Immo potestas ferendi excommunicationem imprimis supremo plenoque iure propria est Romano Pontifici. Competit quoque Episcopis (39) aliisque Praelatis et congregationibus ecclesiasticis supra h. t. § 1 enumeratis et in usu suae iurisdictionis non impeditis vel ligatis. Quodsi Praelati inferiores et imprimis Episcopi legitime ferunt excommunicationem, profecto huiusmodi excommunicatus *ubique terrarum* tenetur ab omni fidelium communicatione, et omnes fideles ubique obligantur vitare excommunicatum modo in nova disciplina constituto. At universalis ista vis et efficacia *excommunicationis* proxime et immediate non est repetenda ex iure quodam *divino*, neque eo progrediendum est, ut Episcopi non vi potestatis ordinariae, sed solummodo tamquam delegati Sedis Apostolicae excommunicationem dicantur infligere. Quamvis enim indubitatum sit, Episcopos pro sua *particulari* iurisdictione

(35) *Suárez*, l. c. disp. XVIII. sect. 1 sq.; *Kober*, l. c. p. 64 sq.

(36) *Kober*, l. c. p. 16 sq.

(37) *Devoti*, Inst. canon. lib. IV, tit. 18 §§ 3, 12.

(38) Clemens XI Const. « *Unigenitus* » 8 Sept. 1713, prop. 90 apud *Denzinger-Bannwart*, Enchirid. n. 1440; *Devoti* l. c. § 12, not. 2; *Kober* l. c. p. 64 sq.

(39) *Sollemnis* excommunicatio (anathema) ex iure communi a solis Episcopis, non ab aliis inferioribus Praelatis infligi potest. Cfr. *Kober* l. c. p. 73 not. 3 p. 77 sq.; *Hinschius* l. c. tom. V. p. 8 not. 3 p. 278 sq.

non posse *instituere* excommunicationem cum vi illa et efficacia *universali*, tamen postquam hoc genus censurae usu nunc receptum interveniente auctoritate *Ecclesiae* sive Romani Pontificis *institutum* est, nihil amplius obstat, quominus Episcopus excommunicationem infligat cum omnibus effectibus ex institutione Ecclesiae *iureque communi* illi adnexis (40)

274. *Subiectum passivum* excommunicationis capax imprimis debet esse homo viator vivens hac vita mortali (41), adultus, et rationis compos, baptizatus, vere subiectus alteri tamquam superiori, certa et sufficienter determinata persona, quemadmodum patet ex dictis de censuris in genere h. tom. Excommunicatio vero nunquam promulgari potest in universitatem vel collegium vel communitatem ut communitatem, sed directe in illas dumtaxat determinatas personas singulares et physicas de collegio vel universitate, quas culpabiles esse constat (can. 2255) (42); etenim bona quibus excommunicatio privat, principaliter sunt personalia et vere punire innocentem est absurdum; id autem contingeret, si excommunicatio promulgaretur in communitatem. Ceteroquin Ecclesia excommunicationem infligere solet sine acceptatione personarum, ita ut ne Episcopi quidem aliique Praelati infra R. Pontificem ab excommunicatione, generali lege vel sententia per competentem superiorem lata, sint immunes, nisi speciatim et expresse de contrario caveatur; etenim in iure communi nullus existit textus, quo Episcopis generaliter huiusmodi favor concedatur (43).

Similiter reges (44), quamvis ex disciplina vigente ab Episcopis aliisque Praelatis infra R. Pontificem excommunicatione plecti non

(40) Cfr. c. 5 Conc. Nicaen. (a. 325); cap. 3 § 1 X. de privil. V. 33; *Suárez* l. c. disp. XVIII. sect. 1 n. 4 sq.

(41) De excommunicatione defunctorum cfr. *Kober* l. c. p. 90 sq.

(42) Supra n. ex can. 2255 Cfr. cap. 5 h. t. in Sext. (Innoc. IV. in Conc. Lugdun. I, a. 1245); *Suárez* l. c. disp. XVIII sect. 2 n. 2; *Kober* l. c. p. 98. Quod principium verum in praxi de facto fuisse violatum, constat v. g. ex c. 1 C. XXIV. q. 3 (S. August.); at huiusmodi praxis iam a S. Augustino l. c. fuit reprobata neque cap. 11, de except. II. 25 a Gregorio IX. approbationem consecuta est ut videtur insinuare *Hinschius* l. c. tom. V. p. 16.

(43) Cap. 4 h. t. in Sext.; *Suárez* l. c. n. 4 sq.; *Kober* l. c. p. 118 sq. 100 sq.; *Hinschius* l. c. tom. V. p. 75, sq. 277 300, sq. 327 sq.

(44) *Kober* l. c. p. 108 sq.

possint (45), tamen Romani Pontificis sententiis excommunicationis sive in iure sive ab homine latis etiamnunc manent subiecti (46).

Pari ratione alii privilegiati a solo Romano Pontifice vel Legato ab eius latere misso excommunicari possunt (47).

275. Quae de causa (48) sive *obiecto* censurarum in genere disputata sunt, maxime conveniunt excommunicationi maiori. Quare non solum de iure ordinario et communi (49), sed etiam de extraordinaria et absoluta potestate Romani Pontificis numquam ob culpam levem sive venialem valida excommunicatio ferri potest. Nam Romanus Pontifex nihil iuste valideque statuere potest, quod est manifeste contra ius naturale scl. ut ob culpam levem gravissima poena excommunicationis decernatur. At quamvis omnino sit concedendum, Praelatos ecclesiasticos haud raro temere et praecipitanter levesque ob causas excommunicationem inflixisse, tamen Romani Pontifices et Ecclesia universalis tales abusus numquam suis legibus generalibus approbarunt. Cfr. c. 8, 41, 42, C. XI, q. 3; cap. 48. X. h. t. et Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 3, de ref. (50). Quare quae *Hinschius* l. c. tom. V, p. 270 sq. reprehendenda esse putat, nituntur ipsius praeiudicatis opinionibus et non satis attento discrimine inter delicta *in se* gravia (51), sed levia vel potius minora, si cum criminibus atrocioribus comparentur (52).

(45) Quae disciplina paulatim introducta est privilegiis Sedis Apostolicae quibus non pauci reges et principes et ipsorum familiae sine consensu Romani Pontificis ab inferioribus Praelatis excommunicationi subiecti non potuerunt; cfr. *Hinschius* l. c. p. 328 not. 2 sq.; *Kober* l. c. p. 122 sq. At iure antiquo hac in re principes a iurisdictione Episcoporum vel Legatorum non fuerunt exempti. Cfr. c. 11 C. XI q. 3; *Hinschius* l. c. p. 301 sq. Cfr. supra n.

(46) *Kober* l. c. p. 123

(47) Cap. 1 de V. S. V. 22 in Sext.; cap. 1 de priv. V. 7 in Sext.; *Kober* l. c. p. 123; *Hinschius* l. c. p. 328 sq.

(48) *Suárez* l. c. disp. XVIII Sect. 3; *Kober* l. c. p. 130 sq.

(49) Cap. 48 X h. t.; cap. 5 h. t. in Sext.; Conc. Trid. Sess. XV cap. 3 de ref.

(50) *Kober*, l. c. p. 138 sq.; *Benedictus XIV*, De Synod. dioec. l. X, cap. 1, n. 2.

(51) *Suárez*, l. c. disp. IV, sect. 4 n. 3 sq.; *Benedictus XIV*, l. c. n. 3; *Kober*, l. c. p. 143 sq.

(52) De iniusta aut invalida excommunicatione, cfr. *Suárez*, l. c. disp. IV, sect. 6. 7; *Kober*, l. c. p. 202 sq. Supra h. tom. n. 157 sq.

276. Excommunicatio quoque duplici modo ferri potest scl. a iure atque ab homine (53). Quodsi a iure feratur, omnes illae condiciones requiruntur, quae generatim ad sollemnitatem substantialem vel accidentalem iustae legis requiruntur. In ferenda autem excommunicatione ab homine necessario praecedere debet canonica monitio (54) et citatio et probatio. Quae monitio in excommunicatione ipso iure inflictata est superflua (55), nisi in iure expressa statuatur exceptio (56); ipsa enim lex est sufficiens et perpetua admonitio. Attamen si excommunicatio in iure expressa sit tantum ferendae sententiae, monitio praevia ante sententiam latam omnino requiritur (57). Praevia autem citatio et indagatio iudicialis etiam requiritur, antequam procedatur ad publicam denuntiationem excommunicationis ipso iure inflictatae, nisi factum sit notorium (58). Denique iudicialis sententia excommunicationis ferenda et promulganda est in forma a iure praescripta (59), neque omittendae sunt eae sollemnitates, quae speciali ratione ad ferendam sententiam excommunicationis requiruntur (60), v. g. iudex ecclesiasticus causam excommunicationis sententiae inserat necesse est, si fuerit requisitus, exemplum sententiae infra mensem excommunicato tradere tenetur (61).

Post promulgationem sententiae excommunicationis sequitur ipsius divulgatio sive *denuntiatio* (62). Quae denuntiatio excommunicationis pendet a prudenti arbitrio iudicis ecclesiastici (63), nisi speciali iure (64) sit praescripta et quoad formam modumque determinata

(53) *Suárez*, l. c. disp. XVIII, sect. 4; *Kober*, l. c. p. 145 sq.; *Hinschius*, l. c. tom. V, p. 118 sq., 130 sq. demptis arbitrariis assertionibus.

(54) Cap. 48 X h. t.; cap. 26 X de appell. II, 28; cap. 3, 7, 13 h. t. in Sext. Supra h. tom. cap. 21.

(55) Cit. cap. 26 X, de app.

(56) Cap. 2 i. f. de stat. monach. III, 10 in Clem.

(57) *Kober*, l. c. p. 155 sq.

(58) S. C. C. in caus. Albintimilien. 18 Jun. 1746; *Kober*, l. c. p. 166 sq.

(59) Cap. 1 h. t. in Sext.; *Kober*, l. c. p. 168 sq. Ex iure Codicis sunt sollemnitates propriae alicuius sententiae.

(60) Cit. cap. 1, h. t. in Sext.; *Suárez*, l. c. disp. III, sect. 13, n. 1 sq., 8 sq.; *Kober*, l. c. p. 174 sq. Cfr. superius cap. praec. dicta de determinatione censurae.

(61) De aliis sollemnitatibus accidentalibus cfr. Pontif. Rom. in ordine excom.; *Kober*, l. c. p. 176 sq., 194 sq.

(62) Pontif. Rom. in ord. excom.; *Suárez*, l. c. disp. III, sect. 14; *Kober*, l. c. p. 177 sq.

(63) *Suárez*, l. c. n. 4, 5; *Kober*, l. c. p. 179 sq.

(64) Cap. 9 X, h. t.; cap. 1 de poen. V, 6 in Clem.

neque contraria consuetudine abrogata. Quodsi post latam sententiam excommunicationis appellatio interponatur, minime idcirco denuntiatio impeditur vel suspenditur (65). Neque inferior praelatus denuntiationem excommunicationis a superiore Praelato iniunctam arbitrarie omittere potest, quam ipse iniustam esse opinatur (66).

Contra iniustam vel invalidam sententiam excommunicationis Ecclesia in foro externo indulget amplissimum appellationis remedium (67). Cfr. dicta supra n. 249 sq.

III. De effectibus excommunicationis

277. Generalis effectus est *totalis* privatio ecclesiasticae communionis et bonorum quae ex illa derivantur, sed modo definito in vigente disciplina, in qua cum pauci sint excommunicati vitandi, *ferè* distinctio quae antiquo iure intercedebat inter vitandos et toleratos, facta est inter excommunicatos post sententiam et excommunicatos citra sententiam.

Excommunicationis effectus dividi possunt in *ordinarios* et *immediatos*, qui ab ipsa directe derivantur et *extraordinarios* et *mediatos*, qui proveniunt ex facto posteriori.

Quoniam autem non in omnibus excommunicatis eandem vim exerunt, praesertim in relatione ad alios fideles, oportet in hac re distinguere: 1° *simpliciter* excommunicatos; 2° excommunicatos *post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam*; 3° excommunicatos *vitandos*.

278. I. **Privatio indulgentiarum, suffragiorum, publicarum Ecclesiae precum** (can. 2262). Quae privatio (68), principem locum occupat vi cuius excluduntur a *communibus suffragiis* Ecclesiae, quae ex sacrificio missae totius Ecclesiae nomine oblato, ex publicis ministrorum officiis et orationibus, ex publico et communi thesauro satisfactionum Ecclesiae per indulgentias Praelatorum auctoritate applicatas fidelibus provenire solent (69). Quae *publica suffra-*

(65) Cap. 53 X, de appell. II, 28; cap. 8 de off. iud. ord. I, 31.

(66) Cap. 28 § 3 de off. et p. i. d. I, 29; Suárez, l. c. disp. III, sect. 15; Kober, l. c. p. 181 sq.

(67) Conc. Nicaen. (a. 325) c. 5; Kober, l. c.

(68) Suárez, l. c. disp. VIII prooem.

(69) Cfr. cap. 28, 38 X, h. t.; prop. 23 Lutheri damnata a Leone X Const. «*Exurge Domine*» 16 Maii 1520. Catech. Rom. P. I, cap. 10, q. 23, 24; Suárez

gia nomine Ecclesiae *ab eius ministris* dispensata, distinguuntur a *privatis* quae fiunt proprio fidelium nomine et ab his per modum donationis aliis fidelibus applicantur, in vim communionis quae habetur directe cum Deo independenter ab Ecclesia. Haec ergo excommunicatos etiam vitandos non privat *privatis* fidelium suffragiis (70) et orationibus. Consequenter ad privationem communium suffragiorum omnino prohibitum est publice orare pro excommunicatis vivis aut defunctis nondum absolutis aut ipsis communia Ecclesiae suffragia applicare (71), nisi in casibus ab ipsa Ecclesia exceptis v. g. in feria sexta Parasceves (72).

Quae prohibitio etiam iure praecedente pertinebat ad omnes excommunicatos etiam ad *toleratos*, dummodo de excommunicatione publice constaret non obstante decreto Martini V «*Ad evitanda*» (73); multo magis ad ipsos quoque haereticos vel schismaticos toleratos qui in externa et notoria haeresum professione defuncti sunt (74). Cfr. Instr. S. C. Inquis. 10 Maii 1753; Collec. Lac. tom. II, p. 532 sq. et in ind. V. Haeretici II.

At sicut *privatim* orare pro excommunicato non est prohibitum; ita etiam non est prohibita *privata* et *secreta* missae applicatio, sive pro excommunicato vivo ad impetrandam eius conversionem et resipiscentiam, quam profecto intendit Ecclesia per censuram sive poenam medicinalem, sive etiam pro defuncto, quando notorie non constat de eius mala fide et defectu resipiscentiae, modo

l. c. disp. IX, sect. 1, n. 2; Kober, l. c. p. 238 sq., ubi etiam refert praxim Ecclesiae antiquae delendi nomina excommunicatorum ex diptychis; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 249 sq.

(70) Suárez, d. 8 sect. 5; Kober, l. c. p. 243, 276 sq. demptis nonnullis minus accuratis assertionibus.

(71) Cit. cap. 28, 38 X, h. t.; Suárez, l. c. n. 4 sq. sect. 3, n. 1 sq.; Kober, l. c. p. 273; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 388.

(72) Kober, l. c. p. 272 sq. de precibus publicis pro *vivo* principe civili et acathotico.

(73) Ita Suárez, l. c. sect. 2, n. 16 sq.; Kober, l. c. p. 268 sq.; De vi atque ambitu illius decreti cfr. Suárez, l. c. sect. 2; Kober, l. c. p. 245 sq.; *Benedictus XIV*, De Synod. dioec. lib. XII, cap. 5 n. 4; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 335 sq.; *Hefele*, l. c. tom. VII, p. 357; supra n. 269 cum nota.

(74) *Gregorius XVI*, epist. ad Episc. August. in Bavar. 16 Febr. 1842, de defunctis in externa et notoria haeresum professione, et 19 Iul. ad Abbat. monast. Scheyern.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 252 sq.; *Benedictus XIV*, de Synod. dioec. lib. VI, cap. 5, n. 2; Kober, l. c. p. 317.

scandalum vitetur (75). At intentionem impetratoriam minister Missam applicans pro excommunicato vitando solum dirigere potest ad obtinendam ipsius conversionem non ad obtinenda temporalia beneficia v. gr. ad recuperandam sanitatem.

279. Privatio receptionis sacramentorum. (can. 2260). Praeter privationem communicationis spiritualis, et quodammodo *internae*, de qua in effectu praecedenti, excommunicatio inducit etiam privationem communicationis *externae* in rebus sacris (76). Inter res illas sacras primo recensenda sunt *sacramenta*, a quorum *usu passivo* ita arcet, ut nullus excommunicatus ea licite, nisi legitima causa excusetur, recipere valeat (77), quamvis valida sit huiusmodi sacramentorum susceptio, dummodo excipiatur sacramentum paenitentiae *mala fide* susceptum. Inde sequitur, ministros Ecclesiae excommunicatis sacramenta licite (78) administrare non posse aut ad ordines promovere (can. 2265) inclusis etiam ordinibus non sacramentalibus et prima tonsura (can. 949). Excusatio in excommunicato notorio vel ob sententiam publico, vix dabitur et idem dicatur de ministro qui ipsi sacramentum ministrat; de occulto standum est canoni 2232. Ut ergo excommunicato vitando ministrari possit sacramentum, prius ab excommunicatione, servatis servandis, a persona competente absolvendus est. Atque idem est dicendum de *haereticis* et *schismaticis*, qui post usum rationis pu-

(75) Cfr. *Benedictum XVI*, Const. « *Ex quo primum* » 1 Mart. 1736 §§ 23 sq., 27 sq. ubi citat cap. 28, 38 h. t. et alios textus interpretatur de *publica* missae celebratione et applicatione. *Aichner*, Compend. iur. eccl. § 51; *Gasparri*, De Eucharist. n. 483, 912; *Hollweck*, l. c. § 46, not. 6; *Lehmkuhl*, l. c. II, n. 176; *Pruner*, Moraltheologie (a. 1903) II, n. 1035; *Monitore ecclesiastico* (a. 1901) p. 26, 132. Fructus generalissimus habetur ex ipsa Christi institutione pro universa Ecclesia et non pendet ab Ecclesiae iurisdictione. Fructus specialis qui etiam dici solet *ministerialis* pendet a ministri applicatione et est simul impetratorius, propitiatorius et satisfactorius. Secreta applicatio per ministrum proderit excommunicato secundum eius actuale dispositionem et divinam dispensationem nobis ignotam.

(76) *Suárez*, l. c. disp. X; *Kober*, l. c. p. 280 sq.

(77) Cap. 32: 59 X, h. t.; cap. 10 X, de cleric. excom. V, 27; *Schmalzgr.*, h. t. n. 128.

(78) Cap. 8 de privil. V, 7 in Sext.; *Suárez*, l. c. sect. 2 n. 8 sq.; *Kober*, l. c. p. 284 sq. scl. quoad *toleratos* vetat ius divinum prohibens ministrare sacramenta *indigno*, quoad *vitandos* praeterea lex Ecclesiae in sententia excommunicationis contenta, cum illa ministratio contineat vetitam *communicationem in divinis*; *Wernz-Vidal*, t. IV, n. 347.

blice in secta haeretica vel schismatica vixerunt, quibus sacramenta ministrari non possunt antequam abiurata haeresi veram fidem professi sint (79).

280. III. Privatio confectionis sacramentorum (can. 2260). Excommunicatio privat potestate celebrandi sacrificium missae (80) et conferendi sacramenta sive *usu activo* sacramentorum (81). Quae prohibitio per se afficit omnes excommunicatos (82), nisi agatur de casibus in iure exceptis. Maximi momenti est illa exceptio, vi cuius « fideles a simpliciter excommunicato possunt ex qualibet iusta causa Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint, et tunc excommunicatus *requisitus* potest eadem ministrare neque ulla tenetur obligatione causam a requirente percontandi » (cit. can. § 2). Praeter hunc casum, excusant a prohibitione ignorantia probabilis in excommunicato (83), gravis necessitas recipientis aut grave incommodum ministri excommunicati (84) praesertim sese prodendi et infamandi. At haec excusatio, ut per se patet, non favet *notorio* excommunicato. Quodsi excommunicati non obstante Ecclesiae prohibitione celebrant missae sacrificium et sacramenta administrant, *valide* agunt (85); nec excipienda est administratio sacramenti paenitentiae ob defectum potestatis iurisdictionis, quae ad valorem sacramenti praeter potestatem ordinis in ministro requiritur; nam iure Codicis iurisdictio *simpliciter* excommunicato non aufertur sed exercitium prohibetur; qui proinde sine causis modo dictis illicite agit et quidem in vim censurae.

At ab excommunicato *vitando* et ab eo qui per *sententiam* est factus vel declaratus, fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem etiamsi praesens sit sacerdos ap-

(79) Quoad poenas ministri et aliorum qui violant hanc prohibitionem nunc standum est canoni 2238 § 2. Cfr. Const. « *Apostolicae Sedis* » n. 33, 47; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 53 sq.

(80) Cfr. cap. 4, 10, X de cleric. excomm. V, 27.

(81) Cap. 10 X, de cler. excom.; *Suárez*, l. c. disp. XI, sect. 1 sq.; *Kober*, l. c. p. 290 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 129.

(82) *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 255 sq.; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 55.

(83) *Suárez*, l. c. sect. 2; *Schmalzgr.*, h. t. n. 144 sq.; *Kober*, l. c. p. 298 sq.

(84) Cap. 9 X, de cleric. exc. V, 27; *Suárez*, l. c. sect. 1 n. 2 sq.

(85) Cfr. c. 6 II, 32 (Urban. II); c. 40 C. XXIV, q. 1 (S. Aug.); Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 4, 7 de paenit.; *Suárez*, l. c. n. 3 sq., 17 sq., 23 sq.; *Kober*, l. c. p. 291 sq.

probatus (can. 882), tum etiam, si alii desint ministri, cetera sacramenta et sacramentalia (can. 2261, § 3). Quare, ubi alii desint excommunicatus post sententiam etiam eucharistiam et extremam unctionem moribundo ministrat, ne is tanto praesidio in necessitate illa extrema privetur. Extra hanc hypothesim illicite; *paenitentiam* vero ne valide quidem ministrat, quia iurisdictione caret vel potius valido eius usu (can. 873, § 3). Parochus vero (et respective Ordinarius loci) per sententiam excommunicatus, non tantum illicite, sed etiam *invalide* assistit matrimonio nec potest *valide* alii dare licentiam ut assistat (can. 1095) § 1).

Quotiescumque excommunicati illicite celebrant sacrificium missae vel administrant sacramenta, incidunt in irregularitatem ob censuram violatam (86).

Qui ab excommunicato sine aliqua iusta causa, aliis ministris non deficientibus, sacramentum vel sacramentale petit, modo de excommunicatione ipsi certo constet, illicite agit et legem Ecclesiae frustrat, quae excommunicatum a ministrandis sacramentis et sacramentalibus arcet. Cum hodie adeo facile obtineri possit censurae absolutio, excommunicatus nondum absolutus praesumendus est peccator, nec licet sine proportionata causa partem habere in eius sacrilega administratione (87).

281. IV. Privatio assistentiae in divinis officiis. Privatatur (88) excommunicatus *assistencia passiva* in celebratione sacrificii missae et *usu* aliorum officiorum divinatorum (89); *caret iure* assistendi divinis officiis, ut dicitur can. 2259, § 1, secundum significationem, quam de divinis officiis tradit can. 2254, § 1, nisi ob ignorantiam, vitandum scandalum aut grave damnum excusetur. Habet tamen ius assistendi praedicationi verbi Dei, ex qua forte sperare licet fore ut ad deponendam contumaciam inducatur. Quae privatio summo rigore applicatur excommunicato vitando, ita ut vel ipsi fi-

(86) Arg. d. e. cap. 10 X, de cler. excom. V, 27; *Kober*, l. c. p. 306 sq.; *Suárez*, l. c. sect. 3; *Ballerini-Palmieri*, n. 257.

(87) *Suárez*, disp. XII, sect. 1, 2, l. c. n. 26 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 257, 370; *Kober*, l. c. p. 315 sq., 323 sq.; cap. 2 X, de ordin. ab Ep. I, 13; Const. « *Apostolicae Sedis* » n. 44.

(88) *Kober*, l. c. p. 319 sq. de moribus ipsorum paganorum; Const. Apost. lib. VIII, post. cap. 4 in ed. Card. Pitra, Hist. et monum. tom. I, p. 393 sq.

(89) Cfr. c. 1 § 1 D. 25 (S. Isidor.?) ; cap. 43, X. h. t.

deles (90) prohibeantur ab illa assistentia, si excommunicatus iisdem officiis divinis pertinaciter interesse velit, clerici (91) autem teneantur celebrationem divinatorum officiorum omittere aut etiam servatis servandis (92) interrumpere (93). — Si vero passive assistat *toleratus* non est necesse ut expellatur.

At ab assistentia *activa*, quae aliquam secumferat participationem in celebrandis divinis officiis, repellendus est non solum *vitandus* sed etiam quilibet post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam aut alioquin notorie excommunicatus (can. 2259, § 2).

282. V. Privatio sepulturae ecclesiasticae erat iure praecedenti effectus generalis (94). *Vitandi*, etiamsi cum signis poenitentiae ex hac vita migrassent, *ante* absolutionem datam ab excommunicatione in loco sacro sepeliri non potuerunt (95); *tolerati* autem, cum signis poenitentiae defuncti per se in loco sacro ante absolutionem sepeliri potuerunt (96), quamvis etiam illorum absolutio ab excommunicatione convenienter praemitteretur sepulturae ecclesiasticae. Quodsi excommunicatus vitandus et impenitens, in loco sacro sepultus fuisset locus ille sacer polluebatur atque expiatione indigebat (97).

Toleratus excommunicatus si absque poenitentiae signis decessit, locum sacrum, in quo illicite sepultus esset non polluit ideoque expiatio loci sacri non fuit necessaria (98).

(90) Cap. 18 h. t. in Sext.; cap. 8 de privil. V, 7 in Sext.

(91) Cap. 18 X, h. t.

(92) Cap. 16 X, h. t.; cap. 2 h. t. in Clem.; *Kober*, l. c. p. 325.

(93) *Suárez*, l. c. disp. XII; *D'Annibale*, l. c. n. 360, 362. Illa tamen obligatio expellendi excommunicatum vitandum vel a divinis officiis abstinendi nostris diebus singularem habet difficultatem, et facile mitior quaedam disciplina posset introduci, ne quod in odium delinquentis est statutum convertatur in scandalum et damnum fidelium; quae mitior disciplina iam ipsa praxi videtur esse comprobata. Quae moderatio disciplinae praecedentis facta est per clausulam « *dummodo id fieri possit sine gravi incommodo* ».

(94) Cfr. c. 1 (S. Leo) C. XXIV, q. 2; Cap. 12 X, de sepult. III, 28; cap. 1 de sepult. III, 7 in Clem.; *Schmalzgr.* h. t. n. 127; h. t. n. 127; *Suárez*, l. c. disp. XII, sect. 4; *Kober*, l. c. p. 330 sq.

(95) Cap. 28, 38, X, h. t.

(96) *Schmalzgr.*, l. c.; Rituale Rom. tit. 3, c. 4.

(97) Cap. 7, X, de consecr. eccl. III, 40, cap. unic. de consecr. eccl. III, 21, in Sext.; *Kober*, l. c. p. 337 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 266; *Hollweck*, l. c. p. 128, 159, 339; Conc. plen. Amer. lat. (a. 1899) n. 923, 926.

(98) *Suárez*, l. c. n. 5, 15

Iure Codicis inducta est nova moderatio in hoc effectu, qua facilius evitantur scandala. Non solum vitandus sed etiam iure notorius post sententiam privandus est sepultura ecclesiastica intellecta ad normam can. 1204, 1241 nisi ante mortem aliquod poenitentiae signum dederit (can. 2260, § 2, 1240). Ecclesia vel coemeterium ubi sepeliatur violatur (can. 1172, 1207); cadaver vitandi exhumandum est et in loco profano reponendum si id fieri sine gravi incommodo possit (can. 1242). Cfr. *Wernz-Vidal*, tom. IV, n. 586, 567. — *Notorie* excommunicatus a sepultura excluditur non vi censurae, sed quia publicus et manifestus peccator (can. 1240, § 1, n. 6). Idem valet de vitando ex can. 2343, si factum innotuerit.

Si privatio sepulturae remittitur ob signa data poenitentiae, locus est absolutioni quae dicitur dari post mortem i. e. ritui Ritualis Romani tit. III, cap. 4 (cfr. c. 28 X. V. 39). — De poenis in violatores (cfr. can. 2239 (99)).

283. VI. Remotio ab actibus legitimis. «Removetur excommunicatus ab actibus legitimis ecclesiasticis intra fines suis locis iure definitos; nequit in causis ecclesiasticis agere nisi ad normam can. 1654; prohibetur ecclesiasticis officiis seu muneribus fungi, concessisque antea ab Ecclesia privilegiis frui» (can. 2263). Est privatio *excommunicationis forensis*.

a) Actus legitimi sunt actus descripti in canone 2256, n. 2°.

b) Exclusio ab agendo non inducit in excommunicato, quem nulla sententia afficit, prohibitionem standi in iudicio etiam actoris nomine; attamen quilibet excommunicatus semper ab agendo repellitur potest sive ex officio, si adsit *notorietas facti*, sive praesertim ad instantiam partis *excipientis* de excommunicatione (can. 2263, 1654, 1628, § 3). Excommunicati vero *vitandi* vel post sententiam tales generatim ab agendo repelluntur *debent*, nisi agatur de impugnanda iustitia aut legitimitate ipsius excommunicationis, quo casu admittendi sunt ut personaliter agant; vel de avertendo quovis animae suae praeiudicio, quo casu per procuratorem agere permittuntur (can. 1654).

c) Prohibitio exercendi officia seu munera eccl. partim iam sequitur ex prohibitione assistendi active divinis officiis, partim ex prohibitione exercendi potestatem sive ordinis sive iurisdictionis.

(99) Cit. cap. 1 de sepult. III, 7 in Clem.; c. 2 pr. de haeret. V, 2 in Sext.; *Thesaurus*, De poen. eccl. v. Sepultura cap. 4, 5; *Kober*, p. 338.

Praeterea inter actus legitimos etiam officia et munera recensentur velut officium iudicis, auditoris, relatoris, etc., munus defensoris vinculi, promotoris iustitiae etc.

Quae prohibitio ad haec summam reducitur quoad officia et munera iam collata:

1°) Excommunicatus *non notorius* illicite exercet munera ecclesiastica (can. 2263), nisi ob infamiae periculum ab observanda censura excusetur ad normam can. 2232. Officium tamen eiusque stipendium servat, et actus vi muneris positi sunt validi.

2°) *Notorius de facto*, quem periculum amittendae famae non urget, debet ab exercendis muneribus absolute abstinere; sed pariter officium eiusque stipendium non amittit et actus ab eo positi similiter valet. Illicite praeterea agit patrinum in baptismo et confirmatione (can. 766, 796).

3°) Excommunicatus vel declaratus talis *per sententiam* etiam *invalidè* exercet iurisdictionem, quae forte officio seu muneri adnexa sit, sive interni sive externi fori (can. 2264), salva exceptione can. 2261 (100); privatur exercitio potestatis ordinis, quod a fidelibus peti non potest nisi in periculo mortis (can. 2261 § 3); nequit valide arbitri munere fungi (can. 1931) aut patrini in baptismo vel confirmatione (can. 765, 795), nec in iudicio admittitur ut *testis* nisi cum nota suspecti (can. 1757, § 2, n. 1). — Praeterea *ita* excommunicatus vel declaratus per sententiam fructibus quos ex munere vel pensione percepit manet eo ipso privatus (can. 2266), tametsi munus per alium exercent, a die quidem sententiae datae. Sed quaestio est num amittat etiam fructus praecedentes, omnes proinde qui ipsi correspondent a die incursae censurae, ut vult *Cappello* cum aliis, vel solum a data declaratione ita ut fructus ante declarationem perceptos non auferat, ut vult v. gr. *Roberti* n. 339, *Vermeersch-Creusen* III, n. 468. etc. Pro prima sententia adest ratio, quod fructuum amissio est effectus *censurae* non *declarationis* quae est tantum condicio praerequisita, et simul generale principium, quod sententia declaratoria «*poenam ad momentum commissi delicti retrotrahit*». Alii vident in nostro can. 2226 restrictionem generalis principii can. 2232, § 2, idque etiam dicunt inferri ex modo loquendi

(100) *D'Annibale*, l. c. n. 365; l. c. n. 365; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 362 sq.; *Lega*, l. c. n. 73 sq.; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 60; *Hollweck*, l. c. § 47 not. 6; *Schmalzgr.* V, 39; n. 156 sq.; *Aliter Suárez*, l. c. disp. XIII, sect. 2:

post sententiam. Prior sententia videtur verior; altera non videtur carere probabilitate (101).

284. VII. Excommunicatus quoad privilegia et gratias.

Prohibetur *concessis antea privilegis uti.* Intelligitur prohibitio de privilegiis *personalibus*, non de realibus aut localibus quorum existentia et usus non dependeat a persona, quae excommunicatione irretitur. — Ipsa autem privilegia non amittuntur: usus ergo erit illicitus, sed non invalidus. Cfr. can. 66, § 1, de *facultatibus habitualibus* accensendis privilegiis praeter ius; quibus proinde eadem applicanda erit iuris dispositio (cit. can. 2263). Quae facultates iam aliunde cessare possunt in excommunicato una cum iurisdictione (can. 2264), vel una cum prohibitione ministrandi sacramenta (can. 2261) aut exercendi officia divina (can. 2259, § 2). Excommunicatus per sententiam gratiam ullam pontificiam valide consequi nequit.

285. VIII. Excommunicatus quoad iura. a) *Simpliciter* excommunicatus *non notorius* nequit licite *ius praesentandi*, si ipsi aliunde competat, exercere (can. 2265, § 1), nisi ob periculum infamiae incurrendae ab observanda censura excusetur. Quod periculum per se non habetur in excommunicato *notorio*, isque proinde a praesentando abstinere debet.

Excommunicatus *per sententiam* aut ut talis *declaratus* et a fortiori *vitandus* iuspatronatus personale *valide* acquirere nequit (can. 1453, § 1); si *reale* acquirat vel personale iam possideat nequit iura patroni exercere donec, servatis servandis, absolvatur (can. 1470, § 4). Exercitium prohibitum valore careret; at subsequens declaratio non videtur actum ante positum infirmare attento tenore can. 2265, § 2.

b) *Electio et nominatio* eadem regitur norma. Quare 1^o quilibet excommunicatus nequit licite eligere vel nominare, nisi excusetur periculo incurrendae infamiae (can. 2265, § 1 — 2232, § 1). 2^o *Notorius de facto* numquam licite eligit vel nominat. 3^o *Notorius notorietatis iuris* (per sententiam), et a fortiori vitandus, inva-

(101) Suárez, l. c. disp. XIV, sect. 1 sq.; Schmalzgr. h. t. n. 163 sq.; Kober, l. c. p. 359 sq.; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 265; Hilarius a Sexten, l. c. p. 59; ctr. quoque c. 4, C, XXIV, q. 1 (Alex. II, a. 1061-69); cap. 8 X, de consuet. l. 4; cap. 24, X, de sent. et re, II, 27; cap. 1 de off. vic. 1, 13 in Sext.; Suárez, l. c. n. 2; Kober, l. c. p. 360 sq.

lide eligit vel nominat (can. 2265, § 2). In electione quae fit per suffragia, huius suffragium est nullum, sed electio valet si dempto suffragio nullo, electus requisitum suffragiorum numerum retulerit: electio tamen est ipso iure nulla, si scienter talis excommunicatus admissus fuerit (can. 167-2265).

286. IX. Excommunicatus quoad munera ecclesiastica

i. e. dignitates, beneficia, officia, quibus accedunt pensiones.

Antiquo quidem iure quaelibet collatio muneris ecclesiastici excommunicato cuilibet facta ut nulla habebatur; in quam rem invocabatur cap. *Postulastis* 7, X (Innoc. III) de clerico exc. ministr. V, 27, ubi edicebatur «Consultationi vestrae respondemus, quod cum excommunicatis communicari non debeat, clericis excommunicationis vinculo innodatis ecclesiastica beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea retinere licite, nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum, cum ea non fuerint canonice consequuti»; quibus accedebat cap. 1 (1, 3) in VI, quod potius agebat de impetratione per rescriptum. Introductum praecise fuit ad nullitatem in casu particulari evitandam, ut in rescriptis impetrationis adiungeretur absolutio quae dicta est *ad cautelam*.

Post inductam a Martino V distinctionem inter toleratos et vitandos, firmiter retenta inhabilitate vitandi, disputatum est de toleratis, aliis eandem affirmantes quia nullus favor intendebatur concedi toleratis, aliis negantibus quia beneficia et officia redundant in favorem fidelium. Priores tenebant (102) quamlibet provisionem canonicam beneficii ecclesiastici favore excommunicati, publici vel occulti, sive per collationem liberam sive per electionem vel confirmationem, sive per postulationem vel admissionem sive per praesentationem vel institutionem factam esse nullam et irritam etiamsi excommunicatio a collatore vel electoribus ignoraretur, cum ignorantia nequeat sanare incapacitem promovendi, licet a culpa et poena excuset collatorem vel electores.

Controversiam Codex diremit in sensum, quem iam plures docti viri optabant, habita ratione fere plenae aequiparationis excommu-

(102) Confer ex una parte Wernz, Ius Decret. l. II, n. 298, t. VI n. 139; Suárez, disp. XII, sec. 1; Kober, l. c. p. 341 sq.; Schmalzgr. (V, 39) n. 148, 152 sq.; ex alia parte D'Annibale, l. c. n. 365, contra communioem sententiam pro sententia quam vocat aequiorem, attentis incommodis inhabilitatis occultae (cfr. in rem Suárez, disp. XIII, sect. 2, n. 31).

nicati per sententiam (notorii notorietate iuris) cum vitandis, qui in nova disciplina rari esse debebant.

Ergo modo simili ac in aliis effectibus: 1^o) Excommunicatus *non notorius* licite acceptare nequit dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia, nisi ob periculum incurrendae infamiae excusetur ab observanda censura (can. 2265, § 1, n. 2^o, 2232, § 1).

2^o) *De facto notorius* numquam acceptare licite potest munera et pensiones, cum ipsi non faveat excusatio ex memorato periculo infamiae. Quod ante omnia facere debet, est obtinere absolutionem.

3^o) Excommunicato per sententiam vel taliter per sententiam declarato et a fortiori vitando invalide munera vel pensiones conferuntur (can. 2265, § 2). Videtur tenendum, sententiam declaratoriam excommunicationis incursum, latam post validam muneris collationem, praecedentem collationem non infirmare. Nihilominus Superiores, ad quos pertinet collatio, excommunicatis, praesertim si notorii evaserint, officia et beneficia conferre non debent, utpote indignis; quod si contulerint v. gr. ob ignoratam censuram, ea cognita et praemissa declaratione censurae, videntur *posse* collationem irritare, nam generalis can. 153, § 3 habet applicationem in casu excommunicati; evidens enim est huic deesse qualitatem iure requisitam. Hoc pacto etiam *simpliciter* excommunicato non tribuitur magnus favor ex non asserta inhabilitate ad officia et beneficia, quae erat potissima ratio, cur iure praecedenti inducti sunt doctores ad applicandam toleratis praedictam inhabilitatem. Ita etiam non videtur derogari principio generali can. 2232, § 2, quod sententia declaratoria poenam ad momentum commissi delicti retrotrahat, i. e. si Superior illam sententiam edens illum effectum velit induci; quo simul efficitur ut exclusio ab officiis et beneficiis sit *effectus ipsius excommunicationis*, sententia mera condicio ad hoc ut collatio illicite facta saltem ex parte excommunicati non sustineatur.

287. X. Excommunicatus quoad civiles seu profanas relationes. I. Excommunicati vitandi, i. e. omnes, privati fuerunt communicatione *civili* (103), quae ad vitam privatam et domesticam

(103) I Corinth. V, 11; II Thessal. III, 14; II Ioann. 10, 11; c. 11 (10) iunct. Hefele, l. c. t. I, p. 803; c. 2 Conc. Antioch. (a. 341); c. 5 Conc. Tolet. I

refertur (104) et in famoso versiculo: «*Os, orare, vale, communicio, mensa negatur*» accuratius circumscribitur, et ita explicatum fuit ut excluderentur: colloquia et signa benevolentiae; communicatio in rebus sacris etiam privata; peculiare salutationis obsequii et amicitiae causa; societas habitationis, negotii, cooperationis; mutua invitatio ad mensam (105). Paulatim introductae sunt exceptiones ob quas fidelibus et excommunicatis vitandis communicatio illa *civilis* erat permessa (106), quas pro antiquo more complexus fuit ille versiculus: «*Utile, lex, humile, res ignorata, necesse*» i. e. a) modum spirituale vel temporale communicantis, excommunicati vel tertii; b) matrimonium, ex quo reciproca oritur inter coniuges obligatio quoad torum, mensam et domesticam conversationem; c) subiectio et obedientia qua v. gr. filii erga parentes, famuli erga dominum, subditi erga principem tenentur; d) ignorantia; e) necessitas quaedam sive spiritualis sive temporalis propria vel aliena (107). Demum introducta distinctione inter vitandos et toleratos, hi a communicatione mere civili cum fidelibus *vi censurae* non amplius fuerunt exclusi, etiamsi a fidelibus non requirentur et sponte sese iugerent commercio civili cum iisdem (108).

II. *Ius Codicis* hunc effectum hoc modo retinuit: «*Communicationem in profanis cum excommunicato vitando fideles vitare debent, nisi agatur de coniuge, parentibus, liberis, famulis, subditis, et generatim nisi rationabilis causa excuset*» (can. 2267).

Ergo: 1^o) retinetur prohibitio fidelibus facta communicandi cum vitandis nisi rationabilis causa excuset; qua prohibitionem fidelibus

(a. 400); c. 18 (S. Isidor.?) c. 24 (Chrys.) C. XI, q. 3; cap. 29, 41, 59 X, h. t.; Suárez, l. c. disp. XV, sect. 1 sq.; Schmalzgr. h. t. n. 177 sq. Kober, l. c. p. 376 sq.; Hinschius, l. c. tom. V, 47 sq.

(104) Suárez, l. c. disp. XV, proem. et sect. 8, 9 ubi recte ad hanc communicationem civilem refert inquisitionem de contractibus et testamentis excommunicatorum.

(105) Suárez l. c. sect. 1, n. 3 sq.; Kober, l. c. p. 384 sq.

(106) Suárez, l. c. n. 1; Hollweck, l. c. § 48, not. 7.

(107) Antiqui iuris rigorem iam Gregorius VII coepit temperare in Conc. Roman. (a. 1078), eumque secutus est Urbanus II in epist. ad Genebald. Ep. Constant. (a. 1089) = c. 103, 110 C. XI, q. 3. Gregorius IX, moderationes factas in sua compilatione authentica (cap. 31, 43, 54, X, h. t.) ratas habuit (cfr. Gloss. ad cap. 15 X, h. t. V. Excommunicationis), et Martinus V (a. 1418) laudato suo decreto multo magis extendit. Cfr. Kober l. c. p. 387 sq.; Suárez, l. c. sect. 3 sq.

(108) S. Poenit. 5 Iulii 1867; Hilarius a Sexten, l. c. p. 62.

efficaciori modo facta, ipsi vitandi manent exclusi a profano commercio cum fidelibus.

2°) Praeterea fideles absolute prohibentur quodvis auxilium vel favorem impedere excommunicato vitando in crimine propter quod excommunicatus fuit (in crimine criminoso) sub poena excommunicationis latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatae (can. 2338, § 3). Quod auxilium facile potest desciscere in veram cooperationem v. gr. in delicto habituali, permanenti, continuato, ita ut applicari debeat can. 2209.

3°) Ex natura rei est fugienda illa in profanis cum vitando communicatio, quae aut scandalum afferat aut propriae perversionis periculum.

In ceteris casibus civiles illae cum vitandis relationes sub levi tantum videntur prohibitaе. Casus sunt illi memorati ex iure antiquo; item causae excusantes eadem haberi possunt et praeterea alia quaevis quae vere sit rationabilis.

288. Scholion. I. Olim excommunicatis vitandis etiam civilis iurisdictio seu potestas auferebatur; quod eo tempore accidit, quo, stante concordia inter utramque potestatem ecclesiasticam et civilem, merito potuit videri non decere in societate *christiana* ut fideles subiicerentur excommunicatis et Ecclesia esset in pleno exercitio potestatis *indirectae* iure divino ipsi competentis et a statu christiano agnitae (109).

Hodie huius rei non remanent nisi levia quaedam vestigia, quibus conservandis et tuendis studet Ecclesia in variis Concordatis etiam recentioribus v. gr. in exclusione a munere docendi in facultate theologica vel philosophica vel tradendi in publicis scholis religiosam instructionem.

289. Scholion II. Effectus qui sequuntur post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam brevi compendio lubet hoc loco complecti. Sententia reddit reum publice designatum tamquam excommunicatum: inde excommunicatio exerit totam suam externam vim apud coetum fidelium et hi effectus oriuntur:

(109) Suárez, l. c. disp. XV, prooem., disp. XVI, sect. 1 sq., sect. 6, disp. XVII, sect. 1, n. 1; Kober, l. c. p. 417 sq., 422 sq., 403 ubi tamen explicatio data iuris antiqui solido fundamento caret; Schmalzgr. l. c. n. 167 sq.; D'Annibale, l. c. n. 361; Hilarius a Sexten, l. c. p. 60, 62; Hollweck, l. c. § 48. — In rem cfr. cap. 8 de sent. exc. (V, 11) in VI; cap. 24, X de sent. et re iud. II, 27; cap. 18 X, de excess. prael. V, 31; cap. 12, 5, X de except. II, 25; cap. 1 de except. II, 12 in VI; cap. 7, X de iudic. II, 1; cap. 2, X de procur. I, 38.

1°) Arcendus est a quavis *activa* assistentia in divinis officiis, quae aliquam secumferat participationem in iisdem celebrandis; qui effectus etiam inducitur, citra sententiam, *notorietati facti*, quae alios effectus non semper inducit (can. 2259, § 2; cfr. can. 2338, 2260, § 3 de sanctione).

2°) Non potest recipere sacramentalia i. e. ipsi deneganda sunt (can. 2260, § 1).

3°) Privatur sepultura ecclesiastica nisi ante mortem aliqua dederit resipiscentiae signa (can. 2260, § 2. iunct. can. 1240, § 1, 2°).

4°) Tantum *in periculo mortis* possunt fideles ab eo petere et ipse licite impertiri absolutionem sacramentalem, et si desint alii ministri cetera etiam sacramenta et sacramentalia (can. 2261, § 2).

5°) Invalide agit arbitrum (can. 1931), patrinum in baptismo et confirmatione (can. 765, 2°; 795, 2°).

6°) Invalide exercet ius eligendi, praesentandi, nominandi; invalide consequitur dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus (can. 2265, § 2; 1453, § 1).

7°) Nequit ullam pontificiam gratiam valide consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de excommunicatione fiat (can. 2265, § 2). Gratias iam obtentas inde non amittit.

8°) In iudicio personaliter *agere* dumtaxat potest ad impugnandam excommunicationis iustitiam et legitimitatem; per *procuratorem* agere valet ad aliud quodcumque animae praeiudicium avertendum; in ceteris causis ipsi semper opponi potest *exceptio* excommunicationis ut ab agendo repellatur; immo ex officio est excludendus (can. 1628; 1654; 2263).

9°) Non admittuntur in iudicio ut *testes* tamquam suspecti (can. 1757, § 2).

10°) Sui officii aut beneficii, si quod habeat, fructus non facit suos, quos amittit a die incursae censurae, licet declaratio serius fuerit data (can. 2232, 2266).

11°) *Invalide* ponit actus iurisdictionis interni vel externi fori; validus est semper ac licite ponitur ad petitionem fidelium, pro qua, ubi alii ministri non desint, vix fideles iustam causam habebunt.

290. XI. Effectus mediati seu sequelae excommunicationis.

1°) Inter sequelas quae extraordinarie sequi possunt ex excommunicatione primo loco recensenda est irregularitas ex delicto,

si in violationem censurae excommunicatus culpabiliter exercet actum ordinis sacri ipsi prohibitus (can. 985, n. 7), *Wernz-Vidal* tom. IV, n. 254.

2^o) Suspicio de haeresi in eo qui obdurato animo per annum insorduerit in excommunicatione seu pertinaciter perseveraverit (can. 2340, § 7) (110). Suspectus vero de haeresi criminaliter tractandus est ad normam can. 2315, 2314, unde tandem devenire possit ad privationem dignitatis, beneficii, pensionis, aliusve muneris et ad ipsius clerici depositionem (111).

291. Scholion. De absolute ab excommunicatione, nihil in particulari hoc loco est addendum, cum ea quae de absolute a censuris universim spectatis prolixè disputata sunt, maxime absolute a censura excommunicationis sint applicanda. Singularem solummodo mentionem meretur historia et praxis *absolutionis* a casibus *reservatis* sive episcopalibus sive papalibus (112).

(110) Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 3 de ref.; *Suárez*, disp. XVII, sect. 1; *Kober*, l. c. 433 sq.; *Thesaurus*, De poen. v. Insordescencia; *D'Annibale*, i. c. n. 362. De alia insordescencia brevioris temporis sc. perseverantiam per quatuor menses in excommunicatione ob certa delicta, agebat Reg. 66. Canc. Apost. ubi accurate distinguitur ab insordescencia per annum in excommunicatione ob alia delicta incursa, atque in utroque casu negatur favor *absolutionis ad effectum* in litteris Apostolicis apponi solitae. *D'Annibale*, l. c.

De modo quo ex insordescencia a suspicione haeresis deveniretur ad applicandas haereticorum poenas, cfr. Conc. Trident. l. c.; cap. 7 de haeret. V, 2 in VI; *Schmalzgr.* l. c. n. 195; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 241. — Insordescencia habebatur ut probatio delicti seu causae, ob quam lata erat excommuicatio, dum insordescens per annum fictione iuris haberetur pro convicto seu confesso (cfr. cap. 36, 37, C. XI, q. 3; *Schmalzgr.* l. c. n. 196; *Suárez*, l. c. n. 9).

(111) De invocatione brachii saecularis cfr. cap. 2, X de cler. exc. V, 27; *Kober*, l. c. p. 439 sq.; *Hinschius*, l. c. tom. V, p. 140 sq., 373 sq., 48 sq., ubi saepe pro suo modo protestantico de his rebus disserit et p. 45 sq. Gregorio VII, plane falso tribuit opinionem de directa quadam potestate R. Pontificis in spiritualibus et politicis rebus, vi cuius principibus saecularibus solummodo relinquatur usus quidam potestatis politicae.

(112) Cfr. *Thomassinum*, *Vetus et nova Eccl. discipl.* P. I. lib. 2, cap. 13, 14; *Kober*, l. c. p. 437 sq.; *Hausmann*, *Geschichte der päpstlichen Reservatfälle*; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 211 sq.; *Bucceroni*, *Commentarius de casibus reservatis*; *Hinschius*, l. c. p. 360 sq.

CAPUT XXIII

De interdicto (1)

I. Nomen, notio, divisio, origo interdicti

292. Nomen. Nomen interdicti (2), quod ad designandam poenam ecclesiasticam nunc est vocabulum scientiae canonicae iam in ipso iure Decretalium approbatum (3) certe in antiqua Ecclesia non occurrit; at saltem ex saeculo decimo verbum interdicti vel interdicens frequentius in fontibus iuris canonici invenitur et magis magisque determinatam habet significationem (4). Cui rei non obstat, quominus interdictum quoddam ante illud tempus iam fuerit usu receptum, sed aliis verbis expressum (5).

293. Notio. Interdictum ex iure Decretalium et disciplina etiam nunc vigente est *censura ecclesiastica, qua prohibetur usus omnium divinatorum officiorum et aliquorum sacramentorum et sepulturae ecclesiasticae, quatenus usus est et omnibus fidelibus communis* (6).

(1) *Suárez*, l. c. disp. XXXII sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 322 sq.; *Stremler* l. c. p. 341; *Kober*, das Interdict, in *Archiv. f. k. K.* p. 21 p. 3 sq. 291 sq., t. 22, p. 3 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 362; *Hinschius*, l. c. tom. IV, p. 715, 805, tom V, p. 13 sq., 19 sq., 30 sq.; *Richter*, *Origo et evolutio interdicti*, in « *Textus et Documenta* » Pont. Univ. Gregoriana, Series theolog. n. 12, 13; *Couran*, *The interdict* a. 1930; *Haas*, *Das interdict*, Bonn. 1929; *Haring*, *Lexik. f. Theol. u. Kirche* V (1933) 435; *Godefroy*, *Diction. de Théol. Cathol.* VII, 2282.

(2) De variis significationibus huius verbi in iure romano et canonico cfr. *Inst.* IV, 15 de interdictis (i. e. de actionibus iudic.) *Dig.* XLIII, 1, de interdictis. *Dig.* XLVIII, de interdictis (i. e. de poena qua quis patria et usu honorum interdicatur); cap. 5, X de caus. poss. II, 12 « *de interdicto unde vi* »; *Suárez* l. c. disp. XXXII, sect. 1, n. 2.

(3) Cap. 20 X, de V. S. V. 40 (Innocent. III, scr. a. 1198-1205).

(4) Cfr. ep. 93, Gerberti, a. 995, « *interdicto vestro* »; Alex. II, a. 1065, « *interdicere non differas* »; Gregor. VIII, a. 1074, « *universam Franciam... interdicite* ».

(5) V. g. « *vestro banno* », « *excommunicatione* », « *anathemate* ». Cfr. *Kober*, l. c. t. 21, p. 16 sq. 21 sq.; *Hinschius*, l. c. tom. V, p. 19 sq., p. 22 not. 1. 2.

(6) *Suárez*, l. c. disp. XXXII, sect. 1, n. 1, 3, 4; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 381, 382, qui merito notat definitionem satis communiter tradi solitam « per remotio- nem a participatione *quarundam rerum sacrarum* esse nimis vagam »; *D'Annibale*, l. c. n. 369; *Lega*, l. c. n. 145 sq.; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 80 sq.; *Holl- weck*, l. c. § 51 sq.

Quae notio modo magis completo circumscribit discrimen interdicti ab aliis censuris, quam brevior Codicis definitio qua dicitur: «*censura qua fideles in communione Ecclesiae permanentes prohibentur sacris (determinatis)*». (can. 2268).

Qua priori definitione per verba generica «*censurae ecclesiasticae*» interdictum evidenter distinguitur ab aliis poenis vindicativis Ecclesiae atque etiam ab interdicto, quod per modum poenae vindicativae infligitur (cfr. can. 2255. § 2). Verbis sequentibus generatim enuntiatur *obiectum* huius prohibitionis, quod est usus sive activus sive passivus quarundam rerum sacrarum, non omnium, sed aliquarum in iure expressarum, quae brevitatis causa ipsi definitioni non inseruntur. — Porro verbis illis «*quatenus usus est*», insinuatur differentia interdicti ab *excommunicatione*, quae *directe* et immediate communicationem cum fidelibus et nonnisi *consequenter* usum rerum sacrarum prohibet; e contra interdictum *directe* et in se prohibet solum usum quarundam rerum *sacrarum* etiam *per se* et *independenter ab omni communicatione* cum fidelibus, neque ad prohibitionem quandam communicationis in *humanis*, ut fit per excommunicationem, sese extendit. Denique verba illa «*quatenus..... omnibus fidelibus communis*» est, insinuant distinctionem inter *suspensionem* et interdictum. *Suspensio* enim pariter privat usu rerum sacrarum, sed solummodo quatenus usus iste est activus atque adeo *exercitium* quoddam *potestatis ecclesiasticae* sive ministerii cuiusdam ex officio, non usus quidam mere passivus et communis cum reliquis fidelibus. Interdictum vero privat usu illo indifferenter tum passivo tum activo, clericos et laicos.

294. Divisio. Interdictum dividitur: I. *Ratione subiecti* in *locale* (7) et in *personale* (8), prout prohibitio usus rerum sacrarum *directe* cadit in aliquem locum aut in personam (9) (can. 3268, § 2). Ad hanc divisionem revocatur interdictum *mixtum*, sive *ambulatorium*, quod sequitur personam ubicumque ista praesens fuerit. Quod interdictum certe est *locale* atque etiam *formaliter* aut *virtualiter personale* (10).

(7) Cap. 10, 17 de sent. exc. V, 11 in Sext.

(8) Cap. 16 h. t. in Sext.

(9) Suárez, l. c. sect. 2 n. 1 sq.; Kober, l. c. p. 291 sq.

(10) Cap. 1 de poen. V, 8 in Clem.; Kober, l. c. p. 302 sq.; Suárez, l. c. n. 3.

II. *Ratione ambitus* in *generale* et *particulare* (11). Quae divisio tum interdicto *locali* tum *personali* est applicanda. Atque interdictum *locale generale* dicitur non solum illud, quod fertur in *regnum* vel *provinciam* vel *dioecesim*, sed etiam in *civitatem* vel *villam* vel *locum* quendam *partialia* loca complectentem; interdictum vero *locale particulare* est, quod refertur tantum in *specialem locum* velut in *Ecclesiam* sive *unam* sive *plures* (12). Porro interdictum *generale personale* fertur *directe* in *corpus* quoddam *morale* sive *collectivum* personarum; interdictum autem *personale particulare* seu *speciale* (13) *directe* infligitur *personis singularibus* et *determinatis*, sive *uni* sive *pluribus*, sive *certis* sive *incertis* (14).

III. *Ratione obiecti* in *totale* et *partiale* (15). Illud prohibet usum omnium rerum sacrarum in *definitione expressarum* (16), hoc vero solummodo *unam alteramve partem* (17). Quare interdictum ab *ingressu ecclesiae* (18) est *species* quaedam interdicti *partialis*.

IV. *Ratione causae proximae* in interdictum a *iure* aut ab *homine* latum (19).

V. *Ratione modi* in interdictum per *modum censurae* aut per *modum poenae vindicativae* inflictum.

295. Notae historicae. I. Quod de origine aliarum censurarum supra statutum est, id maxime valet de interdicto ecclesiastico.

(11) Cap. 17 X, de verb. sig. V, 40.

(12) Cap. 10, 17 de sent. exc. in Sext.; Suárez, l. c. n. 4 sq.; Kober, l. c. p. 292 sq.

(13) Cap. 16 de sent. exc. in Sext.; Suárez, l. c. n. 11 sq.; Kober, l. c. p. 257 sq. Cfr. Archiv. f. k. K tom. 9 p. 174, de usu quodam moderno interdicti personalis et localis.

(14) Interdictum personale speciale vim strictae *censurae* habere potest, cum interdictum locale et personale generale potius sint *privationes*, ideo speciale illud interdictum tantum ob peccatum proprium, alia etiam ob peccatum alienum innocentibus imponi possunt. Cfr. *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 383, 387; *D'Annibale*, l. c. n. 370; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 83; *Aichner*, l. c. § 219.

(15) Kober, l. c. p. 303; Suárez, l. c. n. 37.

(16) Cap. 16, 24 de sent. exc. in Sext., cap. 8 de priv. V, 7 in Sext.

(17) Cap. 9, X de iureiur. II, 24.

(18) Cap. 8 de priv. V, 7 in Sext. In hoc etiam convenit interdictum cum *suspensione* at differt ab *excommunicatione*, quod eius effectus est *divisibilis* ex *voluntate superioris* ad illud infligendum *competentis*. *Bonacina*, de cens. disp. V, p. 1, n. 1 sq.; *Hollweck*, l. c. § 51 not. 3.

(19) Kober, l. c. tom. 22 p. 32 sq.

Quare potestas Ecclesiae infligendi interdictum sine dubio nititur iure divino, ut patet ex amplissima concessione S. Petro facta; sed institutio interdicti, prout est censura vel poena vel privatio ecclesiastica cum suis specialibus effectibus in foro Ecclesiae applicata ex iure humano est repetenda (20). Quo iure Ecclesia in instituendo interdicto secundum leges iustitiae et prudentiae usa est. Quare si *Kober* (21) opinatur, secundum principia iustitiae naturalis interdictum ab iniustitia excusari non posse, rem asserit non solum Ecclesiae iniuriosam, sed etiam sanis principiis canonicis immo etiam dogmaticis omnino contrariam (22).

II. Quonam tempore Ecclesia uti coeperit suo iure ferendi interdictum, inter viros doctos concordanti sententia non est definitum. Sunt qui putent, velut *Devoti* (23) aliique, iam saeculo quarto inveniri *exempla satis clara* interdicti. In sententia plane opposita versantur *De Dominis*, *Morinus*, *Bingham*, *Van Espen* (24), *Hinschius* (25), *Schiappoli*, qui ad summum ex saeculo decimo vel undecimo initia interdicti saltem localis repetenda esse existimant. Via quadam media incedit *Fleury* (26), qui opinatur, se iam saeculo sexto exemplum generalis interdicti detexisse, sed generales excommunicationes et interdicta tantum post S. Gregorium VII invaluisse existimat. Multo magis extrema vitare studet *Kober* (27). Profecto *Devoti* ex c. 37 Apostolorum aut ex epist. 270 S. Basilii non efficaciter probat, eo tempore verum quoddam interdictum locale fuisse usu receptum; nam in cit. c. 37. (28) potius agitur de excommunica-

(20) *Suárez*, l. c. disp. II, sect. 1, n. 1 sq.

(21) *Kober*, l. c. tom. 21, p. 32, 37.

(22) *Suárez*, l. c. disp. XXXVI sect. 3 In eundem errorem inductus est *Schiappoli*, l. c. n. 172. Quodsi hic auctor et *Hinschius*, l. c. t. V, p. 23 sq., tribuunt Ecclesiae scopum politicum in hac poena infligenda, haec quoque assertio est adnumeranda assertionibus gratuitis et praeiudiciis contra Ecclesiam; nec *particulares* abusus in *praxi* nonnumquam commisi, praesertim quoad *durationem* interdicti, probant scopum illum vitiosum Ecclesiae *universalis* aut RR. Pontificum, qui illis abusus pro suo munere restiterunt (cfr. v. gr. c. 24 de sent. exc. V, 11 in Sext.). Ipse quoque *Kober* ex iis, quae p. 29, affert, optime probat salutarem effectum spirituales haud raro fuisse obtentum.

(23) Inst. can. lib. IV, tit. 19, § 3 not. 23.

(24) *Kober*, l. c. tom. 21 p. 8;

(25) *Hinschius*, l. c. tom. IV, p. 804 sq., tom. V, 19 sq.

(26) Inst. can. P. III, c. 21 § 2.

(27) *Kober*, l. c. p. 8 sq.

(28) *Hefele*, l. c. tom. I, p. 812.

tione, et S. Basilius l. c. (29) praeter excommunicationem tantum insinuat paenitentiam publicam, sed officium divinum in poenam delicti omissum esse nullo modo tradit, immo ipsius celebrationem supponit (30). Neque maioris momenti est argumentum eiusdem *Devoti* ex canone quodam Concilio Agathensi (a. 506) falso adscripto. Qui canon etiamsi genuinus esset, neque revera c. 8 a Concilio Moguntino a. 851 vel 852 conditus (31), rem intentam a *Devoti* minime probaret, agit enim de re omnino alia (32). Verumtamen vix negari potest, etiam *Morinum* aliosque allegatos scriptores originem interdicti ad nimis remota distulisse tempora. Nam si interdictum, etiam ut poena ecclesiastica, iam usu receptum est saeculo decimo et undecimo (33) neque ut res plane nova et inaudita commemoratur (34), profecto iam ante illam aetatem introductum est, atque illud solummodo concedi potest, quod ex illis saeculis, ob singularia temporum adiuncta (v. gr. faidae seu bella privata, treuga, saec 11), usus interdicti fuerit frequentior, magis extensus atque maiore praecisione iuridica circumscriptus. Praeterea quamvis complura facta, quae inde ex saeculo sexto a *Kober* (35) ad probandam existentiam interdicti, ut poenae ecclesiasticae, non sint solida vereque saltem probabilia (36), tamen ex aliis factis allegatis praeformatio quaedam futuri interdicti (37) vel ipsum interdictum saltem quoad substantiam colligitur (38).

(29) *Migne*, P. Gr. XXXII, 1002.

(30) *Kober*, l. c. p. 4 sq.; *Hinschius*, l. c. tom. IV, p. 804 not. 10.

(31) *Hefele*, l. c. tom. IV, p. 179 sq.

(32) Ut patet ex ipso textu et rubrica, sub qua canon iste cum falsa inscriptione in compilatione Gregori IX, occurrit, scl. cap. 2, X de purg. can. V, 34; *Kober*, l. c. p. 6 sq.; *Molitor*, Ueber kanon. Gerichtsverfahren gegen Cleriker p. 58 sq.

(33) Cfr. supra de nomine interdicti; *Hinschius*, l. c. tom. V, p. 19 sq.

(34) Cfr. *Kober*, l. c. p. 18 sq. de dicto Ivonis Carnutensis.

(35) *Kober*, l. c. p. 8 sq.

(36) Ita v. g. de Anglia per sexennium interdicto subiecta ineunte saeculo nono, Cfr. *Hinschius*, l. c. p. 19.

(37) *Gregorius Turonensis*, Hist. Franc. t. VIII, cap. 31, ubi narratur Leodoldum Episcopum ob occisionem Archiepiscopi Praetextati, a. 585 vel 586, « *clausisse ecclesias Rothomagenses, ut in his populus solemnia divina non spectaret* »; *Kober*, l. c. p. 8 sq.; *Richter*, textus et Docum., n. 12, p. 12.

(38) *Gregorius Turon.*, l. c. lib. X, cap. 15, de modo procedendi Episcopi contra *Chrodieldem* circa idem fere tempus. Cfr. *Kober*, l. c. p. 10 sq., ubi alia duo facta ex Gallia affert atque tertium quoddam exemplum ex vita S. Virgillii († 784), quae *Hinschius* l. c. tom. IV, p. 805, t. V. p. 19, non solide refutat.

Quodsi agatur de interdicto personali facilius sententiae *Devoti* calculus adici potest. Etenim interdictum personale, quatenus est suspensio quaedam a iuribus quibusdam, omnibus Christi fidelibus communibus, iam primis saeculis occurrit (39), et vel in ipso Libro Sexto Bonifacii VIII interdictum personale ingressus Ecclesiae appellatur suspensio (40).

III. Postquam ius ecclesiasticum de interdicto infligendo certe saeculo undecimo iam constitutum fuit et in praxi receptum inde a saeculo duodecimo, cum frequentior esset usus interdicti et interdum longioris durationis (41), Romani Pontifices illud mitioribus terminis circumscribere coeperunt (42). Quibus mitigationibus accesserunt non pauca privilegia sive principibus (43) sive regularibus (44) concessa, quibus rigor iuris antiqui multum emollitus est. At illud novi accessit, quod in Libro Sexto et in Clementinis et in Extravagantibus (45) etiam interdicta latae sententiae ipsoque facto incurrenda frequentius inveniantur. Forma igitur infligendi interdictum latae sententiae secundum analogiam aliarum censurarum posteriori aetati est adscribenda.

IV. Concilium Tridentinum non immutavit ius antiquum de interdicto constitutum, immo tum interdictum personale (46) tum lo-

(39) Cfr. Concil. Illiber. (a. 300-306) de negata communione ad certum tempus v. gr. c. 54, 57; c. 13, 14. Conc. Venetici (Vannes in Gall.) a. 465. Cui sententiae vel ipse *Hinschius* accedit, qui originem interdicti personalis iam saeculo quarto adscribit l. c. tom. V, p. 31, p. 13 sq., tom. IV, p. 706 sq., 713 sq.

(40) Cap. 20 de sent. excom. V, 11 in Sext.

(41) *Kober*, l. c. p. 17 sq. 20, 22, 37 sq. ubi est sermo de interdictis per tres, sex, duodecim, immo triginta et sexaginta annos durantibus.

(42) Cap. 11, X, de sponsal. IV, 1 (Alex. III, a. 1173-1174); *Kober*, l. c. p. 25 sq., 39 sq.; cap. 43 X, de sent. excom. V, 39 (Innoc. III, a. 1209); cap. 11, X de poenit. V, 38 (Innoc. III, a. 1198-1216); cap. 25 X, de priv. V, 33 (can. 58 Conc. Later. IV, 1215); cap. 57 X, de sent. exc. V, 39 (Gregor. IX, a. 1227-1234); cap. 19 de sent. exc. V, 11 in Sext. (Bonifac. VIII); Martinus V, Const. « *Ineffabile* » a. 1429 § 3.

(43) *Kober*, l. c. p. 44; *Devoti*, l. c. §§ 4, 5.

(44) Cap. 24 X de privil. V, 33 (cap. 57 Conc. Later. IV, a. 1215); cap. 11, de privil. V, 7 in Sext. (Ronif. VIII).

(45) Cap. 5 de poenis V, 9 in Sext.; cap. 1 eod. V, 8 in Clem.; Cap. unic. de consuet. I, 1 in Extrav. Com.; *Kober*, l. c. t. 22, p. 32 sq.

(46) Sess. VI, cap. 1 de ref., Sess. VII cap. 7 de ref. et S. C. C. in caus. Caputaquen, 2 Oct. 1723 et in caus. Spolet. 16 Maii 1726, in ed. Richt. Conc. Trid. p. 440, 442.

cale (47) expresse ratum habuit novaque interdicta statuit (48). Quae in re quamvis dubitari non possit, quin interdictum inde a Concilio Tridentino usque ad nostram aetatem manserit pars iuris criminalis Ecclesiae (49), tamen interdictum generale locale iamdiu non amplius erat in usu: nisi enim viva sit fides in principibus et populis christianis et una sit religio catholica in universo regno ab omnibus civibus practice exercita, parum efficax est ista censura, immo potius nocet atque innocentibus gravia incommoda imponit (50). Quare mirum non est, quod interdicta generalia a Paulo V a. 1606 in republicam Venetam et a Clementem XI a. 1713 in nonnullas dioeceses Siciliae lata plenum effectum non sint consecuta (51). Nihilominus complura interdicta etiam latae sententiae a Pio IX sunt retenta et statuta, sed non antiqua illa interdicta localia omnino generalia v. g. cap. unic. de cons. I. 1. in Extrvg. Com. — Ultimo tempore intercepta praxis interdicti generalis momentanee fuit reipristinata (52).

(47) Sess. VII. cap. 10 de ref.; Sess. VI, cap. 1 de ref.

(48) Sess. XXV, cap. 12 de regular. et cit. caus. Caputaquen.

(49) Archiv. f. k. K tom. XIX p. 348, tom. IX, p. 174; *Benedictus XVI*, De Synod. dioec. lib. X, cap. 1, n. 3.

(50) Etiam scopus interdicti generalis est emendatio criminis, quod in publicam perniciem vergit, et reparatio publici scandali, quod ex crimine fuit ortum, praesertim cum crimen est commissum a maiori parte populi, ordinis vel coetus aut etiam ab aliquo ex praestantioribus. Quae emendatio videtur facilius obtineri posse, si potentes videant ob ipsorum culpam subditos *affici privatione*, quam aegre ferunt. *Suárez*, l. c. disp. XXXVI, sect. 3, n. 5 sq., 10 sq.; *Ballerini-Palmieri*. l. c. n. 396, qui propterea scite addit: « quapropter si huiusmodi privationis nullam aut parvam rationem haberent subditi, *non expediret* hac poena in criminis animadvertere ».

(51) *Kober*, l. c. p. 49 sq.

(52) Cfr. decretum S. C. Consist. 30 Sept. 1909, quo civitas Adria cum suburbio supposita est generali interdicto locali et personali ob sacrilegam aggressionem in Episcopum commissam, in Act. Ap. Sed. t. I, p. 765 sq. In quo decreto disciplina generalis de interdicto aliquantisper immutata fuit; cfr. *Ferreres* in Nouvelle Rev. Théolog. (a. 1910) p. 407 sq. Quod interdictum in cit. decreto vocatur *censura* licet fuerit latum ad quindecim dies et propter delictum *praeteritum* atque insuper statuitur clericos per ipsius gravem violationem irregularitatem incurriere; quae est nova confirmatio vocem *censura* in disciplina vigente sumi in sensu latu, cum agitur de suspensione et interdicto, quae sive ut poena medicinalis sive ut poena vindicativa infligi possunt. Effectus vero omissi aut saltem mitigati in illo decreto S. C. Consist. haud immerito considerari potuerunt ut signum mitioris disciplinae in hac parte introducendae. — Alium interdictum latum est a. 1913 contra urbem Galatinam ob sacrilegam aggressionem contra Archiep. Hydruntinum (A. A. S. V, 517).

V. Licet autem modo generali diceretur in interdicto generali cessare officia divina, claudi ecclesias, prohiberi sacramentorum administrationem, nihilominus interdicti effectus non fuerunt semper iidem. Iam Hicmarus Remensis in epist. ad Hicmarum Laudunensem illum reprehendit de severitate interdicti, quam vocat crudelitatem et persecutionem, quod baptismus infantium et sacramenta morientium interdicerentur (a. 869) (53).

Lemovicense Conc. a. 1031 concessit divina officia secreto celebrari, baptismum infantibus, paenitentiam morientibus ministrari (54). Idem temperamentum adhibitum ab Alexandro III in interdicto contra regem Angliae (55). Innocentius III in interdicto a. 1198 contra Galliam excepit baptismi administrationem; diebus festis praedicatio extra ecclesiam fieri debuit, paenitentia in eius porticu administrari; licitum erat unam Missam in die Paschatis in ecclesia privatim celebrare solo praesente ministro, itemque quovis die veneris ad parandam morientibus Eucharistiam; exclusa erat extrema unctio et ecclesiastica sepultura. Ita fere cetera eiusdem Pontificis interdicta (56), quae poterant dici continere rigidum ius interdicti iam plene evoluti. Statim tamen accesserunt:

1° *dispensationes*. — Ipse Innocentius III peculiare dispensationes concessit (57) et tandem indulsit *generali* modo, ut, praeter baptismum infantibus et sacramenta morientibus, ipsa quoque confirmatio ministraretur (cap. 43. X. V, 39). — Gregorius IX pariter *generaliter* concessit *ecclesiarum ministris* unam Missam quolibet hebdomada celebrare, ianuis clausis, campanis non pulsatis, atque excommunicatis et interdictis exclusis (cap. 57 X. V, 39). — Accessit mitigatio pariter generalis inducta per Bonifacium VIII a. 1298 (celebre cap. 24, Alma Mater X. V, 11 in VI), qua concedebatur omnibus sacramentum poenitentiae, clericis officia divina privatim obire, interdictum suspendebatur diebus Nativitatis Dni., Paschatis, Pentecostes et Assumptionis B. M. V. (58). Quibus festis

(53) *Migne PL*, 126, 516.

(54) *Mansi*, 19, 541.

(55) Cfr. cap. 11, X, 14, 1, et praecedentem not. 481.

(56) *Migne PL*, 214, 97 not. 60.

(57) Cfr. *Migne PL*, 214, 244; 215, 27.

(58) Cfr. cap. 24 V, 2 in VI ubi inter effectus occasione nimis rigorosi interdicti exortis refertur crescens indevotio populi, pullulatio haeresum et infinita animarum pericula.

a Martino V a. 1429 additum est festum Corporis Christi (59) ab Eugenio IV extensum ad integram huius festi octavam (60). Leo X vero ad modum privilegii Hispaniae concessit, ut interdicti observantia suspenderet festo die Immaculae Conceptionis (61). Haec quoad substantiam mansit disciplina iuris Decretalium (62).

2° Plura etiam concessa fuere privilegia, per quae saltem extensio interdicti fuit variis modis restricta. Ita v. gr. Fratres Minores a Clemente VIII privilegium obtinuerunt vi cuius certa festa sanctorum sui Ordinis, non obstante generali interdicto, in suis ecclesiis poterant sollemniter celebrare (63).

VI. Etiam quoad durationem interdicti, quae dum ferebatur per modum censurae non dependebat ab auctore sed potius ab iis, quorum causa fuerat latum, paulatim factum est ut interdicta longioris durationis non amplius haberentur (64).

VII. Interdicta localia generalia in corpore iuris inveniuntur quinque.

II. De subiecto activo et passivo interdicti

296. *Subiectum activum* sive causa efficiens interdicti est is, qui iurisdictionem habet in foro contentioso et regulariter etiam sententiam excommunicationis et suspensionis ferre potest, nisi iure speciali ipsius potestas sit limitata (65). Quare Romani Pontifices et Concilia oecumenica (66), locorum ordinarii et Concilia particularia (67), Le-

(59) Const. « *Ineffabile* » 26 Maii 1429.

(60) Const. « *Excellentissimum* » 26 Maii 1431.

(61) *Ferreres*, Inst. can. II, n. 1039.

(62) Const. « *Sacrae Seraphici* » 17 October 1595.

(63) De interdicto in Lusitaniam ab Alexandro IV latum, quod dicitur durasse duodecim annos (*Kober*, l. c. XXI, 38); De lato a Gregorio IX in Siciliam quod durasse dicitur annis sexaginta (*Bellarminus*, Resp. ad tract. septem Theol. Ven. p. 7).

(64) Cap. 5, V, 9 in VI; cap. 1 I, 1 in Extr. comm.; cap. 1 V, 8 in Clem.; cap. 3, I, 6 in VI; cap. 1, V, 5 in VI.

(65) *Suárez*, l. c. disp. XXXVI, sect. 1, 2, 3, 4; *Schmalgr.* h. t. n. 340, 341; *Kober*, l. c. t. 21 p. 44. Quodsi *Kober*, l. c. t. 22, p. 8 etiam commemorat Cardinales, quod in suis titulis interdictum infligere possint, et provocat ad cap. 11 de maiorit. et ob. I, 33; tale ius Cardinalibus iam ex saeculo XVII, per Const. Innocentii XII « *Rom. Pontifex* » videtur esse ademptum. *Wernz*, Ius Decret. t. II, n. 632.

(66) Cap. 1 de sent. excom. V, 10 in Clem.; *Kober*, l. c. t. 22, p. 3 sq.

(67) Cit. cap. 1 h. t. in Clem.; *Kober* l. c. p. 6 sq.

gati Sedis Apostolicae (68), Vicarii capitulares (69), Praelati regulares quasi episcopali iurisdictione instructi (70) ex potestate ordinaria (71) interdictum infligere potuerunt, dummodo servarent limites suae competentiae. At potestas interdicendi quae ex iure antiquo capitulis, etiam sede plena (72), archidiaconis, archipresbyteris aliisque Praelatis inferioribus, non vero parochis competebat saltem a Bonifacio VIII quoad capitula sede plena practice fuit abrogata (73) et universim quoad omnes istos Praelatos inferiores a Concilio Tridentino (74) penitus est sublata. — Novam limitationem et consequentem interdicti mitigationem induxit Codex, quo iure regimur, dum can. 2269, § 1, Sedi Apostolicae reservat facultatem ferendi interdictum *generale* tam *locale* in territorium dioecesis, reipublicae, quam *personale* in populum dioecesis, reipublicae, permissa Episcopis facultate ferendi interdictum generale in paroeciam vel paroeciae populum, et interdictum particulare sive locale sive personale. Quae restrictio Codicis iam fere erat admissa; nam, licet attenta extensione iurisdictionis episcopalis, admitteretur Episcopum interdictum locale ultra territorium suae iurisdictioni subiectum extendere non posse, nisi forte per accidens ad obtinendum scopum interdicti, intra territorium posse; nihilominus (75) nostra aetate merito dubitabatur num Episcopi inconsulto Romano Pontifice *insolitam* poenam generalis interdicti localis in *totam* dioecesim statuere possent. Id quod a fortiori dicendum erat de Concilio provinciali vel plenario in universam provinciam ecclesiasticam vel universum quoddam regnum. Nam huiusmodi poena interdicti localis valde generalis vel ab ipso Ro-

(68) Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 5, 20 de ref.; *Kober*, l. c. p. 8.

(69) Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 16 de ref.; *Schmalzgr.* h. t. n. 341.

(70) Quae potestas Praelatorum regularium saltem ex consuetudine recepta restricta est ad ius infligendi interdictum *personale*, non vero locale. Cfr. *Suárez*, l. c. n. 2,3; *Kober*, l. c. p. 15 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 341.

(71) De potestate delegata ad infligendum interdictum cfr. *Suárez* l. c. n. 6; *Kober*, l. c. p. 16 sq.

(72) Cap. 5, X de const. I, 4; cap. 18, X de praescr. II, 26; cap. 2, X de his quae f. a mai. part. III, 11; cap. 23 X de verb. sign. V, 40; cap. 1, de sent. excom. V, 10 in Clem.

(73) Cap. 8 de off. ordin. I, 16 in Sext. iunct. cap. 6 (Conc. Lugd. II, a. 1274, cap. 17) eod. in Sext.; *Suárez*, l. c. n. 5; *Kober*, l. c. p. 9 sq.

(74) Sess. XXIV, cap. 20 de ref.

(75) Cap. 17 de sent. exc. V, 11 in Sext.; *Kober*, l. c. p. 4; *Schmalzgrueber*, h. t. n. 326, 343; *Suárez*, disp. XXXVI, sect. 2.

mano Pontifice non amplius infligi solebat et tamquam causa maior et extraordinaria iudicio Sedis Apostolicae omnino videbatur reservata (76). Ipse Rom. Pontifex non nisi distributive in universa Ecclesia interdictum ferre potest ob defectum causae sufficientis et damnum Ecclesiae universalis.

297. Extensio seu subiectum interdicti localis. *Interdictum locale generale*, sine dubio omnia loca etiam non sacra afficit, licet interdictum *locale particulare*, solummodo in loca sacra velut in ecclesiam decerni soleat (77). Attamen interdictum *locale* cum personas innocentes tantum liget ratione loci, cives inculpabiles minime prohibet, quominus extra civitatem forte interdictam divinis officiis licite intersint (78), secus dicendum ex iure Decretalium in Const. « *Apost. Sedis* » a Pio IX non commemorato de iis, qui interdicto causam dederunt, pro quibus interdictum locale semper secum tulit speciale interdictum personale, ita ut neque in loco interdicto neque extra illum divina participare potuerint (79). Hanc iuris Decretalium praescriptionem retulit Codex can. 2338. § 4 his verbis: « Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem vel collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti ». Quodsi personae

(76) Cfr. Pii IX, Const. « *Apost. Sedis* » et *Kober*, l. c. tom. 21 p. 44 de privilegio a. 1255 ab Alexandro IV concessio, vi cuius universa Gallia a solo Romano Pontifice interdicto subiici posset. Interdicta iure communi inflicta tamquam ipso iure incurrenda quinque tantum aderant in disciplina ante Codicem. Quorum *nullum* est interdictum *locale*, multo minus *locale generale*. Duo erant statuta a Pio IX in Const. « *Rom. Pontifex* » 28 Aug. 1873; duo erant inflicta a Conc. Trid. Ex quibus tria sunt interdicta *partialia* (ab ingressu ecclesiae) et *particularia*; duo *generalia personalia*, sed in *corpora moralia* (universitates, collegia, capitula), non in *universum populum*. Quae iuris communis seu pontificii parsimonia in hac poena infligenda certe saltem normam praebat Episcopis ut a ferendis interdictis *generalibus* praesertim *localibus* abstinerent; nam sua potestate Episcopi uti non possunt, nisi secundum praxim vigentem, quae *praxis*, licet absit *expressa* iuris dispositio, facit ut interdictum generale in *universum populum* sive personale sive locale deberet haberi ut Sedi Apostolicae reservatum. Ob quam rationem nostra aetate Episcopi coadunati in concilio provinciali (vel forte plenario sive nationali) non amplius videntur posse pronuntiare sententiam interdicti totam provinciam complectentis, quod tamquam causa maior habendum est ut reservatum Rom. Pontifici.

(77) *Suárez*, l. c. n. 4.

(78) Cap. 16 de sent. excom. V, 11 in Sext.; *Kober*, l. c. tom. 21, p. 291 sq.

(79) Cit. cap. 16 h. t. in Sext.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 333.

innocentes maneat in loco interdicto supposito, omnes et clerici et laici, tam saeculares quam regulares, incolae et exteri, exempti et non exempti generale interdictum locale observare tenentur (80) secundum novum modum Codicis, nisi speciali privilegio sint muniti (81).

Interdicta civitate (cfr. can. 2273), non excepta ipsa ecclesia cathedrali, suburbia et continentia aedificia ex ipsa iuris dispositione sunt interdicta, ne vilipendi valeat sententia interdicti (82); pariter si ecclesia sit *interdicto* speciali supposita etiam interdicta manent sacella contigua, non autem coemeterium etiam contiguum, contra id quod iure praecedenti valebat saltem de coemeterio contiguo (83). Vicissim interdicto sacello, non est interdicta integra ecclesia, nec interdicto coemeterio interdicta inde est ecclesia ipsi contigua, sed interdicta manent omnia oratoria in coemeterio erecta (84).

288. II. Subiectum interdicti personalis. a) Generatim omnes personae quae excommunicari possunt, etiam per se capaces

(80) Cap. 17, X de verb. sig. V, 40; cap. 4 de priv. V, 7 in Sext.; cap. 1, h. t. in Clem.; Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 12 de regul.; Kober, l. c. p. 293. — Cfr. quoque *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 385 sq.; *D'Annibale*, l. c. n. 372 sq.; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 83 sq. — Pro innocentibus poena non est, sed est incommodum, quod propter bonum commune patienter sustinendum est: quae sequela incommodi innocentium pro ipsis delinquentibus efficacem monitionem continet deponendi contumaciam, quae tanto efficacior est quanto magis si v. gr. de principe agitur, aversio animi subditorum timetur.

(81) Can. 2269 § 2; cap. 11 de priv. V, 7 in Sext.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 332.

(82) Cap. 17 h. t. in Sext.; *Schmalzgr.* h. t. n. 326 sq.; *Kober*, l. c. p. 294 sq.; *Suárez*, l. c. n. 11, disp. XXXII, sect. 2.

(83) Cit. cap. 17 h. t. in Sext.; *Kober* l. c. p. 296 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 331. Cum antiquitus coemeteria plerumque ecclesiis essent contigua, hodie (2), separatio coemeterii ab ecclesia potius est praxis communis et contiguitas exceptio rara vix ullibi existens nec probabiliter duratura: inde illa relatio inter interdictum ecclesiae et coemeterii non amplius erat practici momenti atque vel in ipsis casibus raris non videbatur esse tenenda. Nam lex non fit pro raro aliquo casu, qui se habeat per modum exceptionis a regula generali. Ergo cum per se coemeterium et ecclesia non amplius sint loca contigua, quae per modum unius considerari possint, potius iam in praxi tenendum erat principium contrarium regulae generali conforme, quod interdictum ecclesiae et interdictum coemeterii sint inter se mutuo independentia, nec unum secum trahat alterum. Cfr. *D'Annibale*, l. c. n. 373, not. 27, de stricta interpretatione contiguitatis et *Many*, De locis sacr. p. 249: quare in Codice ipsa regula merito mutata fuit.

(84) *Suárez*, l. c. disp. XXXVI, sect. 2 n. 5 sq.

sunt, ut interdicto personali subiici possint, dummodo reliqua i. e. causa et iurisdictio sufficiens concurrant (85).

Porro interdicti *personalis subiectum passivum* potest esse persona singularis et physica et communitas sive persona moralis vel hominum societas seu coetus (86). Cfr. Conc. Trid. Sess. VII, cap. 10 de ref.; Pii IX, Const. « *Apost. Sedis* » Interd. I, n. 46. Qua re discrepat interdictum personale ab excommunicatione et convenit cum suspensione. Persona autem physica interdicto personali ligari nequit, nisi rationis compos sit, quia secus praecepti et poenae adnexae incapax est. Similiter nulla persona sive physica sive moralis interdicti potest, nisi iurisditioni Praelati interdicentis sit subiecta (86).

Quodsi interdictum *personale et generale* absolute et simpliciter feratur in aliquam communitatem, omnes illius socii interdicto ligantur (87); at excipiuntur in personali interdicto generali, etiam clero inflicto, Episcopi alique superiores Praelati nisi expressa de ipsis fiat mentio (88); item amentes et infantes doli nondum capaces, non exclusae sepultura; socii innocentes, si novo domicilio alibi acquisito desinant esse pars communitatis interdictae; exteri (89). Praeterea cum leges poenales strictae sint interpretationis, si sententia interdicti personalis, proferatur in clerum, non intelligitur, nisi aliud sit expressum in ea, interdictus populus, nec etiam e converso (90); neque interdicto clero alicuius ecclesiae, idcirco censetur interdicta ecclesia, neque interdictum latum in clericos per se ad regulares est extendendum (91).

b) Interdicto *personali particulari* tantum singulares personae determinatae sive una sive plures subiici possunt (92): salva manet exceptio can. 2227, § 2, quod Episcopi non comprehendantur in interdicto latae sententiae nisi expresse nominentur. Idem dicatur de impuberibus ex can. 2230.

(85) Cap. 16 h. t. in Sext.; cap. 11 de usur. V, 5 in Sext.; *Suárez*, l. c. n. 6.

(86) *Schmalzgr.*, h. t. n. 344; *Kober*, l. c. p. 297 sq.

(87) *Schmalzgr.*, h. t. n. 334; *Kober*, l. c. p. 334.

(88) Cap. 4 de sent. exc. V, 11 in Sext. iunct. can. 2227.

(89) *Suárez*, l. c. n. 7, 8; *Schmalzgr.* h. t. n. 335 sq.

(90) Cap. 16 h. t. in Sext.

(91) *Schmalzgr.* h. t. n. 338 sq.; *Kober*, l. c. p. 299 sq.

(92) Pii IX, Const. « *Apost. Sedis* » Interd. II, n. 47; Pii IX, Const. « *Rom. Pontifex* » 28 Aug. 1873; Conc. Trid. Sess. VI cap. 1 de ref.; *Suárez*, l. c. disp. XXXII, sect. 2, n. 11; *Kober*, l. c. p. 391.

III. De condicionibus requisitis ad infligendum interdictum

299. Cum finis interdicti sit culpae emendatio et punitio, nullum interdictum personale et speciale simpliciter absoluteque ferri potest, nisi propter *culpam mortalem* illius, in quem fertur (93).

Interdictum vero *generale* et *personale* ut legitime statuatur, etiam *graviorem* culpam requirit, quam interdictum speciale, sed non exigit culpam in omnibus et singulis personis, quae huic interdicto generali subiiciuntur, ideoque sufficit, quod culpa a capite aut magna parte communitatis fuerit commissa, quae habeatur ut culpa redundans in universum corpus morale. Cfr. cap. 16 h. t. in Sext. Denique interdictum *locale* et *generale*, ut iuste feratur, requirit causam *gravissimam*, quae non solum culpam mortalem contineat, sed etiam ex peccato aliquo modo publico sive communi procedat necesse est. Cum a fine saec. X interdictum in integras dioeceses, regiones et populos extensum fuit, id praesertim factum est contra violatores pacis et ad contumaciam principum frangendam. Inde criterium sump-tum est de necessitate publici et communis peccati.

Quare imprimis cavendum est, ne interdicta ob causas pecuniarias in iure non permissas atque adeo reprobata ferantur interdicta (94).

300. Forma quaedam substantialis sollemnitatis ex natura rei in ferendo interdicto non est praescripta praeter eam, quae requiritur in omni censura infligenda, scilicet ut voluntas Praelati imponentis interdictum sufficienter exprimat (95).

Quodsi interdictum imponatur per sententiam iudicalem, tum in praeparanda sententia per legitimas monitiones (96), citationes, probationes (97), tum in iis, quae sententiam comitantur (98), aut se-

(93) Suárez, l. c. disp. XXXVI, sect. 3 n. 1 sq., 10 sq.; Schmalzgr. h. t. n. 345 sq.; Kober, l. c. tom. 22, p. 17 sq.

(94) Cap. 3 X, de poen. V, 37; cap. 2 de sent. exc. V, 10 in Extrav. com.; Schmalzgr., n. 347 sq.; Kober, l. c. p. 22 sq.; Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 3 de ref.; Bened. XVI., De Synod. dioec. lib. X, cap. 1, n. 2 sq.; Hinschius, l. c. t. V, p. 297 sq., ubi multipliciter errat.

(95) Suárez, l. c. disp. XXXVI, sect. 4; Kober, l. c. p. 29. De sollemni quadam forma olim cum pluribus moestitiae signis haud raro adhibita cfr. Friedberg-Ruffini, Diritto eccl. p. 432.

(96) Cap. 11, X de sponsal. IV, 1; cap. 13 h. t. in Sext.

(97) Cap. 48 h. t.

(98) Cap. 1 h. t. in Sext.

quantur (99), formalitates a iure communi et speciali praescriptae accurate sunt servandae. Qua in re illud solummodo subiungendum est, quod publicatio sententiae de interdicto locali servando sit omnino necessaria; secus ab iis, ad quos spectat, observari nequit (100).

IV. De effectibus interdicti (101)

301. In genere interdictum, si absolute et simpliciter feratur, tres dicebatur producere effectus principales, scilicet privationem *aliquorum sacramentorum*, prohibitionem *divinorum officiorum*, privationem *sepulturae ecclesiasticae*; salvis casibus et sacramentis a iure exceptis (102); si vero ex voluntate Praelati imponentis interdictum non feratur absolute, eum tantum habet effectum, quem Praelatus interdicens intendit (103).

302. Scholion. De rigidiori anteriori iure quoad prohibitam administrationem et receptionem Sacramentorum *Eucharistiae*, *extremae unctionis*, *ordinis*, cfr. textus et doctores in nota allegatos (104):

(99) Hober, l. c. p. 25 sq.

(100) Kober, l. c. p. 30 sq. Suárez, l. c. disp. III, sect. 14; Const. «Ad evitanda» Martini V; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 384.

(101) Suárez, l. c. disp. XXXIII sq.; Schmalzgr., h. t. n. 350 sq.; Kober, l. c. tom. 24 p. 304 sq.; D'Annibale, l. c.; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 389 sq.; Hilarius a Sexten, l. c. p. 86 sq.; Hollweck, l. c. § 54 sq.

(102) cap. 43 X, h. t.; cap. 16 h. t. in Sext.; cap. 8 de privil. V, 7 in Sext.

(103) Schmalzgr., h. t. n. 350.

(104) Cap. 11, X de sponsal. IV, 1; cap. 11 de poenit. V, 38; cap. 43, X, h. t. et praesertim cap. 19, 24, h. t. in Sext., ubi rigor iuris antiqui etiam Decretalium Gregorii IX a Bonifacio VIII evidenter limitatus est. Cfr. Maschat, l. c., elench. I: n. 69, 74, 75; Kober, l. c. p. 322 sq.; Suárez, l. c. sect. 1, n. 1. In citato interdicto a S. C. Consist. 30 Sept. 1909, in civitatem Adria ante Codicem inflato, sapienti consilio non commemoratur prohibitio *extremae unctionis*, sed potius sacramenta pro infirmis declarantur permissa. Cfr. quoque Ballerini-Palmieri l. c. n. 392, et Hilarius a Sexten, l. c. p. 90 de paritate inter extremam unctionem et confirmationem permissam quod illa se habeat ad paenitentiam, sicut confirmatio permissa ad baptismum.

Concedi potuit eucharistia iis, qui versantur in articulo vel in periculo mortis, aut in festis exceptis (cfr. cap. 57 X, h. t.; cap. 24 h. t. in Sext.); Suárez, l. c. n. 21 sq.; Kober, l. c. p. 328 sq.), neque prohibita erat extrema unctio, si infirmus aliud sacramentum non amplius recipere posset (cfr. Schmalzgr. h. t. n. 355; Suárez, l. c. n. 38 sq.; Kober, l. c. p. 330 sq.), immo in casu extraordinario vel ipsa ordinatio permissa fuit, si secus deessent ministri sacramentorum permissio-

idem praestandum videtur de prohibitis officiis divinis (105) et de sepultura eccl. (106).

303. Interdictum personale particulare. Incipiendo ab hoc interdicto, quod praesertim solet habere rationem vere censurae et personam sequitur ubicumque se conferat vel degat (can. 2209 § 2); in personaliter interdicto has privationes inducit:

1° Nequit divina officia celebrare eisve assistere, excepta verbi Dei praedicatione: si mere passive assistat non est necesse ut expellatur.

2° Interdictus post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam aut alioquin notorie interdictus repelli debet ab assistentia *activa*, quae secumferat aliquam in divinis officiis celebrandis participationem.

3° Nequit recipere Sacramenta et post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam nec Sacramentalia.

4° Prohibetur *licite* Sacramenta et Sacramentalia conficere et ministrare. Fideles tamen ex qualibet iusta causa possunt ab eo Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint, quo casu interdicti a fidelibus requisiti *licite* possunt ea ministrare, neque ulla tenentur obligatione causam a requirentibus percontandi. At a *personaliter* interdictis post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, fideles in solo mortis periculo possunt petere absolutionem sacramentalem, et etiam, si alii ministri desint, cetera Sacramenta et Sacramentalia.

rum (cfr. *Schmalzgr.*, h. t. n. 356; *Suárez*, l. c. n. 44 sq.; *Kober*, l. c. p. 331), quae exceptio debuit esse prorsus rara.

De *matrimonio* cfr. cap. 24 h. t. in VI; Conc. Mexicanum (a. 1585) « *Matrimonii sacramentum per verba de praesenti tempore interdicti administratur; benedictio tamen nuptialis conferri non potest* » Qua in re, saltem aliqua argumenta in favorem mitioris sententiae allata v. gr. a *Schmalzgr.* h. t. n. 358 aliisque auctoribus a *Suarezio* l. c. n. 51 recte fuerunt habita *infirma*, ne dicamus falsa; *Kober*, l. c. p. 331 sq.

De prohibitis divinis officiis cum subsequentibus temperamentis.

(105) *Schmalzgr.* h. t. n. 361 sq.; *Suárez*, l. c. disp. XXXIV, sect. 1, 2; *Kober*, l. c. p. 305 sq.

(106) *Rituale Rom.* (edit. ante Codic.) De exsequiis, lib. III, tit. 28, de sepult.; *Thomassin.*, Vet. et nov. Eccl. disc. P. III, lib. 1 cap. 65, n. 8; *Suárez*, l. c. disp. XXXV, sect. 1; *Kober*, l. c. tom. 21, p. 333 sq. At in memorato interdicto *Adriensi*, sepultura permissa fuit; sed prohibita funera *sollemnia*.

5° Prohibetur iure eligendi, praesentandi, nominandi, quae iura semper *illicite* exercerent, immo etiam *invalide* post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam.

6° Nequeunt consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia: quae acquisitio post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam esset etiam *invalida*.

7° Nullam gratiam pontificiam possunt valide consequi post dictam sententiam, nisi in rescripto de poena cui subsint fiat expressa mentio.

8° Post praefatam sententiam ita personaliter interdicti carent sepultura ecclesiastica, nisi ante mortem aliqua dederint paenitentiae signa (107).

304. Interdictum personale generale. Sub hoc interdicto Codex complectitur tum interdictum latum in aliquam communitatem, societatem vel coetum fidelium corpus seu personam iuridicam non constituentium v. gr. populum paroeciae, clerum civitatis vel paroeciae, etc. tum personam moralem seu iuridicam pluribus personis physicis constantem velut Capitulum, collegium etc.

Si ergo communitas vel collegium sensu explicato delictum patriverit ob quod interdicto supponatur, interdictum ferri potest: *a*) in singulas personas delinquentes; *b*) in ipsam communitatem uti talem; *c*) in personas delinquentes et simul in ipsam communitatem (can. 2274 § 1). In *primo casu*, illi delinquentes sunt *personaliter* interdicti et sustinent effectus interdicti personalis specialis de quo n°. praecedenti. In *casu altero* communitas seu collegium nequit exercere ius ullum *spirituale*, quod ipsi, ut communitati seu collegio, competit. In *tertio casu* effectus cumulantur i. e. singulae personae sunt *personaliter* interdictae; quatenus autem sunt membra collegii seu communitatis, nullum ius huic competens exercere possunt (can. 2274 § 2, 3).

305. Interdictum locale sive generale sive speciale.

1° Interdictum *particulare* latum in *altare* vel in *sacellum* alicuius ecclesiae aut in *sacellum* seu capellam ab ecclesia separatam efficit, ut nullum sacrum officium, nullus sacer ritus licite possit in eisdem celebrari (can. 2272, § 1). Huius delictuosa violatio per

(107) Conferantur canones 1240 § 1; 2260; 2261; 2265; 2275.

exercitium ordinis sacri in tali loco induceret in delinquente irregularitatem ex delicto (can. 985, 7°).

2° Particulare interdictum *in coemeterium*, non impedit quominus cadavera fidelium ibidem i. e. in loco sacro sepeliri possint, sed prohibiti sunt omnes ecclesiastici ritus (can. 2272, § 2).

3° Interdictum latum *in ecclesiam capitularem*, dummodo non simul sit interdictum ipsum Capitulum, non impedit quominus in eadem ecclesia possint clerici omnia divina officia et sacros ritus obire, sed debent obiri « *privatim, ianuis, clausis, voce submissa et campanis non pulsatis* », nisi forte interdicti decretum praecipiat Missam conventualem celebrari, et horas canonicas recitari in alia ecclesia vel oratorio (can. 2272, § 3).

4° Interdictum *particulare* latum *in ecclesiam paroecialem*; si interdicti decretum aliam ecclesiam pro interdicti tempore substituat, ecclesia interdicta claudenda est nullo sacro in ea peragendo. Si substitutio alius ecclesiae non est facta in tali paroeciali ecclesia interdicta haec manent permissa: I° celebratio unius Missae; II° asservatio sanctissimi Sacramenti; III° administratio baptismatis; IV° administratio Eucharistiae et Paenitentiae; V° assistentia matrimoniis, exclusa nuptiali benedictione; VI° mortuorum exequiae, vetita quavis solemnitate; VII° benedictio aquae baptismatis; VIII° benedictio sacrorum oleorum, si paroecialis ecclesia sit simul ecclesia cathedralis; IX° verbi Dei praedicatio (can. 2271, 2272, § 2, 2°).

In functionibus enumeratis prohibetur cantus et pompa in sacra suppellectili et sonitus campanarum, organorum et aliorum quorumcumque instrumentorum musicalium. Ipsum Sacrum Viaticum ad infirmos privatim deferendum est (can. 2271, 2°).

306. Interdictum locale generale. Imprimis tale interdictum in genere in loco quem afficit, prohibet *quodlibet divinum officium vel sacrum ritum* i. e. id quod prohibetur in interdicto particulari respectu particularis loci, cum exceptionibus tamen iam dictis et aliis statim subiiciendis (can. 2270, § 1). Illud porro prae oculis habendum est ante omnia, quod arbitrio Praelati interdictum ferentis relinquatur eius *extensio* vel *restrictio quoad effectus*, sicut in eius potestate est ampliorem vel restrictiorem locum interdicto supponere: in quo arbitrio sibi permissio attendere debet, ut non discedat per insolitas prohibitiones, ab his, quae sub nomine inter-

dicti a iure Codicis vigente comprehenduntur, et ut animarum salutem secundum diversas condiciones loci et temporis consulatur.

307. Exceptiones: I. Tempore interdicti localis *generalis* permittitur clericis omnibus, qui non sint personaliter interdicti, omnia divina officia et sacros ritus obire, *privatim* tamen, *campanis non pulsatis, ianuis clausis et voce submissa*: tali modo divina officia peragi possunt in qualibet ecclesia vel oratorio particulari interdicto non obnoxio (con. 2271, § 1).

II. Interdictum quodlibet *locale* nullo modo vetat ut tempore interdicti morientibus Sacramenta et Sacramentalia, servatis servandis, ministrentur: morientibus autem certe sunt sacramenta necessaria Paenitentia, Eucharistia, Extrema Unctio.

III. In ecclesia *cathedrali, ecclesiis paroecialibus* et in ecclesia, quae *unica* sit in oppido, durante interdicto *generali locali*, aliis ecclesiis exclusis, permittuntur ea omnia et sola, quae supra dicta sunt de interdicto particulari lato in ecclesiam paroecialem (can. 2271, § 2).

IV. *Suspenditur* interdictum generale locale in diebus Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, sanctissimi corporis Christi et B. M. Virginis in caelum assumptae hoc modo, quod omnia divina officia et sacri ritus permittuntur, non excluso sonitu campanarum et cantu ac pompa in sacris functionibus paragentis, prohibita tantum collatione ordinum et sollemni nuptiarum benedictione (can. 2270, § 2).

V. De quovis interdicto locali vel personali generali valet, quod is, qui interdicto causam non dederit nec alia censura prohibetur, potest, si sit rite dispositus, Sacramenta recipere, ad normam tamen, quoad locum ubi recipiantur, ceterarum interdicti prohibitionum, sine absolute ab interdicto aliave satisfactione (can. 2277).

308. Interdictum ab ingressu ecclesiae. I. *Iure ante Codicem vigente* (108), cum illa privatio ingressus ecclesiae non haberetur ut effectus quidam interdicti absolute lati (109), requisivit specialem

(108) Cfr. v. gr. c. 8, Conc. Tolet. IV (a. 633); c. 9, Conc. Tolet. VIII, (a. 653); c. 3, Conc. Aurelian. IV (a. 541); c. 2 (Pseud. Silo.) C. V, q. 2 (cop. incert.); Suárez, disp. XXXV, sect. 4; Hinschius, l. c. tom. IV, p. 705 sq.; tom. V, p. 13 sq.

(109) Suárez, l. c. n. 1, 2; Schmalzgr. h. t. n. 379.

sententiam, sive constituit interdictum quoddam parziale et novum (110), quo quis prohibetur *in Ecclesia* (111), sacrum ordinem exercere (112) atque divina officia celebrare vel audire (113) et sepultura ecclesiastica donari, etiam in coemeterio ab ecclesia separato (114).

II. *Iure Codicis* potius videtur haberi (can 2277) ut pars interdicti personalis specialis secumferens «prohibitionem ne quis *in ecclesia* divina officia celebret vel eisdem assistat aut ecclesiasticam sepulturam (in ea) habeat: si autem assistat, non est necesse ut expellatur, nec, si sepeliatur, oportet ut cadaver amoveatur».

Poterit tamen in ecclesia privatim orare, contioni interesse et Sacramenta recipere.

In odiosis *ecclesia* intelligenda est in sensu proprio et stricto prout distinguitur (ex can. 1161) tum ab *oratorio* privato tum a semipublico vel publico. Quare extra ecclesiam in sensu dicto intellectam huiusmodi interdicto punitus perinde habetur ac si nulla afficeretur censura.

Cum huiusmodi interdictum ab ingressu ecclesiae ponatur sub generali rubrica *de censuris* et sub speciali rubrica de interdicto, ipsi applicandum est generale principium can. 2255, § 2, quod possit esse censura vel poena vindicativa prout feratur in indefinitum tempus vel in tempus determinatum.

VI. De cessatione et ablatione interdicti (115)

309. A. *Cessatio*. Interdictum latum *pro certo tempore* aut *sub condicione* aliqua cessat ipso facto et absque dispensatione vel absolute per lapsum temporis aut condicione impleta (116).

(110) Cap. 48, X, h. t.; cap. 20 h. t. in VI; cap. 12, X de poenis V, 38; *Stephanus Tornac*, Summa (edith. Schulte) p, 195; *Suárez*, l. c. n. 3, 4 sq., ubi iam in antecessum exceptiones *Hinschius* (in tom. V, p. 66) sunt refutatae.

(111) Cap. 9, X de imm. eccl. III, 49; *Suárez*, l. c. n. 5, 6.

(112) Quare *a contione audienda* vel ab orationibus *privatis* extra divina officia non prohibetur, cui ingressus ecclesiae interdictus est.

(113) *Schmalzgr.* h. t. n. 380 sq., 386 sq. Hinc etiam huiusmodi interdicto receptio privata sacramentorum, cum cap. 20 h. t. in Sext. non exprimitur, extra divina officia est permissa.

(114) Cap. 20 h. t. in Sext.; *Suárez*, l. c. n. 10 sq.

(115) *Suárez*, l. c. disp. XXXVIII; *Schmalzgr.* h. t. n. 398 sq.; *Kober*, l. c. tom. 22, p. 42 sq.; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 95.

(116) Cap. 11, X, de sponsal. IV, 1; *Suárez*, l. c. sect. 1, n. 1 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 398.

Quodsi interdictum sit locale certaeque ecclesiae impositum, destructa ecclesia cessat; si vero fuerit personale communitati inflicto, pariter cessat extincta communitate (117).

Item interdictum locale, si ab illis, in quorum favorem promulgatum est, temere fuerit violatum, ipso facto tamdiu cessat, quamdiu ipsi violaverint interdictum «*ne videantur de aliorum fletu ride-re*» (118); dummodo certo constet de illo favore a superiore intento.

310. B. *Dispensatio* vel *absolutio*. Interdictum quodlibet *dispensatione*, v. g. ante lapsum temporis, vel *absolutione*, v. gr. ob contumaciam inflicto, tolli potest ab eo, qui competente iurisdictione est instructus. Si interdictum *ab homine* latum sit per particularem sententiam, solus ille qui eam tulit, aut alius ex commissione legitima potest illud interdictum auferre (119).

Si autem interdictum sit *a iure* latum ob contumaciam (120) et cum reservatione, nonnisi ab eo tolli potest, qui illud sibi reservavit vel eius delegatus. At interdictum a iure latum sine reservatione, si sit *locale* sive *generale* sive *speciale* ab illo solummodo relaxari potest, qui in illum locum iurisdictionem episcopalem exercet; similiter si sit *personale* et *generale*, is tantum absolvere potest, qui iurisdictionem in foro externo in illam communitatem habet (121) i. e. Episcopus. Quod si sit *personale* et *speciale*, certe ab Episcopo immo etiam ab eodem sacerdote tolli per absolutionem potest, a quo auferri potest excommunicatio iuris non reservata, dummodo interdictum illud ob *contumaciam* latum sit et cetera requisita concurrant.

311. Forma quaedam substantialis sollemnitatis, praeter illam ex natura rei requisitam, ad relaxandum interdictum a iure non reperitur praescripta; in praxi tamen a forma consueta Ecclesiae non est recedendum (122). Cfr. can. 2250.

(117) *Suárez*, l. c. n. 9 sq. Aliter *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 95.

(118) Cap. 20, X, de priv. V, 33.

(119) *Suárez*, l. c. sect. 2, n. 1, 2.

(120) Quare si interdictum a iure fuerit latum in *poenam vindicativam* delicti v. g. ad certum tempus, ante lapsum temporis non potest tolli, nisi per *dispensationem* legislatoris vel ipsius superioris, si quem habet aut delegati. Cfr. *Suárez*, l. c. n. 2.

(121) *Suárez*, l. c. n. 4 sq.; *Kober*, p. 43 sq. Huc spectat facultas concessa can. 2237 Ordinariis atque etiam, si agatur de censura aliis in can. 2253 et sq.

(122) Cap. 15 X, h. t., *Suárez*, l. c. disp. XXXVIII, sect. 4 n. 1,

312. **Scholion. De cessatione a divinis** (123). I. De huiusmodi cessatione saltem sub hoc nomine est silentium in Codice (124), licet *cessatio a divinis* cum suis effectibus interdicto similis sit, fortasse hac ipsa de causa; erat autem *prohibitio ecclesiastica primario clericis imposita abstinendi a celebratione divinorum officiorum et administratione sacramentorum in aliquo loco* (125). Quae prohibitio non continebatur neque sub specie interdicti nec sub genere censurae neque per se et formaliter rationem poenae vindicativae in foro ecclesiastico habuit, et singulares effectus interdicti vel censurae v. g. irregularitatem ex violatione ipsius non produxit, et quamvis numquam decerneretur nisi *occasione culpae* gravissimae et manifestae, tamen potius ut *signum afflictionis* et tristitiae Ecclesiae de iniuria sibi illata et per modum *praecepti*, non strictae poenae imposita apparet (126). — Primario et directe huiusmodi prohibitio affecit clericos, consequenter tamen etiam ad laicos (127) extendebatur.

Numquam directe et absolute in personas (128), sed in loca tantum ferebatur, immo neque ipsum locum eadem ratione affecit atque interdictum locale, cuius violatio inducit irregularitatem.

II. Distinguebatur in *generalem* (129) et *particularem* (130), prout in universa quadam provincia, dioecesi, civitate, terra a divinis cessandum esset aut tantum in speciali quodam loco velut in ecclesia parochiali vel collegiata.

III. Huius cessationis a divinis *prima iam vestigia* occurrunt quarto et quinto saeculo cum Ecclesia in templis ab haereticis Arianis vel Donatistis vi occupatis divina officia peragere detrectavit et reiecta omni communicatione cum haereticis potius intra privatas aedes divina celebravit mysteria (131).

(123) Suárez, l. c. disp. XXXIX; Schmalzgr., h. t. no. 402 sq.; Bonacina De cens. disp. VI; D'Annibale, l. c. n. 378; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 12; Hilaris a Sexten, l. c. p. 92; Kober, in Archiv. f. k. K. tom. 22 p. 9 sq.; Hirschel, in Archiv. f. k. K. tom. 46, p. 329 sq.; Hinschius l. c. tom. IV, p. 358 sq., 373 sq.

(124) De nomine cessationis a divinis cfr. cap. 1 h. t. in Clem.; cap. 2, 8, de off. ordinar. 1, 16 in Sext. cap. 13 § 1, X, de off. iud. ord. I, 31.

(125) Suárez, l. c. sect. 1. n. 1 sq.

(126) Suárez, l. c. n. 12, 13, 14, 15.

(127) Suárez, l. c. sect. 2, n. 2.

(128) Suárez, l. c. n. 48; Schmalzgr., h. t. n. 403.

(129) Cap. 1 h. t. in Clem.; Suárez, l. c. u. 4, 5 sq.

(130) Cap. 55 X, de appell. II, 28; Suárez, l. c. n. 5, 7.

(131) Cfr. Hirschel, i. c. p. 332 sq.; c. 41 § 1, C. XXIV, q. 1, qui can. a Gratiano falso adscribitur Iuliano Papae, cum sit ex paenit. Theodori et ex paenit. Cummeani. Cfr. Schmiltz D. Bussbuecher p. 529, 639.

Inde ex saeculo sexto et septimo, quibus initia interdicti reperiuntur (132), cessationes quoque a divinis introduci coeptae sunt (133) atque adeo leges non desunt eo ipso tempore latae contra arbitrarías cessationes a divinis per clericos factas (134). Item a Concilio Lateranensi IV (a. 1215) cap. 7 = cap. 13, X. de off. iud. ord. I, 31, cessationes a divinis haud raro a capitulis (135) sine ulla valida ratione peractae, fuerunt prohibendae, et abusibus non sublatis Conc. Lugdun. II, a. 1274, cap. 17 = cap. 2 de off. ord. I, 16 in Sext. et potissimum Bonifacius VIII, cap. 8 de off. ord. in Sext. severiorem applicarunt disciplinam. Iam in canonibus recensitis inter cessationem a divinis et interdictum facta est distinctio, sed accuratius id praestitit cap. 1 h. t. in Clem., ubi cessationes generales a divinis, quas aliquando ex consuetudine vel alias capitula, collegia vel conventus saecularium vel regularium ecclesiarum sibi vindicabant infligendas, a Clemente V non reprobantur, dummodo statuta laudati capitis et suorum praedecessorum diligenter observarentur (136) Quod caput Clementinarum Concilium Tridentinum (137) saltem ex parte confirmavit, sed attento cap. 20 Sess. XXIV, de ref. vix capitulis reliquit antiquam ilam potestatem discernendi cessationem a divinis (138). Ceteroquin cessationes a divinis a Concilio Tridentino non fuerunt sublatae atque etiam ultimo saeculo (139) saltem *particulares* aliqua ratione a praxi ecclesiastica non fuerunt omnino alienae, ut satis probatur v. g. ex modo agendi Pii IX (140) contra usurpationes ecclesiarum catholica-

(132) Cfr. supra disputata de origine interdicti.

(133) Kober, in Archiv. f. k. K. tom. XXI, p. 10 sq.; Hinschius, l. c. tom. IV. p. 805.

(134) Cfr. c. 7, Conc. Tolet. XIII (a. 683) et Kober, l. c. p. 13 sq. de Hinem. Laudun. (a. 869).

(135) Kober, l. c. tom. XXII, p. 12 sq.

(136) Quanta fuerit diversitatis opinionum de hac re tum inter scriptores medii aevi tum etiam saeculi decimi sexti, patet ex iis, quae refert Suárez, l. c. sect. 1, n. 2 sq. 8 sq.

(137) Sess. XXV, n. 12 de regularibus.

(138) Quare quae veteres et recentiores scriptores (cfr. Schmalzgr., h. t. n. 415; Kirchenlex. v. Cessatio a divinis) de potestate capitulorum habent, cessandi a divinis sede plena, videntur esse antiquata. Cfr. Suárez, l. c. sect. 3 n. 3; Kober, l. c. p. 13, 15.

(139) Cfr. v. g. luctum ecclesiasticum a. 1840, ob violentam abductionem Archiepiscopi Mariüni Dunin a gubernio borussico factam.

(140) Cfr. Instruct. ad Nuntium Monacensem 12 Mart. 1873 in Archiv. f. k. K. tom. XXIX p. 434 « Interdicenda est ecclesia neohaereticis attributa ». Quae Hinschius l. c. tom. IV, p. 375, contra Pii IX Instructionem sanae rationi et fidei catholicae conformem excipit, inanibus nituntur fundamentis. Cfr. Hirschel, l. c. p. 329-337.

rum per novos haereticos veterum catholicorum sive Fallibilistarum in diversis regionibus factas. At in singulis decretis ecclesiasticis accurate inquirendum est, utrum interdictum, an cessatio a divinis sive sensu stricto sive sensu lato statuatur (141).

IV. Requirebatur ad illam decernendam fori externi iurisdictio contentiosa seu potestas ipsa ferendi interdictum (142).

V. *Causa finalis*, ob quam cessatio a divinis indici potuit, erat remote et primario rigor ecclesiasticae disciplinae, ut rebelles recedant a contumacia; et in puram vindictam ferenda non erat. Iuste autem ferri non potuit, nisi propter delictum gravissimum et publicum et contrarium communi bono Ecclesiae vel potestatis ecclesiasticae (143).

VI. *Forma* substantialis in cessatione a divinis indicenda generatim erat eadem atque in ferenda sententia censurae praesertim interdicti, quatenus huiusmodi forma requiritur ex generali ratione sententiae. Porro quamvis cessatio a divinis, attento iuris rigore, sub cap. 1 h. t. in Sext. non comprehenderetur, tamen propter paritatem rationis medicinalis, sollemnitates, cap. 2, 8, de off. ord. l. 16 in Sext. ex iuri speciali solis capitulis vel collegiis vel conventibus iniunctae, indiscriminatim ab Episcopis aliisque iudicibus ordinariis erant observandae (144).

VII. Generalis *effectus* indictae cessationis a divinis erat gravis *obligatio* illam observandi. (145). Quae obligatio primario clericis imposita proxime et directe referenda erat ad privationem divinorum (146), scl. missae celebrationem et horarum canonicarum publicam recitationem et omnes alias sollemnes benedictiones vel cerimonias ecclesiasticas (147), saltem *aliquot sacramenta* (148), denique *sepulturam* ecclesiasticam quatenus ista celebrationem divinorum officiorum complecteretur, sed prohibitionem tumulationis in loco sacro non

(141) *Hirchel*, l. c. p. 335.

(142) Cap. 1 h. t. in Clem.; *Suárez*, l. c. sect. 3, n. 1, 2, 3. Cfr. De religiosis exemptis cit. cap. 1 h. t. in Clem.; Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 12 de regul.; *Schmalzgr.* h. t. n. 422.

(143) *Suárez*, l. c. n. 4; *Schmalzgr.* h. t. n. 417.

(144) *Suárez*, l. c. n. 5 sq.

(145) *Schmalzgr.* h. t. n. 421.

(146) *Suárez*, l. c. sect. 2, n. 1; *Schmalzgr.*, h. t. n. 405, 406.

(147) *Suárez*, l. c. n. 2 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 407 sq.; cap. 24 h. t. in Sext.

(148) *Suárez*, l. c. n. 18 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 412.

comprehendebat, cum id nullo iure cautum esset (149). Quare in cessatione a divinis quoad officia divina rigor per se est maior quam in interdicto, minor autem quoad sepulturam ecclesiasticam, sed idem quoad sacramenta (150).

VIII. Laicis nullo umquam tempore ob violationem cessationis a divinis *ipso iure* imposita fuit poena; excommunicatio vero, quae clericis, religiosis exemptis et non exemptis cessationem generalem non servantibus ipso facto incurrenda cap. 1 h. t. in Clem. fuerat statuta, post Pii IX Const. «*Apost. Sedis*» mansit abrogata; quare puniatio huiusmodi transgressionum tum in laicis tum in clericis prudenti arbitrio competentis iudicis ecclesiastici relicta (151) erat.

IX. Cessationem a divinis ille solus relaxare sive revocare poterat, qui eam imposuisset vel ipsius superior vel successor vel legitimus delegatus (152), ipso autem facto ob lapsum temporis vel impletam condicionem per se non cessavit cum ad determinatum tempus non imponeretur et iudicium de sublata contumacia spectaret ad iudicem (153).

De suspensione cessationis a divinis per appellationem interpositam idem valuit atque de interdicto, et totalis aut partialis suspensio cessationis ex voluntate superioris ecclesiastici ferentis cessationem non fuit penitus exclusa (154).

(149) *Suárez*, l. c. n. 28 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 413.

(150) *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 12; *D'Annibale*, l. c. n. 378, not. 64.

(151) *Schmalzgr.*, h. t. n. 423; *Suárez*, l. c. n. 35 sq.

(152) *Suárez*, l. c. sect. 4 n. 1 sq.

(153) *Suárez*, l. c. n. 2, sect. 3, n. 14.

(154) *Suárez*, l. c. sect. 4, n. 3, 4.

CAPUT XXIV

De suspensione (1)

313. Nomen. Suspendio, quae accurate iamdiu distinguitur a privatione, depositione, degradatione (2), multiplicem nacta est designationem velut ἀργεῖν, μηκέτι λειτουργεῖν (Conc. Antioch. a. 341), abstineri (can. 4. Conc. Epaon. a. 517.), ab officio sequestrari, a sacrificando cessare, (Conc. Brachar. III. a. 675.), ab honore et officio suspendi (Conc. Aurel. V. a. 549.); atque hisce verbis iuris antiqui nondum continetur stabilis illa terminologia nunc recepta (3).

I. Notio, divisio, historia

314. Notio. Suspendio est *censura, qua clericus privatur usu sive exercitio potestatis ecclesiasticae vel functionum ecclesiasticarum ipsi ratione ordinis vel officii vel beneficii ecclesiastici competentium* (4).

Qua definitione verbum censurae, quod habet vim generis, suspensionem manifeste distinguit a peccato, irregularitatibus aliisque inhabilitatibus et a poenis vindicativis et a suspensione per modum poenae vindicativae inflicta (5). Reliquis autem verbis differentia ab excommunicatione et interdicto satis indicatur. Etenim suspendio formaliter in solos *clericos* ut clericos ferri potest, quatenus illi habent functiones quasdam proprias potestatis ecclesiasticae; excom-

(1) Suárez, disp. XXV sq.; Schmalzgr., h. t. n. 263 sq.; Kober, D. Suspendio. Devoti, Inst. can. l. IV, tit. 20; Stremmer, Des peines ecclési. p. 293 sq.; Ballerini-Palmieri, VII, n. 338 sq.; D'Annibale, Summ. I, n. 154 sp.; Ojetti, Synopsis tomo III, n. 3885 sq.; Lega, tomo III, n. 154 sq.; Hilarius a Sexten, De censuris, p. 65 sq.; Hollweck, l. c. § 59 sq.; Hinschius, l. c. tom. IV, p. 726, 731, 810 sq.; tom. V, p. 66, 125 sq.

(2) Suárez, disp. XXX.

(3) Kober, l. c. p. 19; Hinschius, l. c. tom. IV, p. 731, qui p. 732, frustra putat se rem plane novam detexisse (cfr. Suárez, l. c. disp. XXVI, sect. 3, 9) et tom. V, p. 66, sine solido fundamento Kober impugnat. Cfr. quoque Devoti l. c. § 2, not. 2 de antiquitate suspensionis.

(4) Suárez, l. c. disp. XXV, sect. 1.

(5) Suárez, l. c. disp. XXX.

municatio vero et interdictum sunt censurae laicis et clericis communes et formaliter feruntur in fideles, quatenus sunt baptizati. Praeterea suspensio speciatim differt ab excommunicatione minore nunc suppressa, quae directe solam *passivam* privationem sacramentorum produxit, cum suspensio efficiat privationem *activam* sacramentorum et insuper etiam aliarum functionum ecclesiasticarum (6).

Porro quamvis excommunicatio maior imprimis differat a suspensione sicut includens ab incluso, tamen maxime in hoc apparet differentia, quod suspensio formaliter clericum privet illis functionibus, quatenus exercentur *ratione ordinis* vel *officii* vel *beneficii* ecclesiastici; excommunicatio vero maior privat illis functionibus *et insuper aliis bonis* ecclesiasticis, quatenus a clerico excommunicato aufert *omnem communicationem cum fidelibus*, non tantum usum potestatis. Deinde suspensio differt ab interdicto, quod illa privat usu activo sacramentorum aliarumque functionum, *quatenus pendent a potestate ecclesiastica*, relinquit vero usum passivum sacramentorum et officiorum divinatorum et sepulturam ecclesiasticam. E contra interdictum istum passivum usum sacramentorum, officiorum divinatorum et sepulturam ecclesiasticam saltem partialiter tollit, et si quem activum usum rerum sacrarum prohibet, id facit tantum ea ratione, qua ille usus omnibus fidelibus prohibitus est ad obtinendum scopum interdicti.

Denique suspensio tantum *usum officii, ordinis, iuris, beneficii* impedit, at depositio et degradatio universaliter et in perpetuum *ipsis officiis et beneficiis* ecclesiasticis, immo quantum fieri potest, ipsa potestate ordinis privant sine spe restitutionis (7).

315. Divisio. Suspendio (8) quatenus est non solum censura, sed etiam poena vindicativa (vel mera privatio vel inhibito quaedam ad cautelam) (9), dividitur: I. *Ratione causae*, in suspensionem *a iure* et *ab homine*. — II. *Ratione modi*, quo infligitur, in suspensionem *ipso facto* incurrendam sive ex iure sive ex praecepto, et

(6) Ballerini-Palmieri, l. c. n. 228, 232.

(7) Pirhing, h. t. n. 197; D'Annibalè, l. c. n. 379; Hilarius a Sexten, l. c. p. 66, 67.

(8) Suárez, l. c. disp. XXV, sect. n. 1, 2. sq.

(9) Suárez, l. c. n. 4; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 339; Droste, l. c. p. 55; Kober, l. c. p. 28 sq.

in suspensionem *per sententiam* a iudice *ferendam* et in suspensionem *extraiudicialiter iunctam*. — III. *Ratione obiecti*, in suspensionem *ab officio, a beneficio, ab utroque*. Prima illa suspensio privat clericum exercitio universae potestatis ecclesiasticae tum ordinis tum iurisdictionis et administrationis ecclesiasticae. Quod ut clarius exprimat, distingui solet suspensio *ab ordine* et ei opponitur suspensio *ab officio*, sive a *iurisdictione*, quae tantum comprehendit suspensionem a functionibus iurisdictionis et administrationis ecclesiasticae. Suspensio a *beneficio* clericum excludit a percipiendis fructibus et administratione beneficii et aliis functionibus, quae a beneficio pendent, verumtamen ab officio non repellit. Hinc facile patet, quid suspensio *ab utroque* operetur. IV. *Ratione ambitus*, in suspensionem *totalem* sive generalem et in suspensionem *partialem*. Quae divisio aut recidit in praecedentem, aut prior pars denotat privationem completam omnium functionum ordinis vel officii vel beneficii, altera vero tantum privationem certarum functionum ordinis vel officii vel beneficii (10). — V. *Ratione durationis*, in indeterminatam, determinatam, perpetuam.

216. Notae historicae. *Origo* suspensionum quoad potestatem illas infligendi ab ipso Christo Domino est repetenda; institutio vero singularum suspensionum est ab Ecclesia, quae successu temporis illas suis canonibus ad certam determinatamque formam redegit (11).

Quodsi vel ipsi pagani atque etiam hebraei suos sacerdotes criminibus inquinatos aut ab officio sacerdotali *deposuerunt* aut

(10) Suárez, l. c. n. 11 sq.; Kober, l. c. p. 24 sq.; Schmalzgr., h. t. n. 267. Hoc est singulare discrimen inter suspensionem et excommunicationem, quod huius effectus *non sunt divisibiles*, quare Praelatus R. P. inferior non potest infligere excommunicationem simul decernendo determinatos quosdam excommunicationis effectus ab excommunicato non esse incurrendos, talis enim limitatio contra ius commune nullius esset valoris; at suspensio effectus habet inter se separabiles, non solum quia multiplex datur suspensio (v. gr. ab officio, ordine, beneficio), sed etiam quia in unaquaque suspensionis specie Praelatus, etiam R. P. inferior, potest in particulari determinare actus, quos per suspensionem vult prohibere, sive eam infligat per modum poenae vindicativae, sive per modum censurae. Cum praeterea suspensio, quae fertur ut poena, admittat gradus quoad durationem, inde apparet suspensionem generice sumptam esse inter poenas quae aptior est ad coercenda clericorum delicta, cum melius possit proportionari diversae ipsorum gravitati.

(11) Suárez, l. c. disp. XXVIII, sect. 1, n. 1.

saltem *suspenderunt* (12), certe idem ius competit Ecclesiae pro sua perfecta potestate regendi a Christo concessa (13). Hinc mirum non est, quod Ecclesia inde a primis saeculis in clericos delinquentes poenas depositionis vel *suspensionis* in diversos gradus et modos distinctas pronuntiavit (14). Quae suspensio tamquam poena depositione mitior sese habuit ad instar temporariae depositionis ab officio, sed ipsum officium non abstulit (15). Cum saeculo sexto iam accuratior hac in re habeatur terminologia (16), sane illo tempore suspensio usu iamdiu fuit recepta (17). At quoniam clerici ita suspensione castigati sunt, ut haec poena modo duraret tantum usque ad emendationem rei, modo ad certum tempus infligere-tur (18), manifestum quoque est, suspensionem tum ut censuram tum ut poenam vindicativam in foro ecclesiastico fuisse admissam. Item saltem ex saeculo sexto et septimo suspensiones latae sententiae magis magisque in foro ecclesiastico fuerunt receptae (19).

Tempore medii aevi, cum paulatim ex saeculo 12 introduce-rentur ordinationes absolutae (20), atque ius beneficiarium magis magisque perficeretur, antiqua suspensionis poena fuit retenta (21), sed accuratius definita et divisa est in suspensionem ab ordine (22), ab officio (23), a beneficio (24). Similiter etiam hac aetate pro more saeculis elapsis iam recepto partiales infliguntur suspensiones (25).

(12) Korer, l. c. p. 3 sq.

(13) I Timoth. V, 19, 20.

(14) Kober, l. c. p. 5 sq.; Hinschius, l. c. tom. II, p. 726, 806 sq. t. V, p. 51 sq.

(15) Kober, l. c. p. 6 sq., 19 sq.; Hinschius, l. c. p. 734 sq.

(16) Cfr. c. 2 6, Conc. Aurel. III (a. 538); c. 5 Conc. Aurel. V (a. 549); c. 6 Conc. Narbon. (a. 589).

(17) Cfr. c. 2 C. Aurelian. (a. 538).

(18) Cfr. c. 4 Conc. Epaon. (a. 517); c. 1 Conc. Ilerd. (a. 524); Kober, l. c. p. 26 sq.; Hinschius, l. c. p. 736.

(19) Cfr. infra de cond. req. ad infl. cens.

(20) Cap. 4, 16 X, de praeb. III, 5; Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 14 i. f. de ref.; Kober, l. c. p. 26.

(21) Hinschius, l. c. tom. V, p. 66 sq.

(22) Cap. 1, X de schism. V, 8, = c. 2 Conc. Lateran. III, a. 1179; Kober, l. c.; Hinschius, l. c. p. 70.

(23) Cap. 3, X de usur. V, 19 = c. 25. Conc. Lateranen. III, a. 1179; cap. 8, X, de purg. can. V, 34; Hinschius, l. c. p. 67 sq.; Schiappoli, l. c. n. 209 sq.

(24) Cap. 7 § 3 X, de elect. I, 6; cap. 43 X, eod. tilt.; Hinschius, l. c. p. 68 sq.

(25) Cap. 15, X, de temp. ord. I, 11; Hinschius, l. c. tom. IV, p. 734, tom. V, p. 70 sq.

Nova vero est illa suspensio *ex informata conscientia* in iure decretalium pro solis regularibus statuta et a Concilio Tridentino etiam ad clericos saeculares extensa (26). Inde a Concilio Tridentino usque ad nostram aetatem de suspensione in genere notabilis immutatio iuris non est facta.

II. De subiecto activo et passivo suspensionis

317. Cum Christus Dominus potestatem coercitivam in Ecclesia sua tradiderit Apostolis et inprimis S. Petro, non communitati fidelium (27), etiam potestas infligendi suspensionem iure proprio et nativo competit omnibus et solis *Praelatis* in hierarchia ecclesiastica constitutis et potestate leges condendi aut saltem iure non limitato excommunicandi instructis (28), minime vero principibus saecularibus, etiamsi isti exercent ius patronatus in officia et beneficia ecclesiastica.

Quare potestate ferendi suspensiones pollent: Pontifex et Episcopi, quorum sententiae suspensionis certe ex disciplina nunc vigente (29) etiam sine consilio vel consensu Capituli validae et licitae existere possunt (30); Concilia oecumenica et particularia (31); Congregationes Romanae v. g. S. C. Inq. (32) pro ambitu suarum facultatum; porro Legati a Latere intra provinciam sibi commissam et salvis limitibus a Concilio Tridentino Sess. XXIV, cap. 20 de ref. constitutis; Metropolitae et Concilia provincialia iuxta ambitum ipsis a Concilio Tridentino relictum (33); Praelati nullius, Vicarii

(26) Cum suspensio ex informata conscientia non sit specialis quaedam poena, sed specialis modus procedendi vel potius dispensatio in formalitatibus ordinarii iudicii criminalis, expositio doctrinae canonicae de illa suspensione melius reservatur libro de iudiciis.

(27) Matth. XVIII, 15 sq.; *Kober*, l. c. p. 35.

(28) *Suárez*, l. c. disp. XXVIII, sect. 1; *Schmalzgr.*, q. t. n. 270 sq.

(29) De iure antiquo, cfr. c. 6 C. XV, q. 7; cap. 1 X (Alex. III) de excess. prael. V, 31.

(30) Cap. 3 de consuet. I, 4 in Sext; *Suárez*, l. c. n. 4; *Kober*, l. c. p. 38 sq.; *Hinschius*, l. c. tom. V, p. 279, 291.

(31) Conc. prov. Westmonaster. I, a. 1852 in Collect. Lac. tom. III, p. 939; Conc. Rothomag., a. 1850, in Coll. Lac. tom. IV, p. 526; *Benedictus XIV*, De synod. dioec. lib. III, cap. 12, n. 1, 2; *Kober*, l. c. p. 39 sq.

(32) *Bangen*, D. roem. Curie p. 119 sq.

(33) Cap. 52 X, de sent. exc. V, 39 et Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 5 de ref. iunct. Collect. Lac. tom. I, p. 635 sq., de suspensione Senecensis Antistitis a

capitulares (34), item Vicarii generales si mandato speciali muniti sunt (35), Praelati regulares (36) v. g. Generales vel Provinciales in regulares sibi subditos.

318. Subiecta *passiva* suspensionis, quippe quae consistit in privatione usus potestatis ecclesiasticae atque exercitii functionum ecclesiasticarum, non sunt laici, sed soli clerici (37) iique omnes sive maiores sive minores, regulares et saeculares, Praelati et inferiores magistratus; sed excipitur ex natura rei R. Pontifex atque ex positiva iuris dispositione Episcopi et Praelati ipsis Superiores, qui *propter executionem et reverentiam pontificalis officii* suspensionem ipso facto non incurrunt; nisi in constitutione, sententia sive mandato, de Episcopis *expressa* mentio habeatur (can. 2227, § 2) (38).

Capitula sive collegia ecclesiastica clericorum, quamvis ut capitula sive collegia excommunicari non possint, tamen quatenus sunt unum corpus morale atque actiones habent proprias et bona propria, quae ita pertinent ad totam communitatem, ut ad singulas personas non spectent, sine dubio possunt suspendi (can. 2255, § 2) (39). Attamen huiusmodi suspensio, nequit cadere in capitulum ut capitulum quoad actus ordinis; nam actus ordinis non fiunt per totam communitatem, sed per singulares personas (40). Quare ista suspensio capituli sese tantum extendere potest in officium (41)

Concilio provinciali Ebredunensi, a. 1727, inflictis; cap. 1 de off. vicar. I, 13, in Sext. iunct. declar. S. C. C. in caus. Tarentin. 25 Febr. 1642, allegatam ex Monacelli apud *Bouix*, de iud. tom. I, p. 453.

(34) Cap. 14 X, de maior. I, Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 16 de ref.

(35) Cap. 2 de officio vic. I, 13 in Sext.

(36) Cap. 8 X, de stat. mon. III, 35; cap. 33 X, de simon. V, 3; *Kober*, l. c. p. 40 sq.; *Suárez*, De virt. et stat. relig. tract. VIII, I, II, c. 9, n. 4, 5; *Piat Mont.* I, I, q. 775 sq.

(37) Cap. 4 X de crimine fals. V, 20; cap. 11 X, de privil. V, 33 pro more antiquae Ecclesiae (cfr. c. 69, 70 Apostol.; c. 2, Conc. Chalced. a. 451) laici excommunicantur, clerici vero ob idem delictum suspenduntur. Cfr. *Kober*, l. c. p. 29 sq. 5; *Suárez*, l. c. disp. XXVIII, sect. 2, n. 1 sq.; *Hinschius*, l. c. tom. V, p. 66 not. 2, sine solida ratione suspensionem ad clericos restringi negat.

(38) Cap. 4 de sent. exc. V, 11 in Sext.; *Suárez*, l. c. n. 4 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 273 sq. 296.

(39) *Suárez*, l. c. sect. 3, n. 1 sq.; *Kober*, l. c. p. 31 sq.; *D'Annibale*, l. c. n. 388.

(40) *Suárez*, l. c. n. 3; *Kober*, l. n. n. 32.

(41) Cap. unic. ne sed. vac. III, 8 in Sext.

sive actus iurisdictionis et administrationis et in beneficia ecclesiastica (42), quae capitulo ut capitulo competunt et unita sunt. Quodsi omnes et singuli socii alicuius capituli, conventus, collegii graviter deliquerunt, nihil obstat, quominus omnes quoque singulares personae ab ordinibus vel officiis vel beneficiis suis ecclesiasticis suspendantur (43), aut suspensio in capitulum simul et in singulos feratur.

Quae de multiplicatione censurarum in idem subiectum supra de censuris in genere dicta sunt, eadem multiplicationi suspensionum applicari debent (44).

III. De requisitis condicionibus ad ferendam suspensionem

319. Quae huc spectant, maxima ex parte in disputatione de censuris in genere sunt praeoccupata et facile ad suspensionem applicari possunt.

Quare imprimis suspensio sive ut censura sive ut poena vindicativa ferri nequit, nisi propter proportionatam (45) *culpam propriam* sive personalem clerici, cui infligitur (46). Quodsi quis clericus interdum ex iuris sanctionibus videatur posse suspendi absque ulla culpa propria, id ex textibus iuris allatis (47) non probatur; nequaquam enim confundenda est suspensio, quae vim stricte cen-

(42) Cap. I, de elect. I, 3 in Extrav. comm.

(43) Cap. 40 de elect. I, 6, in Sext.; Suárez, l. c. n. 4 sq.

(44) Suárez, l. c. n. 9; Kober, l. c. p. 33 sq.

(45) Suárez, l. c. disp. XXVIII, sect. 4 n. 6 ubi docet ob culpam *levem* non nisi suspensionem *levem*, ob gravem culpam gravem suspensionem infligi posse; at ibidem recte docet suspensiones *a iure* inflictas non incurri ab eo, qui sive ex imperfectione actus sive ex levitate materiae legem violat actu leviter dumtaxat culpabili. *Ab homine* vero, saltem ex natura rei, aliquid in se leve ob iustam causam potest praecipui sub suspensione saltem levi quae non sit censura (ob can. 2242); nam cum suspensio sit poena valde divisibilis non solum quoad effectus, sed etiam quoad durationem, facile apparet aliquam levem et brevi tempore duraturam suspensionem posse servare proportionem cum culpa commissa *in re levi*, quae ob iustam causam specialem sub suspensione praecipuiatur, quamvis per se leves culpa saltem per legem poenalem non sint poenis subiiciendae. Cfr. *D'Annibale*, l. c. n. 385, not. 48. Can. 2218, § 2 de facto videtur referri ad poenas *in iure* constitutas.

(46) Cap. 2 X, de const. I, 2; cap. 2 X, de his, quae fiunt a maiore parte capit. III, 11; Suárez, l. c. n. 1 sq.; Kober, l. c. p. 50 sq.

(47) Cap. 1 X, de ord. ab Episc. I, 13; cap. 14 X, de tempor. ord. I, 11;

surae aut poenae vindicativae habet, cum omni prohibitione utendi potestate ecclesiastica ob legitimam *causam* etiam inculpabilem facta (can. 2222, § 2) (48). Huiusmodi suspensio sane sensu lato vocari potest suspensio, at minime sensu stricto; est etenim potius irregularitas quaedam dispensatione non sublata vel ordinatio provisoria Praelati ecclesiastici forte in poenam tertiae personae vere delinquentis.

320. *Forma*, qua suspensio fertur, pariter est duplex i. e. *a iure* sive per legem rite latam et promulgatam cui accensetur praeceptum generale communitati promulgatum, et *ab homine* per praeceptum peculiare aut per sententiam iudicalem legitime preparatam, latam et executioni mandatam (49). Similiter suspensio potest esse ferendae aut latae sententiae (50) et si verba legis sunt dubia potius suspensio ferendae sententiae est admittenda (51).

Quodsi per sententiam iudicalem feratur suspensio, quae universim de sententiis iudicialibus et speciatim de censuris latis a iudice statuta sunt, eadem etiam in suspensionibus infligendis sunt servanda (52) v. g. de admonitione et citatione rei, probatione legitima, de sententia rite et allegatis causis composita et promulgata, de recusatione iudicis, querela nullitatis, appellatione (53) canonice factis (54), salva singulari dispositione de effectu suspensivo appellationis contra sententiam suspensionis a beneficio vel in diem vel sub conditione latam (55).

(48) Suárez, l. c. n. 3 sq.; Schmalzgr. h. t. n. 282 sq.

(49) Suárez, l. c. disp. XXVIII, sect. 5; Kober, l. c. p. 55 sq.

(50) Quae poena suspensionis *latae sententiae* in irritatione rite intellecta ordinationum illegitimarum (cfr. c. 16 Conc. Nicaen., a. 325; c. 6 Conc. Chalced., a. 451) suum habet fundamentum, et c. 4 Conc. Epaon., a. 517, et multo magis c. 11, Conc. Tolet. XIII, a. 683, manifeste continetur. Cfr. Kober, l. c. p. 45 seq. ubi p. 48, ex cap. 19 epistolae Gelasii I, a. 492-496, scr. a. 494, ad Episc. Lucan. inefficax repetit argumentum ad probandam suspensionem ipso facto infligendam, sicut Hinschius, l. c. tom. IV, p. 773, 841, saltem aliqua argumenta a Kober, allata pro antiquitate, suspensionem latae sententiae minus feliciter impugnat. Inde a saeculo septimo censuras et poenas latae sententiae in foro ecclesiastico fuisse receptas vel ipse Hinschius l. c. tom. V, p. 130 sq. omnino concedit.

(51) Kober, l. c. p. 49 sq.

(52) Kober, l. c. p. 57 sq., 78 sq.

(53) Cap. 20 X, de sent. excom. V, 11 in Sext.; cap. 40, 52 X, de appell. II, 28; Reiffenst. l. c. I, II, t. 28, n. 213, 214; Kober, l. c. p. 83 sq.; Hinschius, l. c. tom. V, p. 73 not. 9.

(54) Schmalzgr. h. t. n. 288, 289.

(55) Kober, l. c. p. 84 sq.; cap. 40 X, de appell. II, 28; Pirhing, h. t. n. 213.

IV. De effectu suspensionis

321. I. Suspendio ab officio absolute et simpliciter sive a iure sive ab homine sine ulla restrictione lata non tollit ipsum officium ecclesiasticum sive potestatem radicalem, sed tantum impedit sive suspendit omnem usum tum ordinis tum iurisdictionis vel administrationis, quantum persona capax est et donec legitime liberetur excepta administratione bonorum proprii beneficii (can. 2278, § 1) (56).

322. II. Suspendio a beneficio privat fructibus beneficii, excepta habitatione in aedibus beneficialibus; non autem privat iure administrandi bona beneficialia, nisi decretum vel sententia suspensionis ipsam administrandi potestatem suspensio expresse adimat et alii tribuat (can. 2280, § 1). Fructuum nomine veniunt omnes redditus temporales ex beneficio in sensu novi iuris provenientes (cfr. can. 1412, 1410). Qua in re attendenda est diversitas regionum; nam ad normam citati canonis ea, quae uno in loco sunt fructus, in alio loco erunt obventiones a fructibus distinctae: unde, extra casum classici beneficii iuris antiqui, expedit ut poenam ferens declaret quos fructus sensu latiori huius vocis suspensus amittat (57).

Fructus ipso iure amittuntur a momento suspensionis: idcirco beneficiatus qui eos nihilominus percipiat suos non facit et ad restitutionem tenetur in utroque foro et in externo foro ad eam poenis

(56) Cap. 1 de sent. et re iud. II, 14, in Sext.; Suárez, l. c. disp. XXVI, sect. 1. n. 1 sq., 3 sq., 9 sq.; Schmalzgr. h. t. n. 290 sq., 294; Kober, l. c. p. 88 sq., D'Annibale, l. c. n. 383; Hinschius, l. c. tom. V, p. 67, 73, tom. IV, p. 734; Hilarius a Sexten, l. c. p. 71.

(57) Quae ad normam can. 1412 beneficia non sunt non comprehenduntur in suspensione a beneficio. In classico beneficio iuris antiqui in privatione fructuum non recensebantur pensiones, quae in odiosis non veniebant nomine beneficii, et distributiones, quae potius percipiuntur ex singulari stipendio propter speciale servitium fidelibus praestitum, non ratione beneficii; item ex fructibus amittendis erant deducendae impensae, vectigalia, et specialia onera impleta vel adimplenda, quae beneficio extrinsecus accederent, a quibus implendis et speciali obligatione suscepta non liberatur suspensus a beneficio. Cfr. Suárez, disp. XXVII, sect. 1, n. 29, 30; Kober, l. c. p. 125 sq.; Lega, l. c. n. 165; D'Annibale, l. c. u. 382 et not. 33. Inde autem manifeste patet, quod in novis formis beneficii admissis can. 1510 multa debent determinari in hac privatione a Superiore suspensionem ferente.

canonicis urgeri potest (58). Beneficium quidem datur propter officium, tamen sicut iure antiquo ita et novo suspensio ab officio non eo ipso inducit etiam suspensionem a beneficio iam collato, nisi disertis verbis etiam ad beneficium extendatur aut *generaliter* suspensio feratur (can. 2278, 52) (59); insuper leges poenales strictam requirunt interpretationem (60). Sola suspensio *generaliter* lata aut sub formula *ab officio et beneficio* complectitur omnes effectus utriusque suspensionis partialis (can. 2278, § 1). Per se patet suspensum a solo officio debere per alium, si res ferat, onera officii propriis expensis implere (61).

Si suspensio a beneficio infligatur per modum poenae vindictivae ob delictum commissum, iudicis infligentis suspensionem prudenti arbitrio est relictum, taxare quantitatem fructuum beneficii clerico suspensio ad necessariam sustentationem reliquendam, ne is enim dedecore status clericalis mendicare cogatur aut fame pereat (62). Quae clementia exercenda non est, salvis casibus extremae necessitatis (63); si suspensio a beneficio per modum censurae lata est in beneficiatum contumacem; ab ipsius enim libero arbitrio pendet poenitentia peracta sese liberare a privatione fructuum; quod si negligat, liberam, non necessariam, patitur privationem.

323. Quoniam per se fieri potest, ut quis plura habeat officia vel beneficia inter se compatiblea sive in eadem sive in diversa dioecesi, dubitari non potest, quin suspensio ab officio vel beneficio simpliciter *iure communi* inflictis sine restrictione ad determinatum officium vel beneficium, suspendat ab omnibus officiis vel beneficiis ubicumque possideantur sive in eadem sive in diversa dioecesi (can. 2282); ius enim commune ubique valet, cum procedat a potestate non restricta ad determinatum territorium (64). Si

(58) Cfr. cap. unic. de cler. non resid. III, 3 in VI; Conc. Trid. sess. 24, cap. 12; sess. 23, cap. 1; Suárez, disp. XXVII, sect. n. 7; Kober, l. c. p. 119 sq.

(59) Suárez, l. c. sect. 3; Schmalzgr. h. t. n. 296, 297; Kober, l. c. p. 91 sq.; Hinschius, l. c. t. V, p. 68 sq.; D'Annibale, l. c. et not. 37, 38; Hilarius a Sexten l. c.

(60) Cap. 3 § 2 de clandest. desp. IV, 3; cap. 7 § X, de elect. I, 6; cap. 1 X, de sect. nupt. IV, 21; cap. 10 X de purg. can. V, 34; cfr. can. 2219, § 1.

(61) Suspensus ex poena commodum non debet reportare.

(62) Schmalzgr. l. c. n. 305; Suárez l. c. sect. 2 n. 5.

(63) Cfr. c. 25 D. 86; Kober l. c. p. 121 sq.

(64) Ballerini-Palmieri, l. c. n. 346; l. c. n. 346; Lega, l. c. n. 164; Hilarius a Sexten, l. c. p. 73, 74; Thesaurus, l. c. P. I. c. 26.

vero suspensio *ab homine* per Episcopum infligatur, haec suspensio non comprehendit officia vel beneficia in aliena dioecesi possessa, atque idem est dicendum de suspensione lata per statutum seu legem dioecesanam (cit. can. 2282) (65).

324. III. Sensusio generalis, quae totalem suspensionem et ab officio et a beneficio cum earum effectibus continet, insuper hanc aliam privationem inducit, ut suspensus nequeat;

1^o) Eligere, praesentare, nominare,

(65) Ita iam *D'Annibale*, l. c. n. 382 et not. 35; *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 346. Aliter *Thesaurus*, l. c.; *Suárez*, l. c. disp. XXVII, sect. 1, n. 17 sq. Inde patet rem iure praecedenti fuisse controversam. Fatebatur tamen *Suárez*, n. 21, usu receptum esse, ut suspensio non extendatur ad beneficia in aliena dioecesi existentia, nisi id diserte in sententia exprimatur. Sed restrictio hoc modo facta *competentiam* Episcopi admittit; quae tamen competentia est neganda; nam per talem actum Episcopus falcem in alienam messem mitteret et suam iurisdictionem extra limites proprii territorii extenderet cum perturbatione iurisdictionis alterius Ordinarii. Quodsi *Suárez* illam competentiam exinde probari censuit, quod sententia feratur non *de* beneficio vel officio alterius dioecesis, sed *in personam* subditam, quae privatur ab usu iuris quod in aliena dioecesi habet, haec ratio non erat convincens; quia ius quod habet clericus in aliena dioecesi est quidem ius *eius qui est subditus* sed non est *eius quatenus est subditus huius Episcopi*, sed alterius (*Ballerini-Palmieri* l. c.). Nec paritas cum depositione erat convincens, cum depositio sit poena quoad effectus non divisibilis et quae solum infligi possit in casibus in iure expressis; suspensio vero est quoad effectus divisibilis, cuius infligendae potestatem habet Episcopus etiam in casibus in iure non expressis, quae in hypothesi sine expressa et certa iuris communis concessionem Episcopus per *suam* poenam vere extenderet suam iurisdictionem in rem sibi non subiectam. Propter similem rationem non est paritas cum excommunicatione, cuius effectus non sunt divisibiles, et effectum habet extra territorium excommunicantis ex expressa et certa iuris communis dispositione. Cfr. quoque *Lega* l. c. n. 162 sq., qui doctrinam in textu propositam et in Codice firmatam admisit de *beneficiis*, at ob disparitatem non satis probatam non ausus est applicare *officiis*, in quibus tamen apparet minus congrua extensio iurisdictionis in alienam dioecesim. Cfr. *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 347, qui de iurisdictione optimo iure arguit, quod praescindendo ab *expressa* et *certa* in contrarium iuris dispositione, quae in casu non datur, non apparet quomodo illa suspensio liget extra territorium suspendentis, *quia in aliena dioecesi iurisdictionem seu potestatem accipiens aliam accipit ab ea, qua in sua dioecesi privatus est*, et allegat respons. S. C. EE. et RR. quod religiosus a suo Praelato suspensus ab audiendis saecularium confessionibus, possit nihilominus valide absolvi, si ab Episcopo iurisdictionem habeat. Quod responsum directe quidem est datum de exercitio iurisdictionis fori interni; sed cum eodem modo tum interni tum externi fori iurisdictionis sint obiectum suspensionis, principium, in quo fundatur illa decisio, pro foro quoque externo valeat necesse est.

2^o) Consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones aliudve munus in ecclesia;

3^o) Promoveri ad ordines (can. 2283 cum relat. ad can. 2265).

Haec omnia suspensio *illicita* sunt: quodsi per sententiam de censura constet, etiam sunt *invalide* posita seu recepta, exceptis ordinibus; sicut etiam *invalide* reciperetur *quaevis gratia pontificia* forte impetrata, nisi in rescripto mentio de suspensione fiat (canones cit.).

325. Scholion. Memoratus canon 2283 finem imposuit molestae controversiae iure praecedenti existenti circa inhabilitatem suspensi ad officia et beneficia: nam licet communior sententia illam inhabilitatem assereret, illa tamen communior sententia in censura suspensionis non ita lucida emergebat dum pressius examinabatur obiectum illius communis sententiae (66). Cuius rei causa erat multiplex species suspensionis, quae ex una parte sive ut censura sive ut poena vindicativa infligi potest, ex alia parte est poena quoad suos effectus divisibilis, et quae de una specie suspensionis aut de suspensione totali dicuntur nequaquam applicari indiscriminatim poterant ad quamcumque partialem suspensionem. Illa ergo communior sententia erat intelligenda de totali suspensione, quae feratur a iure; at cap. 8, X. de consuetud. l. 4, unde eruebatur probatio rem plane non evincebat quia agit de *electione a suspensis* et de *suspensio* facta, quae insuper a R. Pontifice cassatur; unde iam ipse *Suárez* l. c. docuit collationem officii aut beneficii potius esse irritandam, quam ipso iure irritam, nec proprie suspensum esse *inhabilem*, sed *indignum*. Quae indignitas est manifesta. Praeterea inhabilitates, saltem quae oriuntur ex poena *occulte* incursa, ut saepe accidit in suspensione, sunt coniunctae cum gravibus incommodis, praesertim quia practice suspensus teneretur se ipsum prodere non acceptando beneficium. Unde iam nonnulli doctores optabant, ut si illa inhabilitas *vere dubia* esset retinenda, ita statueretur ut ea non incurreretur, nisi a totaliter suspensio per sententiam condemnatoriam aut declaratoriam; quibus optatis, ex dictis, Codex fecit satis.

(66) Cfr. *Leuren.*, Forum benefic. P. I. q. 331 sq.; *Suárez*, l. c. disp. XXVII, sect. n. 26; *Thesaurus*, l. c. P. I, 30; *Schmalzgr.*, h. t. n. 296; *D'Annibale*, l. c. n. 384, not. 43; *Lega*, l. c. n. 163; *Kober*, l. c. p. 89; *Hinschius*, l. c. t. II, p. 487, t. V, p. 542, 584 sq.; *Hollweck*, l. c. p. 84; *Wernz*, l. c. t. II, n. 298; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 347.

326. Si quis suspensus ab officio actum iurisdictionis, praeter casus in iure exceptos (Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 7, de paenit.), usurpet, licet de se graviter peccet, tamen irregularitatem vel aliam poenam ecclesiasticam ipso facto non incurrit, sed prudenti arbitrio iudicis ecclesiastici est puniendus (67). Quodsi huiusmodi suspensus ab universo officio vel ab ordine sive a iure sive ab homine ante absolutionem vel cessationem suspensionis temere sive scienter, sollemniter sive ex officio actum ordinis personaliter exercet ipso facto in poenam delicti fit irregularis (68).

Quae irregularitas non solum incurritur propter violatam suspensionem ab ordine vim censurae habentem, sed etiam ob violationem suspensionis in poenam vindicativam sive a iure sive ab homine (can. 985, 2^o) latae (69). Insuper dubitari vix potest, quin generatim irregularitas contrahatur, si quis suspensus ab ordine per sententiam ex informata conscientia actum ordinis exercere praesumat (70). — At irregularitas ex violatione suspensionis a beneficio non incurritur.

Si quis suspensus sit ea suspensione, quae vetat administrationem sacramentorum et sacramentalium (generalis, ab officio, a divinis, ab ordinibus) nec fidelibus, ex qualibet iusta causa, prohibitum est ea a suspenso petere, nec suspenso rogato ea licite mini-

(67) Suárez, l. c. disp. XXVI, sect. 2, n. 3, disp. XI, sect. 31 n. 11 sq.; Kober, l. c. p. 94 sq. Paulo aliter Hollweck, l. c. § 262, ubi praedicationem recenset inter actus per quos incurritur irregularitas.

(68) Cap. 1 de sent. et re iud. II, 14, in Sext.; cap. 1, 20 de sent. excom. V, 11 in Sext.; Suárez, l. c.; Kober, l. c. p. 95 sq.

(69) Cfr. de controversia iure praecedente existente; cap. 1 de sent. et re iud. in Sext. et cap. 1 de sent. exc. in Sext.; Suárez, l. c. n. 4; Kober, l. c. p. 95; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 339; Hinschius, l. c. p. 613; Gasparri, de sacr. ordinat. n. 358; Hollweck, l. c. § 259. Sententia D'Annibale, l. c. n. 386, qui doctrinam limitabat ad suspensionem, quae sit censura, et ad suspensionem poenam si haec est inflicta a Romano Pontifice, non videbatur satis esse fundata. Lega quoque l. c. n. 225 nimium limitabat doctrinam ad casus taxative in iure expressos; ex quorum insertionem in collectionem authenticam potius deducendum erat principium generale. Neque adest principium generale, irregularitatem tantum incurri ex violatione *censurae*, si speciatim *in iure de suspensione poenali* idem est statutum. Porro intrinseca quaedam ratio statuendi discrimen non apparet, cum idem sit in omnibus casibus contemptus auctoritatis ecclesiasticae.

(70) S. C. C. in caus. Sagon. 21 Iun. a. 1625, apud Benedictum XIV, De synod. dioec. lib. XII, cap. 8, n. 5; Instr. S. C. de Prop. F. 20 Oct. 1884, § 11 in Coll. S. C. de Pr. F. n. 1009; Stremler, l. c. p. 294, 314; Lega, l. c. n. 166.

strare, dummodo non habeatur sententia condemnatoria vel declaratoria, hoc enim casu in solo mortis articulo possunt fideles a censurato sacramentalem absolutionem, et, si alii ministri desint, cetera sacramenta et sacramentalia postulare (can. 2284 iunct. can. 2261).

327. **Suspensiones partiales.** Ius Codicis non solum firmavit principium, quod suspensio est poena divisibilis et ipsius effectus separari possunt (can. 2278, § 2); sed etiam varias particulares suspensiones enumeravit atque earum effectus declaravit.

I. Iam in *beneficio* admisit quod propter suspensionem a beneficio, non inducitur privatio administrationis beneficii, nisi haec quoque expresse statuatur contra id quod iure praecedenti obtinebat.

II. Quoad officium habentur hae partiales suspensiones (can. 2279):

1^o Suspensio *a iurisdictione* generatim, vetat omnem actum potestatis iurisdictionis pro utroque foro tam ordinariae, quam delegatae. Cum autem actus *administrationis* distinguantur a iurisdictione stricte accepta, illi actus per talem partialem suspensionem non manent vetiti (71): quare licebit parochi suspenso a iurisdictione matrimonio assistere, quod est munus *testis autorizabilis*, dum suspensus ab officio, quod actus administrativos complectitur, nec licite nec valide assistentiam praestare potest (can. 1095, § 1, 1^o).

Actus iurisdictionis positus a suspenso est quidem *illicitus*, sed *validus*; *licitus* autem fit, si a fidelibus ex iusta causa petatur; lata vero sententia condemnatoria vel declaratoria aut si Superior declarat se ipsam iurisdictionis potestatem revocare, *invalidus* est, excepto mortis periculo (can. 2284 iunct. can. 2261, § 1, 2). Eodem modo aestimanda erit etiam iurisdictionis *delegatio* a suspenso facta: ipsa autem potestas delegata iam obtenta non silet aut suspenditur suspensa aut revocata iurisdictione delegantis, nisi in casibus in iure expressis, aut nisi agatur de Vicario Generali, Episcopo suspenso (can. 203,61).

(71) De contraria regula in iure praecedenti cfr. Lega, n. 187; Suárez, disp. XXVI, sect. 4, n. 16, timide contradicente D'Annibale, I, 380 not. 16. Ratio novi iuris est satis manifesta.

2º) Suspendio *a divinis* vetat omnem actum potestatis ordinis, quam quis *sive* per sacram ordinationem *sive* per privilegium obtinet (velut potestas abbatis conferendi ordines minores) (72).

3º) Suspendio *ab ordinibus* vetat actum proprium cuiusvis ordinis, seu exercitium potestatis per ordinationem receptae.

4º) Suspendio *a sacris ordinibus* vetat omnem actum potestatis receptae per ordinationem in sacris.

5º) Suspendio *a certo et definito ordine exercendo*, vetat omnem actum ordinis designati; insuper suspensus nequit interim ordinem superiorem recipere et si nihilominus receperit, exercere: ex aliis principiis si ordinem male receptum exerceret fieret irregularis.

6º) Suspendio *a certo et definito ordine conferendo*, vetat talem ordinem conferre, non vero inferiorem nec superiorem.

7º) Suspendio *a certo et definito ministerio* v. gr. audiendi confessiones, vel *officio* v. gr. cum cura animarum vetat omnem actum eiusdem ministerii vel officii: taliter suspensus onera ministerii vel officii interim tenebitur per alium explere, si res ferat.

8º) Suspendio *ab ordine pontificali* vetat omnem actum potestatis ordinis episcopalis: non poterit conferre ordines, sacramentum confirmationis conferre etc.; at poterit Missam celebrare, confessiones excipere, parochos aliosve beneficiarios instituere, conferre beneficia, approbare confessarios etc.

9º) Suspendio *a pontificalibus* vetat exercitium actuum pontificalium. functionum scl. quae ex legibus liturgicis requirunt baculum et mitram (can. 2279, 337). Ex Caerem. Episc. et Pontif. Roman. sunt hae functiones: Missa et Vesperae pontif., sollemnis assistentia Missae, collatio ordinum et consecratio episcopi, benedictio abbatis, benedictio et consecratio virginum, benedictio et coronatio regum, benedictio aut consecratio campanae, consecratio ecclesiae, altaris, vasorum sacrorum, benedictio primarii lapidis, coemeterii, huius aut ecclesiae reconciliatio, confirmatio si sollemniter fiat.

328. Suspendio in communitatem, eodem modo ac de interdicto dictum est, ferri potest. Quae si feratur in communitatem uti talem, non expressis personis delinquentibus, communitas *omnium suorum iurium spiritualium exercitio* prohibetur; si feratur in delin-

(72) Cfr. can. 294, § 2; 323, § 2; 782, § 2, 3; 951, 1147, § 1.

quentes ipsius communitatis, hi manent affecti suspensione personali; si feratur in communitatem et in singulos delinquentes, effectus cumulantur (can. 2285).

IV. Cessatio et ablatio suspensionis

329. Suspendio quae lata est per modum poenae vindicativae ad determinatum tempus aut donec condicio quaedam impleatur, ipso *lapsu temporis* v. gr. completo ultimo die mensis vel anni vel triennii aut post *impletam condicionem* ipso facto cessat et absque ulla absolutione. Neque violatio suspensionis forte commissa lapsum temporis interrumpit vel impedit.

Lata ad indeterminatum tempus v. gr. ad beneplacitum Superioris, etiam ante elapsam temporis auferri potest per *dispensationem*, ab eo concessam qui suspensionem irrogavit vel a competente superiore aut successore eiusve delegato. Atque idem dicendum est de suspensione per modum censurae *ab homine* irrogata. Quodsi agatur de suspensione quae sit poena vindicativa, quoad poenae dispensationem applicanda sunt principia de poenarum remissione (can. 2236 sq.); si vero agatur de suspensione censura valent pro eius absolutione principia tradita de censuris in genere (can. 2252 sq.), illud prae oculis habito, quod suspensio non impedit sacramentorum *receptionem* et proinde suspensus rite dispositus absolvi potest a peccatis, quin a censura absolvatur (can. 2250, § 1).

Ex natura rei suspensio in collegium seu communitatem ut talem in solo foro externo relaxari potest ac proinde ab eo solo qui in foro externo iurisdictionem habeat; nam relaxatio in foro interno sensum non haberet.

330. Insordescencia in censura suspensionis censetur haberi in eo qui sciens se tali censura esse vinculatum eius absolutionem cum debitis condicionibus non postulavit, sed in censura per semestrem perseveravit. Ad eam vincendam graviter est admonendus, et si, exacto a monitione mense, a contumacia non recesserit, privandus est beneficiis aut officiis, si qua in ecclesia forte habeat (can. 2340, § 2).

CAPUT XXV

De vindicativis poenis ecclesiasticis

331. **Fontes:** Decret. Grat. tract. de paenit. v. g. c. 84. Dist. 5 de paenit.; C. XV, q. 1. Comp. I, lib. V, tit. 32 de poenis; Cpl. III, lib. V, tit. 19, eod.; Cpl. IV, lib. V, tit. 13 eod.; Cpl. V, lib. V, tit. 16 eod. - Decretal. Gregor. IX, l. V, tit. 37, de poenis; Decretal. Bonif. VIII, lib. V, tit. 9 eod.; Const. Clem. V, lib. V, tit. 8 eod.; Extravg. Ioann. XXII, tit. 12 eod.; Extravg. com. lib. V, tit. 8 eod.; - Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 6, 14 de ref. (de poena carc.) cap. 3 de ref. (de multis pecuniar.) - Decretal. Clem. P. VIII, lib. V, tit. 17, de poenis, ed. Sentis p. 175 sq. cum decretis Conc. Trid. atque Const. R. Pontif. ibidem allegatis (1).

Scriptores: Commentatores iur. Decretal. in h. t.; S. Raym.. Summa lib. III, tit. 32 de poenis. - Zech, l. c. tit. 10, de poenis fori eccles.; Devoti, Inst. canon. lib. IV, tit. 17, de poenis et censuris ecclesiasticis, lib. I, tit. 8, sect. 4, de depos. et degrad.; Vering, l. c. § 191; De Luca, De delictis et poenis, n. 26 sq.; Latini, Inst. iur. crimin., p. 27 sq., 39 sq.; Lega, l. c. t. III, p. 80 sq.; Noldin, De del. et poen. n. 2 sq.; Kahn, l. c. n. 31 sq.; D'Annibale, l. c. n. 300 sq.; Piatius Montens. l. c. t. II, p. 582 sq.; Vermeersch, De relig. inst. n. 425 sq.; Thesaurus, De poenis ecclesiast. P. I.; Stremler, l. c. p. 25 sq.; Muenchen, l. c. tom. II, p. 101 sq.; Suárez, De cens. disp. 30 de differentia suspens. a depos. et degrad.; Kober, D. Deposit. u. degradat.; Kober, in Act. theol. Tubing., a. 1875, p. 3 sq. de fustig. cleric. et monach., a. 1877, p. 3 sq., de incarcerat. cleric. et monach. (iunct. Schmitz in fol. period. Katholik, a. 1884, p. 484 sq.), a. 1881 p. 3 sq., de multa pecuniaria; Schiappoli, l. c. n. 119 sq.

Praenotiones

332. **Connexio materiae.** Poenae medicinales maxime propriae sunt clericorum, in quibus et frequentius et ob maiorem necessitatem exercetur potestas punitiva ecclesiae, quos etiam urgentius debet adducere ad veram emendationem, ne pravo exemplo laicis scandalo sint. Idcirco sub rubrica de poenis in specie in titulo primo agit de poenis medicinalibus; subsequitur alter titulus de poenis vindicativis, quae pressius pertinent ad exercitium potestatis punitivae et promiscue omnibus delinquentibus applicantur secundum cuiusque fidelis statum.

(1) Dig. XLVIII, 19 de poenis.; Cod. IX, 18, 47, de poenis.; Codice penale Ital. art. 1 sq., art. 11 sq.; Cod. pen. nuovo tit. II, cap. II sq., et ceteri codices poenales aliarum regionum.

Definitio. Poena vindicativa (2) etiam in foro ecclesiastico est malum privationis vel passionis fideli (3) delinquenti principaliter in ultionem delicti a publica auctoritate iuste inflictum ad tuendum ordinem sociale Ecclesiae, et secundario quoque ad emendationem delinquentis.

Inde facile deducitur, poenam quoque vindicativam a poenitentia etsi in foro externo imposita (4) pariter triplici ratione differre. Nam poenitentia principaliter satisfacit Deo, acceptatione indiget et consensu poenitentis et ab eo regulariter accipit executionem; poena vero vindicativa principaliter satisfacit Ecclesiae, invito infligitur independenter a delinquentis voluntate, ipso facto incurri potest, sine actu executivo rei et nonnumquam etiam iudicis. A poenis medicinalibus differt quia quoad durationem non dependet de se ab emendatione puniti (can. 2286).

333. **Divisio poenarum vindicativarum eadem fere est atque illa quae supra de poenis in genere iam fuit allata.** Maxime vero notanda est divisio poenarum vindicativarum fori ecclesiastici: I. In poenas *privativas*, quae auferunt bonum sive spirituale sive temporale iam obtentum aut obtinendum et ad sui executionem saepe (non semper) non requirunt externam actionem, et in poenas *positivas*, quae inferunt aliquod *malum* sive spirituale sive temporale et actionem externam ad sui executionem requirunt. II. In poenas *temporales sive corporales* et in poenas *spirituales*, quatenus afficiunt delinquentem aut malo quodam temporali vel corporali velut incarceratio, multa, exsilium, infamia, aut malo quodam spirituali v. g. inhabilitate ad officia ecclesiastica, suspensio perpetua aut ad certum tempus, privatio ab officio et beneficio ecclesiastico, translatio poenalis in aliud officium, depositio et degradatio. III. In poenas *ipso iure* inflictas et in poenas *per sententiam* iudicalem infligendas (5). IV. In poenas *ordinarias* et *extraordinarias* (6).

(2) Zech, l. c. § 128; Stremler, l. c. p. 25; supra de poenis eccles. universim spectatis, cap. 16.

(3) Cui assertioni non obstat, quominus Ecclesia extraordinarie contra certa delicta infidelium processerit. Cfr. Bangen, Die roem. Curie p. 101 sq.

(4) Thesaurus, l. c. P. I. cap. 1, 2; Piat. Mont. l. c. t. II, p. 582 sq.

(5) Thesaurus, l. c. cap. 3; Piat. Mont., l. c. p. 624 sq., 587 sq.

(6) Sánchez, l. c. lib. IX, disp. 32 n. 20 sq.

334. Notae historicae. Gravissimae poenae vindicativae in vetere Testamento ipsis legibus divinis statutae (7) una cum synagoga fuerunt sublatae. Quodsi aliquid nihilominus in praxi fuit retentum, id non nisi ex approbatione potestatis civilis vel potestatis ecclesiasticae ut ius mere humanum vim atque valorem in unoquoque foro obtinuit (8). Cum religio catholica in imperio Romano propagaretur, legibus Romanis longa series poenarum temporalium et corporalium pro diversis delictorum generibus accurate fuerat constituta (9).

Ecclesia etiamsi probe cognosceret (10) poenas iuris Romani nihilominus eas neque illico primis saeculis neque umquam omnes indiscriminatim in suo foro recepit (11).

Idem accidit de poenis populorum germanicorum (12), postquam Ecclesia etiam inter eos fundata est atque pro instituto suo sese moribus populorum legitimis, quantum fieri potuit, sapienti consilio accommodavit. Itaque etiam in foro ecclesiastico ad iustam criminis vindictam cadere quis potuit a feudis vel beneficiis temporalibus vel amisit forte ius advocatae vel ipsius fideles subditi a fidelitatis iuramento fuerunt absoluti (13). Neque a foro ecclesiastico alienae fuerunt compositiones adeo usitatae in antiquo iure germanico (14).

(7) Numer. XXXV, 31. « Non accipietis pretium ab eo, qui reus est sanguinis, statim et ipse morietur »; Levit. XX, 14; Deuteron. XXI, 22; de fustig. Levit. XIX, 20; Deuteron. XXII, 18; de multa Levit. V, 15 sq.; Schegg, Bibl. Archaeol. p. 688 sq.

(8) Cap. 1, X, de homic.

(9) Dig. XLVIII, 19, de poenis; Cod. IX, 47, de poenis; Muenchen, l. c. p. 102; Walter, Geschichte d. roem. Reiches § 819 sq.

(10) S. Augustinus, De civit. Dei, lib. XXI, cap. 11.

(11) Kober, l. c. in Act. theol. Tubing. Dolendum solummodo est, quod idem auctor l. c. v. g., a. 1881, p. 75, a. 1875, p. 448, a. 1877, p. 635, de competentia potestatis civilis in avertendis abusibus praelatorum ecclesiasticorum adeo confusas sectetur opiniones, quae logica consequentia ducunt ad approbationem recursus tamquam ab abusu. Qui abusus Praelatorum daret ius ad appellationem in foro ecclesiastico etiam cum effectu suspensivo; at non tribueret ius potestati civili sese etiam invita Ecclesia ingerendi.

(12) Walter, Geschichte d. deutsch. Reiches § 709 sq.; Muenchen, l. c. p. 118.

(13) Cap. 10, 12, 13 X, h. t.; cap. 1, h. t. in Clem.

(14) Cap. 2, X h. t. = c. 26 C. XVII, q. 2 ex capit. Bened. Lev. I, 186, non ex Conc. Tribur., a. 895; cfr. tamen c. 4, hui. Conc. Tribur.; Schmitz, D. Bussbuecher, p. 737 sq.; Walter, l. c.; Scherer, in Kirchenl. v. Composition.

Cum huiusmodi poenae temporales et corporales multum pendeant ab hominum cultu et moribus, mirum non est, quod emollitis moribus in foro civili mitiores adoptarentur poenae, et Ecclesia quoque a rigidiore praxi antiqua v. g. a fustigatione recederet. Historice autem recensere poenas olim in foro ecclesiastico usitatas et postea abrogatas vel in alias mutatas sua utilitate non caret, tum ut iura Ecclesiae in tuto ponantur, tum etiam ut mitior hodierna disciplina ex necessitate inducta illustretur ex disciplina rigidiore, secundum legitima principia canonica constituta antiquitus.

§ 1. De temporalibus et spiritualibus poenis vindicativis in foro ecclesiastico adhibitis

335. Poena capitalis. Si tantus fuit excessus, ut reo *mors* vel *truncatio* membrorum videretur esse infligenda, numquam Ecclesia in suis tribunalibus mere ecclesiasticis per clericos sententiam sanguinis pronuntiare atque in suo foro executioni mandare permisit (15). Cui *praxi* non obstat multorum veterum et recentiorum scriptorum sententia (16), Ecclesiam posse pro sua suprema et perfecta potestate iurisdictionis spiritualis iure proprio et nativo etiam morte punire certa delicta [gravissima v. g. haereticos formales et contumaces. Porro ad defendendam Ecclesiae antiquam praxim severiorem (17) et explicandam recentiore disciplinam mitiorem, non est necessario recurrendum ad illas opiniones, quae Ecclesiae tantum concedunt ius infligendi poenas spirituales aut solummodo aliquas poenas temporales et corporales (18). Non pauca enim Ecclesia per se et absolute potest, sed nunc aut propter deficientes *condiciones* non amplius facere valet aut ob mutatas temporum circumstantias saltem

(15) Cfr. c. 7, C. XXIII, q. 5; c. 29, (c. 31) Conc. Tolet. IV, a. 633, c. 30 (c. 6 Conc. Tolet. XI, a. 675) C. XXIII, q. 8; cap. 4 X, de raptor.; cap. 5, X, de crim. falsi; cap. 5, 9, X, ne clerici.

(16) Pirhing, l. c. lib. V, tit. 7, de haeret. n. 92; Tarquini, Inst. iur. eccl. n. 47 i. f.

(17) Cap. 1 de homicid. in Sext.; cap. 5 de poen. in Sext.; Thesaurus l. c. P. I. cap. 38, P. II, v. Assassinium n. 3.

(18) Moulart, L'Église et l'État, p. 452 sq.; Cavagnis, Inst. iur. publ. t. I, n. 301; Icard, Praelect. iur. can. P. IV, n. 755.

usus iuris non amplius est *opportunus*, v. g. usus iuris denuo introducendi poenitentias publicas per quattuor stationes distinctas.

Ceteroquin in hac controversia non raro ab utraque parte argumentis parum concludentibus pugnatum est (19). Quorum argumentorum examini, cum res practica utilitate careat, non videtur esse multum adlaborandum (20). - Pariter non videtur quaestio utilis aut necessaria pro nostro foro, quaestio quam versant civilistae circa legitimitatem poenae mortis, quam tuebantur DD. antiqui omnes praeter paucos haereticos, circa quam tamen exarsit controversia excitata a *Caesare Beccaria*, *Dei delitti e delle pene* (ed. a. 1789). Quam quaestionem sobrio et aequo iudicio, indicata litteratura, solvit *Roberti*, l. c. II, n. 230.

336. Scholion. A qua quaestione theoretica de potestate Ec-

(19) *Cavagnis*, l. c.; *Moulart*, l. c. p. 454; *Vermeersch*, *La tolérance*, p. 95 sq.

(20) Quaestio de potestate Ecclesiae infligendi poenam capitalem semper fuit permessa liberae disputationi theologorum et canonistarum. *Duballet*, *Principes du droit canonique*, Paris, 1896, t. I, n. 414; « La question est purement théorique et librement débattue entre théologiens et canonistes »; *Piat. Mont.*, l. c. t. II, q. 719. Cfr. auctores antiquos et recentes in diversas sententias abeuntes. V. g. pro *sententia affirmante*: *S. Thomas*, 2, 2, q. 11, a. 3; *Bellarminus*, *Controv. De laicis*, l. III, c. 21, 22; *Suárez*, *De fide*, d. XX, sec. 3, disp. XXIII, sect. 1; *Dicastillo* *De cens. disp.* 1; *Pirhing*, l. V. t. 7, n. 92; *Fagnanus*, l. V, tit 7, in c. *Abolendam*: *Tarquini*, *Inst. iur. publ.* n. 47; *Mazzella*, *De religione et Eccl. disp.* IV, art. VI, n. 764, not. 1; *Palmieri*, *De Rom. Pontif.*, a. 1877, p. 147, in solvenda difficultate contra potestatem coercitivam Eccl., quamvis de ipsa quaestione in se inspecta praescindit; *De Luca*, *Inst. iur. publ.* t. 1, p. 260 sq.; *Billot*, *De Eccl. Christi*, a. 1909, p. 481 sq., qui tamen addit p. 483 *propter defectum congruentiae*, exercitium huius auctoritatis « regulariter saltem loquendo non pertinere ad Ecclesiam ». Cfr. quoque ipsius opus « *De habitudine Eccl. ad civil. societ.* » p. 114 sq. *Lépicié*, *De stabilit. et progressu dogmat.*, a. 1910, p. 197 sq.; *Duballet*, l. c.; *Straub*, *De Eccl. Christi*, 1912, n. 640.

Pro *sententia negante* consulantur: *Bianchi de Lucca*, *Della potestà e della polizia della Chiesa*, t. IV, l. II, c. 4 § 9; *Soglia*, *Inst. iur. publ.* l. I, c. 1. § 8; *Moulart*, l. c. p. 453 sq.; *Vecchiotti*, *Inst. canon.* t. II, l. IV, c. 1 § 4; *Satolli*, *Conferenze di diritto pubbl. eccl.*, 1899, p. 47; *Cavagnis*, *Inst. iur. publ.* t. I, c. II, art. 6 n. 301 sq., 319 sq., *De tribun. Inquisit.*, 1906, p. 209 sq.; *Vermeersch*, *La tolérance*, p. 69 sq.; *Choupin*, *Valeur des décisions du Saint-Siège* (edit. 2^a, Paris 1913) p. 511 sq., ubi sobrio iustoque iudicio utriusque sententiae fundamenta proponit. Idem in *Dictionn. Apologétique v. Hérésie*; *Douais*, *L'Inquisition*, p. 263 sq., et in *Revue pratique d'apologétique*, 1909, p. 602 sq.

clesiae, quae semper permessa est liberae disputationi, probe distinguenda est questio historica de iuridica imputabilitate, quae incumbit Ecclesiae propter poenam capitalem a civili potestate inflictam ob certa delicta religiosa, quae iure publico medii aevi fuerunt considerata ut delictum sociale atque adeo aequiparata gravissimis fori saecularis delictis (21).

I. Quae iuridica imputabilitas est omnino neganda. Nam poena capitalis in certa delicta religiosa v. gr. in haeresim, introducta et applicata fuit a potestate civili nomine et auctoritate propria, non ex iniunctione Ecclesiae nec ipsius nomine. Cfr. *Const. Friderici II* a. 1224, apud *Douais*, *L'Inquisition* p. 265 (22).

II. Aliunde illa poena non invenitur in iure poenali Ecclesiae sancita (23). Nam in fontibus iuris ecclesiastici illa poena non contine-

(21) *Choupin*, l. c. p. 491 sq.

(22) *Vacandard*, *L'Inquisition*, p. 49 sq.; *De Cauzons*, *Histoire de l'Inquisition en France* t. I, p. 475 qui duo Auctores recte ostendunt factum legislatoris civilis fuisse praeformatum moribus fidelium in societatibus christianis occidentalibus insurgentium contra haereticos non raro multis aliis delictis contaminatos.

(23) *Choupin*, l. c. p. 495 sq., ubi recte ostendit optimam occasionem hanc poenam statuendi fuisse decretalem *Innocentii III* (c. 10 X de haeret. V, 7), ubi tamen non fuit constituta. Pariter in c. 4 *Conc. Lateranensis*, a. 1215 (c. 13 eod. tit.) « *exterminare de terris suae iurisdictionis* » non significat morti tradere, sed significat *proscriptionem extra terminos seu extra fines territorii*, quod evidenter deducitur etiam ex iis, quae subiunguntur: « si vero dominus temporalis, requisitus et monitus ab Ecclesia, *suam terram purgare neglexit* (ab hac) haeretica pravitate ». In nullo canone conciliorum, in nulla decretali RR. Pontificum continetur poena sanguinis, nec traditio brachio saeculari facienda in finem subeundi poenam capitalem, sed tantum ut reus ita traditus *animadversione debita* puniretur. Nec poenam mortis in iure poenali Ecclesiae contineri deduci inde potest, quod aliqui ob delictum diffidati ac *banniti* declarantur, v. gr. c. 1 de homic. V, 5 in *Sext. assassinii*, c. 5 (Bonifacii VIII) de poen. V, 9 in *Sext. insequentes, percutientes aut capientes Cardinales*. Nam imprimis potestas saecularis, quae c. 7 de iniur. et damno dato V, 36. et *Clem. 1* de poen. V, 8 punitur propterea quod *banniverat* Episcopum, non punitur ob poenam mortis in Episcopum decretam, sed ex eo quod expulerat in exilium vel in exilium ire compulerat; ergo *bannum* in aliis quoque canonibus eodem sensu est intelligendum, ubi ponitur ut poena in Ecclesiam inflicta. Cfr. de natura et effectibus *banni*: *De Oliva*, *De foro Ecclesiae*, P. I. q. 21 n. 12; *Pertile*, l. c. § 185, p. 309 sq., 319 sq.; *Ficker*, *Die gesetzliche Einfuehrung der Todesstrafe f. Ketzerei in Mitteilungen des Instit. f. oesterreichische Geschichtsforschung* t. I, p. 187 sq., 194 sq.; *Ducange*, *Glossar. med. et inflin.*, latinit. ed. Henschel a. 1840; v. *Bannum, Bannire*.

Bannitus quidem seu *fuoriudicatus* habebatur tamquam *poenae capitali* sub-

tur; nec traditio brachio saeculari facta est aequivalens damnatio ad poenam capitalem, etiam in illis delictis quae in foro saeculari tali poena puniebantur. Nam princeps vel iudex civilis, cui tradebatur reus ab Ecclesia praecisus, si illam poenam decernendam putabat, ex sua non ex lege Ecclesiae sententiam pronuntiabat, ac poenam infligebat *sui fori*, non *fori ecclesiastici* (24). Quare princeps vel iudex laicus nulla ratione potuit haberi ut merus exsecutor sententiae Ecclesiae, sed suae legis fuit exsecutor sine mandato vel instigatione iudicis ecclesiastici (25), Ecclesia dumtaxat positive non resistente nec legem fori saecularis eiusque executionem reprobante. Positivus

iectus, sed in sensu iuris Romani (L. 2, pr. D. de poen. XLVIII, 19), in quo iurisconsulti duplex distinguebant hominis *caput*, alterum *naturale*, sc. vita, alterum *civile*, quod definiebant *statum hominis in libertate, civitate vel familia consistentem*; ideo iure Romano *capitalibus* poenis eae quoque accensentur, quibus civile istud fictumque caput, libertas nempe vel civitas tollebatur (Renazzi, l. c. II, 6 § 5; Pertile, l. c. p. 254). Atque hanc *mortem civilem* inducebat tempore Bonifacii VIII, *bannum* cit. c. 5, de poen. inflictum, ut apparet ex enumeratione effectuum ibidem facta, non *mortem naturalem*, ut apparet ex ratione agendi ibidem praescripta cum bannito resipiscente. « Nel fuorgiudicato (ait Pertile l. c. p. 355) la finzione della morte, o, se così vuol dirsi, la morte civile, era la risultanza o il compendio delle privazioni che costituivano l'essenza di quella pena, per la quale il condannato, in faccia alla società, perdeva ogni diritto eziandio naturale, compreso quello dell'esistenza medesima » i. e. ut ibidem declarat, non solum in ordine ad hereditatem, sed quoad omnia alia iura naturalia perinde ac si esset mortuus.

Praeterea quidquid sit de nonnullis legibus particularibus certum est bannum ad quod alludunt leges Ecclesiae esse bannum Imperii, de quo in concordia Veronensi conventum est inter Lucium III et Fridericum Barbarossa, ut bannum Ecclesiae deberet sequi bannum Imperii (Hinschius, t. V, p. 380), quod poenam mortis non continebat, sed proscriptionem Imperatoris edicto sancitam atque generatim redimibilem. Ducange l. c.; Marten, l. I, Thesaur., Anecd. col. 474; Pertile, l. c. p. 311.

Quodsi in nonnullis statutis municipalibus Italiae data est facultas bannitos occidendi atque adeo praemia in occidentes proposita sunt, id factum est, cum propter magnum numerum bannitorum, hi constituerunt veras turmas hominum facinorosorum omni genere delictorum insignium. Pertile, l. c. p. 324 sq. De alio sensu primitivo vocis *bannus* cf. Ducange, l. c.; Wilda in Weiske, Reichslexicon v. Bann.; Pertile, l. c. p. 219 sq.

(24) Douais, L'Inquisition, p. 264, 265.

(25) Cavagnis, l. c. n. 308. Cfr. formulam qua utebatur iudex ecclesiasticus (apud Douais, l. c. p. 264, ex Bernardo Gui desumptam): « Eundem N. tamquam hereticum relinquimus brachio et iudicio curiae saecularis, eandem affectuose rogan-

interventus ex parte Ecclesiae fuit deprecatio *ex canonicis sanctionibus* apud iudicem laicum *serio et efficaciter* interponenda, ut a reo, quem a coetu fidelium praecisus brachio saeculari tradebat, poenam sanguinis vel mutilationis deprecaretur (26). Ubi datur *duplex iurisdictio, duplex sententia condemnatoria* secundum *duplicem legem*, quarum una *admittit poenam capitalem*, altera, *illam poenam non habet*; sententia unius iudicis (laici) poenam capitalem secundum *suam* legem decernentis non habet vinculum legale seu iuridicum cum sententia alterius iudicis (ecclesiastici) nisi haec priori iudici obligationem imponat aut saltem instigationem priori iudici factam contineat, qua is inducatur ad sententiam secundum propriam legem proferendam. Iam vero sententia fori ecclesiastici et *de facto* et *ex lege* cum illo mandato et instigatione coniuncta non erat, sed potius continebat *deprecationem* ut a tali poena abstineretur, etsi ceteroquin agnosceretur iusta (27).

III. Quodsi RR. Pontifices *non in casu particulari* alicuius rei traditi brachio saeculari, sed *generali modo* hortati sunt atque adeo iniunxerunt principibus saecularibus etiam sub interminatione poenarum spiritualium, ut in coercendis haereticis suum officium erga societatem et erga Ecclesiam adimplerent, atque ut illas leges iam

tes, prout suadent canonicæ sanctiones, quatenus citra mortem et membrorum eius mutilationem circa ipsum suum iudicium et suam sententiam moderetur ». Atque id ipsum exprimit tenor legis eccl. v. gr. in c. 15, X, de haeret. V, 7: « *Damnati per ecclesiam saeculari iudicio relinquuntur animadversione debita puniendi* ». Cfr. quoque Eymeric, Directorium inquisitorum, p. 588; Choupin, l. c. p. 501.

(26) Qui interventus in favorem mitioris poenae non est cum contemptu tractandus aut irridendus aut cum *Lea* (Histoire de l'Inquis., p. 253) est vocandus « *un astucieux détour pour se dérober à la responsabilité... une adjuration hypocrite* » vel cum *De Cauzons* (l. c. p. 312) « *un euphémisme* » nec etiam cum *Vacandard* (l. c. p. 212, 215, 295), est appellandus « *subtilité difficile à comprendre — vaine formule — fiction légale* ». Nam imprimis traditio brachio saeculari non fiebat a iudice ecclesiastico, nisi postquam omnia media ad ipsius resipiscentiam obtinendam in vacuum cesserant; atque non raro inde querebatur potestas saecularis, quod ex procrastinatione iudicis ecclesiastici non posset sui fori sententiam exsequi atque « *fisco applicare* » bona per confiscationem ipsi obvenientia. Cum qua agendi ratione Ecclesiae non cohaeret quod in deprecatione *serio et efficaciter* apud iudicem laicum interponenda poneret actum hypocritum, fictum aut astutum. Douais, Rev. pratique d'Apologétique l. c. p. 600.

(27) Douais, L'Inquisition, p. 204; Choupin, l. c. p. 502, 503.

constitutas applicarent vel tales leges ederent (28); iterum inde nequidem indirecte imputabilitas poenae inflictæ in Ecclesiam redundat. Nam R. Pontifex etiam in principes per baptismum sibi subiectos veram habet iurisdictionem; cum qua iurisdictione est coniunctum officium eos sive hortationibus sive praeceptis urgendi, ut obligationi suae satisfaciant nec sinant ut ex negligentia sui officii societas, cui praesunt, grave detrimentum capiat. Insuper negari non potest in statu catholico, ex indirecta subordinatione potestatis saecularis ad Ecclesiam, principem teneri ad protegendam religionem catholicam unice veram atque excludendum publicum exercitium falsi cultus. Ex qua obligatione nascitur ius condendi leges, etiam poenales, quibus illa unitas religiosa conservetur et protegatur contra perturbatores, qui in tali hypothese etiam contra publicum bonum societatis delinquant (29).

Sed qui alterum auctoritative monet de officio implendo, atque adeo, ex potestate quam habet, moraliter per poenas cogit, ut illud adimpleat, non est causa moralis actuum quos ille ex vi sui officii ponit (30).

IV. Quaestio de *determinata* poena est quaestio *secundaria*, quae non pendet ad immutabilibus principiis supra traditis, sed dependet

(28) Cfr. const. « *Cum adversus* » Innocentii IV, 30 Oct. 1243; const. « *Ad extirpanda* » Innocentii IV, 19 Maii 1252; const. « *Licet ex omnibus* » 20 Mart. 1262. Quodsi RR. Pontifex non sese opposuerunt severitati legum civilium de delictis religiosis, diligenter tamen curaverunt, ne Principes illis abuterentur in puniendis potius opinionibus politicis quam delictis contra fidem. Cfr. rescriptum Gregorii IX ad Fridericum II, apud *Pertile*, l. c. p. 443, not. 31.

(29) *Cavagnis*, l. c. n. 308; *Choupin*, l. c. p. 527, 529. Cfr. Enc. Leonis XIII, « *Immortale Dei* » 1 Nov. 1885.

(30) *Choupin*, l. c. p. 530 sq.; *Vermeersch*, La tolérance p. 200, Partes Ecclesiae et Status in punitione haereticorum non minus vere quam perspicue ita definit *Pertile*, l. c. p. 441: « *Le pene minacciate loro dalle norme canoniche non andarono mai oltre il carcere e la confisca. Ma come l'eresia era fino dai tempi romani eziandio un delitto civile, così la Chiesa, dopo condannato l'eretico per proprio conto, lo abbandonava alle autorità dello Stato (le quali del resto potevano agire anche per proprio conto), perchè lo punissero come meglio credevano, non senza raccomandarlo alla loro pietà. E tal punizione, per gli eretici le cui credenze erano più pericolose, poteva, giusta le leggi romane, giungere fino all'ultimo supplizio. Non rade volte adunque i giudici secolari infliggevano agli eretici pena di morte, la quale invalse il costume di eseguire per mezzo del rogo. Tale costume venne sancito da Federico II, che fu il primo che comminasse pena del fuoco agli eretici, con una costituzione data pel regno italico nel 1224, e ripetuta molte volte in appresso per tutto quanto l'impero ».*

ab *opportunitate* (31) diiudicanda secundum diversas temporum et locorum circumstantias (32).

337. Fustigatio sive flagellatio, quae saepe etiam in iudiciis ab Episcopis pro more iuris Romani solebat adhiberi, prima vice commemoratur a S. Augustino (33). A quo poenarum genere neque clerici (34) neque monachi (35) fuerunt exempti (36). Cum clerici etiam in regnis populorum germanicorum viverent iure Romano (37) atque illi populi pariter fustigationem applicarent in iudiciis ad punienda delicta, praxis ista difficultatem nacta non est (38). Quae robustior disciplina apud populos illos rudes eo magis fuit

(31) Et certe protestantes nihil habere possunt, quod merito obiiciant Ecclesiae catholicae, si attendant ad doctrinam et praxim antiquorum protestantium in defendenda et exsequenda poena capitali in haereticos i. e. in dissentientes a suis perversis doctrinis, atque ad alias saevitias in catholicos exercitas et ad bella et seditiones ex motivo religionis excitatas. Cfr. *Mazzella*, l. c. n. 764; *Vermeersch*, l. c. p. 205 sq.; *Grisar*, Luther t. I, p. 494 sq. 572, 598, 627, 632, t. II, p. 282 sq., 298, 326, 340, t. III, p. 489-492, 481, 713, 720; *Choupin*, l. c. p. 531 sq.; *Moulart*, L'Église et l'État, p. 347, de severitate legum poenalium medii aevi, ubi scite monet legem *Carolinam*, quae antiquis legibus poenalibus multo est suavior, poenam mortis sanxisset in plura delicta, quae hodie mitiori poena puniuntur, v. gr. in fabricatores falsae monetae, falsorum ponderum et mensurarum, in furtum cum scandalo coniunctum; atque idem accidit in Gallia et aliis regnis. Cfr. quoque *Ferrini*, Diritto pen. rom. n. 111 sq., de variis ac crudelibus modis exsequendi poenam capitalem a praxi hodierna plane alienis atque *Del Giudice* l. c. n. 62 de eadem re in antiquo iure populorum germanicorum; *Pertile*, Storia del diritto pen. p. 262 sq.; *Püttmann*, Elementa iur. crim. Lipsiae, 1779, § 66 sq.

(32) Cfr. de condicione societatum medii aevi et de excessibus haereticorum: *Vermeersch*, La tolérance, p. 173 sq., 180 sq.; *Choupin*, l. c. p. 534 sq.; *Vacandard*, l. c. p. 284, 360; *Moulart*, L'Église et l'État p. 348 sq.; *Pertile*, l. c. p. 440 not. 24.

(33) Cfr. c. 1, C. XXIII q. 5 = Epist. 133, ad Marcellin. tribun., a. 412; De civit. Dei, l. XIX, cap. 17, t. XXI, cap. 11.

(34) Cfr. c. 13, Conc. Venetic. a. 465; c. 41 Conc. Agath., a. 506; S. Gregorius, a. 601 = cap. 1 X, de calunn. (V, 2).

(35) Cfr. c. 3 Conc. Germanic., a. 742.

(36) *Kober*, in Act. Th. Tubing., a. 1875, p. 3 sq.; *Hinschius*, l. c. tom. IV, p. 737 not. 2 p. 814 sq.; *Schiappoli*, l. c. n. 189, 217.

(37) *Kober*, l. c. p. 10 sq., 17 sq.

(38) *Kober*, l. c. p. 21 sq.; *Pertile*, Storia del diritto pen. § 181, qui illius poenae admissionem ex parte Ecclesiae etiam inde rite explicat p. 250, quod Ecclesia poenis pecuniariis, quibus non soli delinquentes afficiebantur, sed alii quoque innocentes de familia, curavit substitui poenas, quae delinquentes ipsos personaliter afficerent. Simul tamen excessus damnavit et sustulit; ib. p. 257.

opportuna, quod potissimum clerici minorum ordinum i. e. pueri et adolescentuli verberibus castigarentur (39). Porro clerici etiam maiorum ordinum non raro fuerunt filii colonorum glebae adscriptorum neque litteris et urbanis moribus multum commendati, immo gravibus delictis obnoxii. Hinc factum est, ut paulatim etiam huiusmodi clerici atque adeo sacerdotes poenae fustigationis subiicerentur (40). Nihilominus Ecclesia illis quoque temporibus semper memor fuit clementiae sacerdotalis et dignitatis status clericalis.

Ab antiqua praxi infligendi poenam verberum inde a saeculo duodecimo et decimo tertio non fuit recessum, ut manifeste probant canones inserti in decretum Gratiani (41) et collectiones authenticas Decretalium (42). Verum negari nequit, poenam fustigationis ipsa doctrina canonistarum (43) et praxi Ecclesiae (44) non tantum accuratioribus, sed etiam arctioribus limitibus fuisse circumscriptam. Postquam Concilium Tridentinum poenam fustigationis silentio pressit, iam inde ex saeculo decimo sexto usus fustigationis (45), licet a scriptoribus commemoretur (46), et theoretice inter poenas ecclesiasticas recenseatur, secundum testimonium praeclarissimorum doctorum tum in Italia et Hispania et Lusitania tum in Gallia tum in Germania a curiis episcopalibus iamdiu recessit (47).

Immo secundum praxim et disciplinam iamdiu in Ecclesia vigentem haec poena adeo videtur esse aliena a foro ecclesiastico ut per iudices ordinariorum tribunalium ne infligi quidem potuit (48); porro in Codice non commemoratur ideoque tacite supprimitur. Quare leges illae civiles nostra aetate latae, quibus sacerdotibus tutela fuit im-

(39) Cfr. c. 15 Conc. Epaon., a. 517; c. 6, Conc. Arelat. V, a. 554; *Kober*, l. c. p. 23 sq.

(40) Cfr. c. 6 Conc. Brag., a. 765 = c. 8 D. 45; c. 6 Conc. Germanic., a. 742; *Kober*, l. c. p. 29 sq, et praesertim p. 63 sq. de regibus « *disciplinae* » subiectis; *Piat. Mont.*, l. c. t. II, p. 585.

(41) Cfr. c. 8 D. 45; c. 6, C. XI, q. 1 = c. 8 Conc. Matiscon. I, a. 581.

(42) Cit. cap. 1 X, de calunn., V, 2 « iubemus eundem privari officio et verberibus publice castigatum in exsilium deportari ».

(43) Gloss. in c. 9 D. 35 v. Corporali; in c. 25 Dist. 86.

(44) Cfr. c. 9 sq. D. 45; arg. d. ex cap. 24, 35 X, de sent. excom. V, 39; cap. 4 X de raptor, V, 17; cap. 7 X, de homic. V, 12.

(45) *Kober*, l. c. p. 68 sq., de exceptionibus.

(46) *Suárez*, De cens. disp. 22 sect. 1 n. 41.

(47) *Schmalzgr.* l. c. h. t. 37, n. 204.

(48) Cfr. recentiora concordata de disciplina vigenti observanda.

pertita contra poenam fustigationis fori ecclesiastici, propter defectum potestatis condendi leges Ecclesiam obligantes ex sese irritae atque insuper superfluae fuerunt (49).

338. Incarceratio vel reclusio in monasterio longo usu recepta est in Ecclesia tum ut custodia praeventiva tum ut poena vindicativa criminis (50). Etenim iam a. 539 (51) ab Imperatore *Iustiano* commemorantur *decaneta* sive carceres ecclesiastici. Quae *decaneta* sive *decanica* non solis clericis, sed etiam laicis videntur fuisse destinata, et detentio in istis carceribus ecclesiasticis, praeter scopum paenitentiae et emendationis et custodiae pendente causa, etiam verae poenae (52) rationem habuit (53).

Cum poena incarcerationis penes populos quoque germanicos usu fuisset recepta, reclusio in ergastulum iam saeculo sexto et septimo etiam in foro ecclesiastico occurrit (54). Quodsi clerici (55) hac poena fuerunt plectendi, detrusio in monasterium fuit huius poenae executio dignitati status clericalis maxime conformis (56), sed haud raro parum commoda monasteriis.

(49) *Vering*, Inst. iur. eccl. § 191, not. 2.

(50) *Stremler*, l. c. p. 62 sq.; *Kober*, in Act. th. Tub., a. 1877, p. 3 sq; *Piat. Mont.* l. c. t. II, p. 585; *Hinschius*, l. c. tom. IV, p. 737, not. 4; *Schiappoli*, l. c. n. 194 sq. 220; *Pertile*, l. c. p. 279.

(51) Quodsi ante illud tempus incarcerationum fit mentio, quae a potestate civili tamquam a brachio saeculari fuerunt inflictae, *Hinschius*, l. c. ex illis factis aliisque subiunctis parum accuratas deducit conclusiones. Cfr. *Hefele*, l. c. tom. I, p. 462, de accusationibus prolatis contra S. Athanasium in Conc. Tyren., a. 335; *Kober*, l. c. p. 23 sq.

(52) Quare *Hinschius*, l. c. sine sufficientibus rationibus tenet contra *Kober* l. c., in imperio Romano incarcerationem ab Ecclesia tamquam poenam non fuisse inflictam.

(53) In iure poenali Romano incarceration ut vera poena non habebatur « *carcer enim ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet* » L. 8 § 9, D. XLVIII, 19; L. 35 eod.; L. 6 C. IX 47; *Ferrini*, l. c. n. 120; *Kahn*, l. c. n. 52; atque ratio fuit ne respublica teneretur *pascere otiosos*; *Plinius Iunior*, Epistolae I, X, epist. 40. Idem accidisse in regno Francorum notat *Pertile*, l. c. p. 279, 287.

(54) Cfr. c. 50, Conc. Agath, a. 506; c. 22 Conc. Epaon., a. 517; c. 5, 6, Concil. Matiscon. I., a. 581; c. 6 Conc. Toletan. XI, a. 675; c. 6 Conc. German. a. 742.

(55) Viduae subdiaconorum aliorumque clericorum denuo nubentes pariter detrudebantur in monasteria. Cfr. c. 16 Conc. Matiscon. II, a. 585.

(56) Cfr. c. 6, Conc. Narbon., a. 589; c. 29, 45, Conc. Tolet. IV, a. 600; *Kober*, l. c. p. 47 sq.; *Hinschius*, l. c. tom. IV, p. 815 sq.

Ipsa quoque monasteria ex antiquissimo tempore (57) ad castigandos discolos monachos vel dissolutas moniales suos habuerunt carceres claustrales (58).

In decreto Gratiani (59) et in collectionibus authenticis iuris Decretalium (60) saepissime incarcerationis fit mentio totoque medio aevo ista poena in praxi retinetur (61) et ab ipso Concilio Tridentino (62). Neque ullum dubium existere potest, quin post Concilium Tridentinum reclusio in carcerem inter ordinarias poenas ecclesiasticas a viris doctis recenseretur (63) et in praxi applicaretur (64). Immo nostra quoque aetate incarceratio, quatenus facta est multo mitior et reducta ad reclusionem in domum correctionis vel monasteria (65), saltem pro clericis nondum est abrogata, sed non raro propter leges civiles contra clericos invito executioni mandari nequit (66).

339. Exilii vel deportationis vel relegationis poena legibus Romanis (67) statuta imprimis ab Imperatoribus christianis hae-

(57) *Siricius*, epist. I, ad Himerium, a. 385.

(58) *Kober*, l. c. p. 55; *Devoti*, Inst. canon. lib. III, tit. 1 § 21, lib. IV, tit. I, § 10, not. 4.

(59) Cfr. c. 7, D. 50; c. 13 D. 55; c. 8, 10, 11, D. 81; c. 2 C. XXI, q. 2, c. 28, C. XXVII, q. 1.

(60) Cap. 6, 8, X de poen. (V, 37); cap. 3 de poenis (V, 9) in Sext.; cap. 15 de sent. excom. (V, 11) in Sext.; cap. 12, 18 de haeret. (V, 2) in Sext.; cap. 2 de adult. (V, 16); cap. 6 § 7, X de homic. (V, 12) cap. 4, X de excess. prael. (V, 31).

(61) *Kober*, l. c. p. 551 sq. Ecclesiam salutarem influxum exercuisse in disciplinam carcerariam ad humanitatis, clementiae et moralitatis regulas ordinandam, atque adeo primum et efficax exemplum hac in re dedisse, aequo iustoque iudicio agnoscit et probat *Pertile* l. c. p. 293 sq.; sicut etiam ibidem et p. 37, notat operam Ecclesiae in procuranda per hanc et alias poenas emendationem et reabilitationem delinquentium.

(62) Sess. VI. cap. 4, de ref.; Sess. XIV, cep. 4 de ref.; Sess. XXV. cap. 6, 14 de ref.

(63) *Schmalzgr.* h. t. n. 191 sq., 202 sq.; *Zech*, l. c. § 131.

(64) Conc. Tolet., a. 1565, Act. II, c. 13, aliaque recensita a *Kober*, l. c. p. 576; Conc. provinc. Tarracon., a. 1685, in Collectione Lacensi, tom. I, p. 747 b; « Mandamus sub poena carceris per tres menses ».

(65) Convent. austr. art. 11, 16, a. 1855; *Nussi*, Conventions, p. 116 sq.; Concil. Baltimor. III, a. 1884, n. 72, 73; *Kober*, l. c. p. 586 sq.

(66) *Vering*, l. c. § 191, not. 7; *Droste*, l. c. p. 54, 55, 211, de incarcerationis vel reclusionis clericorum, pendente causa criminali.

(67) L. 2 § 1, L. 4, L. 38 § 10, D. de poen. XLVIII, 9; L. 1 sq. D. de interdicitis et releg. et deport. XLVIII, 22; *Muenchen*, l. c. p. 105 sq.

reticis condemnatis fuit inflictata (68). Mox eadem poena etiam in foro ecclesiastico fuit introducta (69) et S. Gregorius (70) Hilarium subdiaconum officio privatum et verberibus publice castigatum in exsilium deportari iussit. Clarissima vero testimonia ad comprobandum usum huius poenae in foro ecclesiastico exhibent Concilia Hispaniae in regno Visigothorum celebrata (71). Quae praxis licet ob singularem relationem inter Ecclesiam et potestatem civilem istis saeculis facilius fuerit introducta in Hispania, tamen etiam a Conciliis Galliae (72) non est plane omissa. Raro etiam haec poena in decreto Gratiani (73) et in collectionibus authenticis occurrit (74), insuper in Decretalibus recentioribus Romanorum Pontificum corpori iuris canonici insertis silentio premitur; ergo in praxi non videtur fuisse multum applicata. Neque Concilium Tridentinum inter poenas ecclesiasticas disertis verbis exsilium enumerat atque etiamsi post Concilium Tridentinum canonistae de poena exilii disputare non omitterent, tamen eam multum limitant (75) et praeuentibus ipsis antiquis canonibus eo sensu explicant, ut quis a loco delicti in alium eiusdem

(68) Cfr. de exilio a Constantino M. in Arium eiusque sequaces, a. 325, statuto: *Hefele*, l. c. tom. I, p. 312; de exilio *Nestorii*, a. 431, per edict. praefecti Praetorii (Antiochi?); *Eutychetis*, *Dioscori* eorumque asseclorum per edict. Marciani Imper. 28 Iul. 452; *Helele*, l. c. tom. II, p. 234, 555 sq.

(69) Concil. Tyren., a. 335, S. Athanasio (utique iniuste) prohibuit reditum in civitatem Alexandrinam. Patres vero Concilii Antiocheni, a. 341, c. 5, non ipsi poenam exilii inflixerunt, sed potestati civili reliquerunt. Quare c. 9 Conc. Regensis (Riez a. 439) cum non sit certo authenticus atque insuper imitatio quaedam laudati Conc. Antiocheni, invictum argumentum non suppeditat. At iam ex saeculo quinto et sexto vestigia reperiuntur, ex quibus patet Ecclesiam sibi tribuisse practice ius poenam exilii infligendi Cfr. *Devoti*, l. c. lib. IV, tit. 17 § 3 not. 1; *Hefele*, l. c. t. II, p. 462; c. 3, C. III q. 5 = Symmachus in Conc. Roman., a. 503; c. 18, C. XVI q. 1 = Pelagii I epist., a. 555-560.

(70) Cap. 1, X de calumniat. V, 2 = S. Gregorii epist., a. 601.

(71) Cfr. c. 5 Conc. Tolet. XI, a. 675; c. 11 Conc. Tolet. XII, a. 683; c. 3, 9 Conc. Tolet. XVI, a. 693; c. 5 Conc. Tolet. XVII, a. 694.

(72) Cfr. c. 29, Conc. Aurel. IV, a. 541; *Schiappoli*, l. c. n. 192; *Hinschius* igitur l. c. t. IV, p. 738, 804 (816) nimium videtur limitasse antiquum usum huius poenae.

(73) Cfr. c. 8 D. 45; c. 18, C. XVI, q. 1; c. 17, C. XVII, q. 4; c. 13, C. XXVI, q. 5.

(74) Cap. cit. 1 X de calumn., V, 2.

(75) *Schmalzgr.* h. t. n. 202.

dioecesis transferatur et loco delicti commissi alius ordinetur (76). Quare poena exsilii proprie talis, quae XVIII saeculo adhuc commemoratur (77), a foro ecclesiastico iamdiu recesserat, eiusque locum occupavit in clericis translatio poenalis aut iniuncta discessio a loco delicti commissi et scandali dati (78).

Atque de his poenis potius historice diserendum fuit. - Quaestio practica de poenis vigentibus ex canonibus Codicis proponenda est. - Antea tamen canones generales de huiusmodi poenis sunt enucleandi.

§ 2. Poenae vindicativae Codicis

340. Characteres proprii poenae vindicativae. Praeter eos quibus differt ab aliis poenis in ipsa notione indicatis, ob harum poenarum specialem indolem quod secum non trahant immediatam executionem, differunt etiam:

1^o) quod ab ipsis *iam inflictis* datur appellatio seu recursus etiam in suspensivo, nisi in casu particulari propter publicam utilitatem vel aliam gravissimam causam in iure expresse caveatur de contrario, relicto tantum effectu devolutivo suspensionis seu recursus (can. 2287).

2^o) quoad *cessationem*, poena vindicativa natura sua et ordinario modo cessat post lutionem. Remitti tamen potest *per dispensationem*, quae non est actus debitus potestatis iudicialis, ut accidit in absolute censurae, sed est actus liber potestatis legiferae meram gratiam continens (can. 2289). - *Competentia* ad dispensandum iam declarata est ex can. 2236 supra c. 20, § 2, videlicet in genere non nisi is, qui poenam tulit, potest eam auferre, licet ab ipso iure, praesertim Ordinariis plures dantur facultates dispensandi supra loc. cit. - Illud praeterea additur quod « *in casibus occultis urgentioribus*, si

(76) *Zech*, l. c. § 129 iunct. c. 9 D. 81 (Isidorus): « Valet interdum conversis pro animae salute mutatio loci; plerumque enim, dum mutatur locus, mutatur mentis affectus. Congruum est ergo, inde etiam corporaliter evelli, ubi quisque illecebris deservivit. Nam locus ubi prave quisque vixit in aspectu mentis apponit quod saepe ibi vel cogitavit vel gessit ».

(77) S. C. Ep. et Reg. 24 Dec. 1776 apud *Droste*, l. c. p. 157.

(78) S. C. C. in causa *Limburg*. 19 Dec. 1857; S. C. Inq. 20 Febr. 1888 in *Collect*, n. 1471; S. C. C. 28 Iul. 1877 in A. S. S. XI, 33 sq.; *Piat* l. c. II, p. 585 sq.

ex observatione poenae vindicativae *latae sententiae*, reus se ipsum proderet cum infamia et scandalo, quilibet confessarius potest in foro sacramentali *obligationem servandae poenae suspendere* (non eam auferre per dispensationem) iniuncto onere recurrendi saltem intra mensem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Paenitentiarium vel ad Episcopum facultate praeditum et standi eius mandatis ». - Et si in aliquo casu extraordinario talis recursus est impossibilis, tunc ipse confessarius potest dispensationem concedere ad normam can. 2254, § 3 (can. 2290). Quae facultas eodem modo interpretanda est ac potestas absolvendi a censuris, de qua supra dictum, cum hoc tamen discrimine quod confessarius a censura absolvens in casu occulto urgentiori censuram vere *aufert* cum onere reincidendi; vindicativam poenam in simili casu dumtaxat *suspendit* et debet imponere onus recurrendi. - Si hoc onus in casu raro et extraordinario sit impossibilis executionis confessarius qui poenam dispensat debet sese substituere superiori imponendo aliquam congruam reparationem et paenitentiam. Dispensatio confessarii valet pro *foro interno*, salvo praescriptio can. 2232, ut ea possit urgeri in foro externo.

341. Damnatio condicionalis (can. 2288). Est specialis modus magis favorabilis relaxandi poenam respondentem delicto commisso antequam ipsam sui expiari incipiat, et habet pro fine inducere delinquentem ad veram resipiscentiam et emendationem, et consequenter evitare delinquentis ita misericorditer tractati relapsum. Est novum institutum iuridicum per Codicem formaliter introductum in ius poenale Ecclesiae. Est ipsa lex quae delinquenti gratiam concedit, certis existentibus condicionibus; sed actus iurisdictionalis magistratus intercedere debet; iudici enim qui sententiam de admissio crimine profert, ius committit ut pro suo prudenti arbitrio decernat, num reus, in quo verificantur condiciones requisitae, favoris particeps faciendus sit necne.

Dici solet damnatio condicionalis, quamvis prout statuta est in cit. canone potius est damnatio absoluta, quam comitatur remissio condicionalis et quidem cum condicione resolutoria. Iudex damnatum ad poenam delicto respondentem secundum iuris principia, suspenditur eius executio idque reo intimatur; ita tamen ut si infra proximum triennium reus committat novum delictum, suspensio seu remissio condicionalis careat effectu et reus non solum subire debeat

novi reati poenam sed eam etiam quae per condicionalem condemnationem fuerat suspensa (79).

Conditioes requisitae: *a*) excluditur damnatio condicionalis in poenis degradationis, depositionis, privationis officii aut beneficii;

b) pariter est exclusa quando ex delicti circumstantiis urgeat necessitas reparandi scandalum;

c) requiritur quod reus talis sit ut prima vice post vitam laudabiliter peractam deliquerit;

d) poena, cuius executio per damnationem condicionalem suspenditur est poena *ordinaria*, non poena ordinariae *substituta*, non poena ordinaria *mitigata* in vim can. 2223, § 3, 3°. - Est ergo in iure nostro duplex medium moderandi poenas iuris; unum quod hoc loco exhibetur; alterum quod suppedatur cit. can. 2223; unumquodque subest peculiaribus circumstantiis seu condicionibus in respectivo canone declaratis.

342. Poenae vindicativae in Codice in duplicem speciem sunt collectae; aliae applicantur promiscue omnibus fidelibus, clericis et laicis (poenae *communes*); aliae sunt *peculiares* clericorum.

I. Poenae vindicativae communes

Poenae communes in can. 2291 enumerantur duodecim, quae enumeratio, propter verbum *praesertim* non est taxativa; ut autem ex ipsa enumeratione patet non fit distinctio in temporales et spirituales:

1°) Interdictum locale et interdictum in communitatem seu collegium, quod sit latum in perpetuum vel in tempus definitum aut ad beneplacitum Superioris. - Si esset in definitum tempus absolvendum post cessatam contumaciam esset censura; sed privationes quas inducit in utroque casu sunt eadem.

2°) Interdictum ab ingressu ecclesiae in perpetuum vel ad tempus praefinitum aut ad beneplacitum Superioris. - Eadem animadversio cfr. supra n. 308.

3°) Poenalis translatio vel suppressio: *a*) sedis episcopalis

(79) Una vel alia ratione habetur in pluribus Codicibus poenalibus modernorum Statuum, v. gr. in Stat. foed. Americae, in Angliā, Belgio, Gallia, Lusitania, Helvetia, Italia, Conf. C. It. a. 26, 26, Novo Cod. Ital. a. 1930, aa. 133-166.

(quae Rom. Pontifici est reservata); *b*) vel sedis paroecialis (quae ab Ordinario non nisi cum consilio capituli decerni potest (can. 2292).

4°) Infamia iuris, de qua infra.

5°) Privatio sepulturae ecclesiasticae, de qua cum est poena a iure iudicandum est ad normam can. 1240, § 1: sed propter n. 6, et exclusionem alicuius signi paenitentiae, ut applicetur haud raro erit necessaria sententia seu decisio Ordinarii.

6°) Privatio sacramentalium.

7°) Privatio vel suspensio ad tempus pensionis, quae ab Ecclesia vel ex bonis Ecclesiam solvitur vel alius iuris seu privilegii ecclesiastici.

8°) Remotio ab actibus legitimis ecclesiasticis exercendis; cuius poenae enucleatio facta est in explicatione can. 2256.

9°) Inhabilitas ad gratias ecclesiasticas aut munia in Ecclesia quae statum clericalem non requirunt, vel ad gradus academicos auctoritate ecclesiastica consequendos. Quae poena inhabilitatis ita intelligenda est, ut cum agitur de rebus ad quas assequendas capacitas iure communi statuitur, hanc poenam infligere una Sedes Apostol. possit; praeterea iura iam quaesita non amittuntur ob supervenientem inhabilitatis poenam, sed nova distincta requiritur poena privationis. Quare v. gr. inhabilitatem ad acquirendum ius patronatus ferre non potest Ordinarius nisi in casibus hac poena iure notatis; et incursa haec inhabilitas, sine nova poena privationis, non aufert ius patronatus iam legitime acquisitum.

10°) Privatio vel suspensio ad tempus muneris, facultatis vel gratiae iam obtentae v. gr. oratorii privati, membri consilii fabricae, advocati vel procuratoris in causis ecclesiasticis, iurispatronatus.

11°) Privatio iuris praecedentiae, vel vocis activae et passivae vel iuris ferendi titulos honoris, vestem, insignia, quae Ecclesia concesserit. Cfr. *Piat. Mont.* t. II, q. 762 sq.

12°) Mulcta pecuniaria.

343. Peculiares declarationes:

I. *Privatio vocis activae et passivae* et inhabilitas ad illam certe etiam laicis in poenam decerni potest v. gr. quoad munera in aliqua confraternitate, praesertim vero obtinet in Capitulis et Ordinibus religiosis, pro quibus iure praecedenti valde frequenter in iure statuatur. Quae poena si simpliciter infligatur «privatio vocis» ex stricta interpretatione et usu communi loquendi intelligenda est de

sola privatione vocis *activae* sive iuris *suffragii dandi*, nisi addatur expresse particula *et passivae* (is in quem suffragium confertur vocem non edit). Neque illae poenae necessario unitae sunt, sed una existere potest sine alia: unde in hac re poenali stricta adhibenda est interpretatio.

Iure praecedenti, etiam in casu quo talis poena in lege statuta esset cum clausula *ipso facto* vel *absque alia declaratione*, satis communiter dicebatur non incurri ante sententiam declaratoriam iudicis saltem de crimine commisso, non de poena inflictata, extra casum delicti *notorii*. Cfr. *Wernz*, *Ius decret.* VI, n. 114; *Lega*, t. III, n. 175 ex illa ratione quod secus valor actuum maximi momenti in Ecclesia periclitaretur. - Iure Codicis videtur satis provisum per canonem 2232 et 2290.

344. II. *Mulcta pecuniaria*, quae est una ex poenis etiam hodie valde practicis, primis saeculis in foro ecclesiastico inter poenas vindicativas non recensetur, et exempla a *Devoti* (80) allata, cum agant de pecuniaria mulcta in foro saeculari inflictata evidenter non sunt ad rem (81). At certe ex saeculo septimo in Hispania, in Anglia, Gallia, Germania mulctae pecuniariae infligi coeptae sunt (82). Quae praxis mulctarum inter populos germanicos eo facilius etiam in foro ecclesiastico recepta est, quod usibus fori saecularis de compositionibus pecuniariis multum esset conformis. Diffitendum tamen non est, redemptiones illas in foro ecclesiastico introductas multorum abusuum et relaxationis disciplinae ecclesiasticae exstitisse fontem et causam (83).

Dubitari quoque non potest, quin poenae pecuniariae in foro quoque externo et iudiciali legitime fuerint receptae (84) multumque extensae. Multi et graves abususes, qui ex poenis pecuniariis orti sunt,

(80) *Inst. can. lib. IV, tit. 1 § 10 not. 4.*

(81) *Kober*, in *Act. theol. Tubing.*, a. 1881, p. 3 sq., 10 sq.

(82) Cfr. c. 2 *Conc. Tulet. XVI*, a. 693; c. 2, 3 *Synod. Angl.*: a. 691 vel 692; c. 21, *C. XVII*, q. 4 = *Epist. Ioannis VIII ex Cnnc. Tricassin.*, a. 878; iunct. *Hefele*, l. c. tom. IV, p. 533; c. 4 *Concil. Tribur.*, a. 895; *Kober*, l. c. p. 18 sq.

(83) *Walter*, *Geschichte des deutsch. R.* § 709 sq.; *Kober*, l. c. p. 24 sq. De abusibus longe maioribus et frequentioribus in foro saeculari, cfr. *Pertile*, l. c. p. 226 sq.

(84) *Dict. Gratiani ad c. 21 C. XVII*, q. 4; *cap. 4, X de rapt. V*, 17; *cap. 14 X de iudeis V*, 6.

inde a saeculo duodecimo usque ad Concilium Tridentinum a Rom. Pontificibus et Conciliis constanter fuerunt impugnandi (85).

Concilium Tridentinum, quamvis mulctas pecuniarias expressis verbis etiam pro laicis (86) probaret ad eliminandos abususes et vitandam speciem avaritiae, retentis cautelis alias iam a iure (87) stabilitis, maxime cavit, ne certae mulctae i. e. clericis non residentibus (88) vel concubinariis (89) vel ex dispositione *sess. XXV, cap. 3 de ref. inflictae*, vel quae iudicis arbitrio infligi et taxari potuerunt, ulla ratione ad alium scopum quam ad causas pias applicari possent. Immo etiam omnes aliae mulctae pecuniariae, quae nequaquam ab arbitrio et taxatione iudicis ecclesiastici penderent, sed ipso iure essent statutae et taxatae neque certo scopo applicatae, minime in bonum privatum iudicis ecclesiastici v. gr. Episcopi cedere possent, nisi agatur de casibus a iure exceptis v. g. si Episcopus careat congrua sustentatione et insuper accedat approbatio sive licentia S. C. C. (90).

Post Concilium Tridentinum *mulctae pecuniariae* et laicis et clericis haud raro fuerunt impositae et S. C. C. saepe nacta est opportunitatem aut abususes coercendi aut excessuses moderandi (91); paulatim igitur istae poenae pecuniariae saltem pro laicis in compluribus regionibus usu praxique non amplius fuerunt receptae (92). Id quod maxime ultimo saeculo accidit, cum leges civiles poenas pecuniarias

(85) *Cap. 3 (Alex. III) X, de poenis. V*, 37; *cap. 6, X de off. archid. I*, 23; *Kober*, l. c. p. 37 sq.; *Schiappoli*, l. c. n. 190, 218; *Benedictus XIV*, *De Synod. dioec. lib. X, cap. 9 de mulctis seu poenis pecuniariis.*

(86) *Sess. XXV, cap. 3, 19 de ref.*

(87) *Cap. 4 § 1, X de off. et p. iud. d. I*, 29; *cap. 3, X de poenis, V*, 37; *Kober*, l. c. p. 57 sq.

(88) *Sess. VI, cap. 1 de ref., Sess. XXIII cap. 1 de ref.*

(89) *Sess. XXV cap. 14 de ref.; Kober*, l. c. p. 60 sq., 64 sq.; *Benedictus XIV*, *De Synod. dioec. lib. X, cap. X, n. 1.*

(90) *Benedictus XIV*, l. c. n. 2 sq.; *Kober*, l. c. p. 67 sq.

(91) *Kober*, l. c. p. 61 sq.; *Lega*, l. c. n. 182. — S. C. Ep. et Reg. (5 Febr. 1678) iussit omnes mulctas pecuniarias esse deponendas apud ecclesiasticum virum electum in depositarium ut inde expenderentur in causas pias data opportunitate. Deinde vero in *Instr. Benedictina pro Relatione de statu dioecesis ab Episcopo faciendae in Visitatione Sac. Liminum*, unum caput de quo referre debebant, illud erat: « An habeat depositarium poenarum et mulctarum pecuniarum, et an eadem fuerint piis usibus applicatae ».

(92) *Zech*, l. c. § 134; *Schmalzgr.*, l. c. lib. V, tit. 37 n. 216; *Kober*, l. c. p. 70 sq.

laicis infligendas prohiberent atque etiam pro clericis restringerent (93). Quae leges utpote ab incompetente potestate invalide et iniuste latae ius Ecclesiae non sustulerunt; at certe saltem ex parte illud effecerunt, ut Ecclesia laicos non iam facile poenis pecuniariis castigaret (94) atque etiam in clericos magna circumspectione et moderatione iure suo uteretur.

Iure Codicis ex simili dispositione iuris praecedentis (95) de hac poena sancitur can. 2297: « Mulctas pecuniarias iure communi inflictas, quarum erogatio non sit eodem iure praefinita, aliasque iure peculiari statutas vel statuendas, Ordinarii locorum erogare debent in pios usus, non vero in commodum mensae episcopalis aut capitularis ». De mulcta in poenam constituta in iure communi cfr. canones 2347, 2º; 2406, § 2; 2408, etc.

345. III. Poenae infamiae. Cum fama (bona) a legislatore Romano dicta fuerit « dignitatis illaesae status legibus ac moribus comprobatus (L. 5 D, 50, 13), *infamia* (96) est « bonae famae vel existimationis privatio vel diminutio, seu status illaesae dignitatis non amplius legibus aut moribus comprobatus, et supponit publicam sinistramque de persona opinionem ortam ex vitio ». Qui status laesae dignitatis, seu bonae famae privatio, potest exsistere *de facto*, quatenus oritur ex evidentia commissi delicti alicuius infamantis aut ex vulgata opinione de tali commissio delicto, propter quod delinquentis bona existimatio apud probos et honestos viros laeditur, licet ab ipso iure expresse non notetur aliqua infamia nec infamia per sententiam irrogetur. Praeterea infamia oriri potest *ex iure*, quae ipsa

(93) *Kober*, l. c. p. 72 sq. In compluribus vero concordatis ius Episcoporum infligendi poenas secundum sacros canones in foro ecclesiastico expresse agnitum est. Cfr. *Nussi*, l. c. p. 116 sq.

(94) In Instructione Pragensi a. 1870, inter poenas laicorum mulcta non amplius recensentur.

(95) Ad poenas pecuniarias spectant non paucae aliae, quae in iure antiquo recurrunt v. g. confiscatio honorum, intestabilitas. Cfr. c. 4 Conc. Tolet. IV, a. 638; c. 9 Conc. Tolet. XVI, a. 693; cap. 5 de poenis V, 9 in Sext. et *Passerinus* in h. cap. 5; *Thesaurus*, l. c. P. I. cap. 36 sq.; *Reiffenst.*, h. t. n. 112; *Hinschius*, l. c. tom. IV, p. 804, 816.

(96) Cfr. *Suárez*, De cens. disp. 48 sect. 1; *Thesaurus*, l. c. cap. 33; *Stremmler* l. c. p. 41 sq.; *Ferraris*, Biblioth. v. Infamia; *Wernz*, Ius Decrer. t. II, n. 130; *Piat. Mont.*, l. c. t. II, p. 586, ubi infamia recensetur inter poenas *spirituales*, licet potius afficiat bona fortunae sive *temporalia*. *Scherer*, l. c. § 68 p. 343, § 168.

legis dispositione infligitur sive decernitur in certa crimina committentes. Unde habetur *infamia facti et infamia iuris*. Utraque illa infamia et laicos et clericos afficere potest. Hoc loco solummodo agendum est de *infamia iuris*, quae est poena ecclesiastica sive ipsa lege ipsoque facto sive per iudicis sententiam ob verum delictum inflicta (97).

Qua in re primis saeculis de speciali quadam poena infamiae in Ecclesia nihil occurrit; nisi huc revoces sanctiones canonicas, quibus criminosi et infames ab ordinibus et gradibus ecclesiasticis arcebantur (98). Ceteroquin Ecclesia sese accommodavit iuri Romano (99) quoad infamiam; at praeterea directa et speciali iuris canonici sanctione poenam infamiae in certa delicta extendit (100) aut vicissim infamiam iure civili Romanorum certis actibus statuta omnino reprobavit (101). Quae poena infamiae certis delictis a iure inflicta etiam in Decreto Gratiani recensetur (102), neque eiusdem poenae exempla desunt in iure Decretalium (103) atque in Concilio Tridentino (104). Immo Ecclesia in suo foro nostra quoque aetate poenam infamiae non abrogavit. Cfr. S. C. C. 9 Aug. 1890 contra certos duellantes, in Act. S. Sed., vol. XXIII, p. 234.

At ex disciplina iamdiu vigente non incurrebatur haec poena infamiae quotiescumque legibus civilibus aut sententiis iudicialibus fori saecularis delinquenti iuste esset inflicta, nisi etiam in tali casu in foro ecclesiastico esset expresse statuta infamia; nam quod iure antiquo de legibus saeculi statutum fuerat (i. e. de legibus Romanis) id iure Romano non esset intelligendum de legibus saecularibus iustis nunc vigentibus (105); iam vigente sed quoniam nulla lex ecclesiastica aut *expresse* aut saltem *tacite* generali modo admisit in-

(97) *Ferraris*, l. c. n. 1 sq.; *Scherer*, l. c.

(98) *Wernz*, l. c. n. 129.

(99) Dig. III, 2 de his, qui notantur infamia; c. 2 C. VI q. 1 qui adscribitur Adriano Papae, et est unum ex capitul. Angilrami; c. 17 ead. C. et q. = cap. Pseudo-Isidor; *Muenchen*, l. c. p. 134.

(100) Cfr. c. 5 D. 51 = c. 19 Conc. Tolet. IV, a. 633; c. 7. Conc. Tolet. XIII a. 603; c. 4 Conc. Tolet. XVII, a. 694; cap. 5 de poen. V, 9 in Sext.

(101) Cap. 4 X; de secund. nupt. (IV, 21) infamia iuris Rom. *ob violatum annum luctus* est sublata.

(102) Cfr. text. cit.; c. 3 C. III, q. 4; c. 23 C. II, q. 7 = cap. Pseudo-Isid.

(103) Cap. 5 cit. de poenis in Sext.

(104) Sess. XXIV, cap. 6 de ref. matr., Sess. XXV, cap. 19 de ref.

(105) Cfr. 2, 17 C. VI q. 1; *Scherer*, l. c. § 68 not. 56.

famiam, quae in modernis codicibus criminalibus aliqua ratione admitti solet, haec pro foro ecclesiastico solum videtur habere *vim infamiae facti*, nisi verificetur exceptio (106).

346. Ius Codicis (can. 2293-2295). Infamia pariter aut est infamia *facti* aut infamia *iuris*. Prima locum habet in defectu bonae famae, qui tunc habetur cum probi et graves fideles aliquem parvi aut nihil faciunt ob admissum scelus aut inhonestam vitam; quae infamatio suos in iure habet effectus, ad Ordinarium pertinet iudicare quando adest vel cessabit (can. 2233, § 3) et nullo modo est poena.

Infamia iuris est vera poena vindicativa, quae incurritur solum in casibus iure *communi* expressis; quare sicut ab Ordinariis constitui nequit, ita semel incurta sola dispensatione Sedis Apost. auferri potest, qua obtenta statim cessat, tametsi forte perduret infamia facti. Consistit autem seu secum trahit positivam plurium iurium socialium privationem (can. 2293, § 2, 2295).

Qui infamia iuris notatur: 1° est irregularis ad normam canonis 984, n. 5; 2° est inhabilis ad obtinenda beneficia, pensiones, officia, dignitates ecclesiasticas; 3° est inhabilis ad actus legitimos ecclesiasticos perficiendos et ad exercitium iuris et muneris ecclesiastici; 4° arceri debet a ministerio in sacris functionibus exercendo. Inde patet poenam esse gravissimam.

Inhabilitas notati infamia reddit invalidam receptionem eorum ad quae inhabilitas extenditur (can. 2294, § 1).

Qui vero laborat *infamia facti*, non in poenam, sed ob indecentiam contra bonum publicum, *repellendus* est a recipiendis ordinibus, a dignitatibus, beneficiis, officiis, actibus legitimis ecclesiasticis atque ab exercendo sacro ministerio (can. 2294, § 2); quae prohibitio, actum contrarium tantum illicitum reddens, si agatur de ministerio clericorum proprio, habet etiam pro fundamento honorem status clericalis et sacri ministerii, qui in discrimen vertitur si ab infamato exerceatur.

Iuris infamia potest esse poena *latae sententiae* et habemus in iure hos casus: 1° qui species consecratas abiecerint vel in malum finem abduxerint (c. 2329); 2° qui violant cadavera aut sepulturas in

(106) Wernz l. c. n. 130, III. f); Gasparri, De sacr. ordin. n. 290. Paulo aliter Hollveck l. c. § 78, not. 6.

finem furti aut alium pravum finem; 3° sacrilege manus iniicientes in personam Rom. Pontificis aut in Cardinalem vel Legatum S. Sedis (c. 2343); 4° duellum committentes eorumque patrini (c. 2351); 5° bigami; 6° laici legitime damnati ob peccatum contra VI cum personis a. 16 minoribus vel ob stuprum, sodoniam, incestum, lenocinium (can. 2357). - Verbum *declarandi sunt* vel *declarentur* potius videtur significare poenam *ferendae sententiae*, et certe effectus poenales non incurruntur nisi post talem declarationem. Cfr. v. gr. can. 2314; 2359, § 2.

II. De peculiaribus clericorum poenis vindicativis

347. Scholion. De irregularitatibus. Irregularitates *per se* et *principaliter* etiam iure praecedenti non erant poenae vel censurae, sed inhabilitates sive impedimenta canonica, ob reverentiam sacro clericorum ministerio debitam, directe et per se impediencia ordinis susceptionem et secundo illius usum. Nihilominus illae quae dicebantur irregularitates *ex delicto* secundarie sed vere etiam erant statutae per modum poenae vindicativae de se perpetuae in iustam delicti vindicationem. Atque hinc intelligitur, cur veteres canonistae saltem de irregularitatibus ex delicto ortis atque in poenam vindicativam statutis hoc titulo 37 iuris Decret. *de poenis* libri quinti iuris criminalis fusius disputarint (107).

At iure Codicis irregularitates etiam ex delicto ortae (can. 985) non recensentur in catalogo poenarum vindicativarum. Nihilominus si attendantur cc. 986, 989, 990, 991, iure quoque Codicis tractantur eodem fere modo ac si essent poenae vindicativae v. gr. quoad necessitatem gravis peccati ad eas incurrendas et quoad facultates dispensandi in casibus occultis.

348. Poenae clericorum propriae. Seclusa irregularitate, catalogus poenarum vindicativarum, quae ratione obiecti sunt propriae clericorum et in iure vigenti conservantur, traditur canone 2298, ubi sequentes enumerantur:

(107) Schmalzgr. h. t. n. 66 sq.; Stremmer l. c. p. 45 sq. Etiam *Lega* in iure poenali cum aliis poenis tractat de irregularitatibus non solum ex delicto, sed etiam *ex defectu*, l. c. t. III, a n. 185.

- 1°) Prohibitio exercendi sacrum ministerium praeterquam in certa ecclesia;
- 2°) Suspendio in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris;
- 3°) Translatio poenalis ab officio vel beneficio obtento ad inferius;
- 4°) Privatio alicuius iuris cum beneficio vel officio coniuncti;
- 5°) Inhabilitas ad omnes vel ad aliquot dignitates, officia, beneficia aliave munera propria clericorum;
- 6°) Privatio poenalis beneficii vel officii cum vel sine pensione;
- 7°) Prohibitio commorandi in certo loco vel territorio;
- 8°) Praescriptio commorandi in certo loco vel territorio;
- 9°) Privatio ad tempus habitus ecclesiastici!
- 10°) Depositio;
- 11°) Privatio perpetua habitus ecclesiastici;
- 12°) Degradatio.

349. Poenarum declaratio:

I. Poenae, quae solum differunt ab homonima censura in quantum habent definitam durationem declaratione non egent, quia eodem habent poenales effectus.

II. Suspendio in perpetuum, si sit suspendio ab officio *partialis*, v. gr., a ministerio praedicandi, audiendi confessionis etc. et idem dicatur de beneficio, v. gr., a sola administratione beneficii, nullam in se habent difficultatem. At *suspendio perpetua* ab universo officio vel a beneficio, vix potest dari casus in quo ferri possit extra casum in quo ipsa officii vel beneficii privatio decerni possit: suspendio enim perpetua universi officii vel beneficii, esset modus indirectus auferendi officium vel beneficium; perinde enim est determinatum officium non haberi ac eius iuribus numquam in perpetuum uti posse seu eius munera numquam posse exercere: est autem iuris regula « cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti ». Reg. 84 de Reg. Iur. in VI°. Casus ergo in quo Ordinarius ad privationem officii devenire non potest, nec dat Ordinarius ius ab eo *perpetuo* suspendendi saltem totaliter.

III. Ob similem rationem difficultate caret privatio poenalis alicuius iuris cum beneficio vel officio coniuncti, quae est poena nova, saltem sub hoc nomine (cfr., v. gr., ius electionis vel praesentationis).

IV. *Prohibitio commorandi in certo loco et praescriptio in certo loco commorandi* substituunt antiquam poenam *carceris, exsilii vel deportationis* seu *relegationis*, quae ut supra dictum est, rari fuit usus in antiquo iure, et hodie redderetur impossibilis executionis his in locis ubi leges Ecclesiae a potestate civili non sancuntur vel non agnoscuntur, leges enim civiles respiciunt *civem* sine discrimine inter *civem fidelem* et non *fidelem*. Per novam poenam expresse introductam quoad clericos idem obtinetur finis, qui poterat per antiquas poenas obtineri.

Ex natura iurisdictionis ordinariorum, hi non possunt praescribere, ut clericus certo in loco, extra fines suae dioecesis ideoque in aliena dioecesi commoretur, nisi accedat consensus Ordinarii illius loci vel agatur de domo paenitentiae seu emendationis clericis non solum dioecesanis, sed etiam extradioecesanis destinata aut de domo religiosa exempta Superiore eiusdem consentiente (can. 2301). Ex quo canone apparet relegationem fieri posse in monasterium vel domum paenitentialem; quae existentia domus paenitentialis pro clericis est in optatis iuris et Instr. 4 Nov. 1918 pro Relatione de statu dioecesis n. 46 Ordinarii iuebantur hac de re referre (A. A. S., X, 495).

Illa tamen privatio libertatis sub duplici forma sive prohibitionis sive praescriptionis commorandi in certo loco, praesertim si diu duratura sit consideratur ut poena durior, quam proinde Ordinario licet imponere in casibus tantum gravibus, in quibus ad clerici emendationem aut scandali reparationem necessaria sit (can. 3202).

V. *Privatio temporanea habitus ecclesiastici* est etiam poena inter graviores adscribenda, cum secumferat, dum perdurat, prohibitionem exercendi ministeria quaevis ecclesiastica et privationem privilegiorum clericalium. Tria ut legitime irrogetur requiruntur: a) gravia et actualia scandala a clerico data; b) *inutilis monitio* praemissa cum comminatione poenae (cfr. can. 2222, § 1); c) quod sit *unicum remedium* quo scandalum removeri queat (can. 2300). Ut *explicite* proposita, est poena nova.

VI. *Translatio poenalis* ad officium vel beneficium inferius cum includat privationem videtur regi debere iisdem normis ac privatio sine translatione. Est tamen mitigatio poenae simplicis privationis et facilius decerni potest in clericos amovibiles; cum tamen differat ab amotione et translatione *administrativa* sine delicto decerni non pot-

est. Cum sit poena nova, quoad applicationem nondum adest sufficiens iurisprudencia (108).

VII. *Inhabilitas* ad omnes vel ad aliquot beneficia, officia, dignitates et munera clericorum propria, est poena quae tantum statui potest a supremo principe sive a Romano Pontifice; nam inferior legislator nequit suo statuto aliquem excludere ab officiis, cui iure communi aditus nondum est interdictus, sed potius permissus; est enim huiusmodi statutum contra ius commune ideoque ipso facto nullum (109) (can. 2296, § 1); respicit autem futurum, non aufert officia et beneficia habita nisi adiungatur poena privationis (canone 2296, § 2). Potest autem esse latae vel ferendae sententiae sicut aliae poenae (110). Porro inhabilitas non raro est consequentia alterius legis poenalis vel sententiae iudicialis, in quibus implicite sancitur, velut in sententia depositionis (111), excommunicationis etc., aut mediate sequitur ex delicto (112) ratione infamiae: absoluta vel dispensata poena, cuius est sequela, ipsa inhabilitas cessat.

Effectus inhabilitatis inflictæ. Efficit ut nulla et irrita sit omnis collatio vel provisio canonica officii vel beneficii ecclesiastici, neque ulla requiritur praevia sententia declaratoria, ut reus etiam occulti criminis in conscientia obligetur non acceptare officium vel beneficium ecclesiasticum; non enim agitur *de iure quaesito amittendo*, sed *de iure nondum quaesito acquirendo*. Nihilominus iure praecedenti probabilis erat sententia, quod excepto casu *criminis notorii* cui huiusmodi inhabilitas in poenam esset statuta, ante sententiam declaratoriam iudicis saltem de *crimine commisso* ista obligatio in conscientia ex praxi mitiori atque opinione communiore doctorum urgeri non

(108) Cfr. Cap. *Quaesitum* § fin. de rer. per mut.; *Reiffenstuel* eod. n. 38 sq.; *D'Annibale*, Summ. p. 3 n. 61 cum nota; *Zamboni* tom. 4 Conclus. S. C. V. v. parochus § 14; A. S. S. XX, 137. — Cfr. quoque can. 193, § 2.

(109) *Thesaurus* l. c. cap. 28; *Stremler* l. c. p. 31 sq.; *Kober*, D. Deposit. p. 128 sq., ubi prima refert vestigia inhabilitatis ad ultiores gradus in poenam delicti iam tempore S. Augustini statuta; *Hinschius* l. c. tom. IV p. 731. Si in fundatione alicuius officii vel muneris Ordinarius loci admittit aliquam qualitatem, condicionem, requisitam ad illud officium seu munus, haec firmatur iure communi sed non est quaestio de poena sed de defectu condicionis requisitæ.

(110) Gregorium XV Const. « *Universi dominici* » 20 Aug. 1622 § 5 (*in sollicitantes*, inter alias poenas) « *perpetuae inhabilitatis ad illa* (officia ecclesiastica) *poenas decernant* » (iudices).

(111) Cap. 13 X de vit. et honest. III 1; *Kober*, D. Deposition p. 197 sq.

(112) *Stremler* l. c. p. 44 sq.; *Ferraris* l. c. v, Infamia n. 17; *Hinschius* l. c. tom. II p. 487 sq.

posset, quia ut plurimum erat periculum scandali vel infamiae, et nemo tenetur se ipsum diffamare. Insuper addebatur nullam aliunde exsistere difficultatem, cum actus positi ante sententiam declaratoriam iam propter errorem communem et titulum coloratum validi essent habendi.

Iure vero Codicis tenendum est poenam semper obligare in *utroque foro*; in externa excusare timorem infamiae ad normam canonis 2232 non facile admittendum; in interno vero providetur per facultatem confessario in can. 2290 tributam.

Qui non obstante sua inhabilitate ausus esset beneficium acceptare, consequenter omnes fructus beneficii etiam iam perceptos et consumptos debet restituere; nam fructus illos utpote sine titulo perceptos non fecit suos, ideoque tamquam rem alienam ante omnem sententiam iudicalem restituere tenetur (113).

VIII. a) *Privatio* seu ablatio officiorum vel beneficiorum ecclesiasticorum a clerico legitime obtentorum (114) distinguitur in privationem *per sententiam declaratoriam* vel *condemnatoriam* iudicis ecclesiastici; in priori casu incurritur, si ita adnexa est perpetrati delicti, ut sententia *condemnatoria* iudicis ecclesiastici omnino non requiratur; in altero casu, ut incuratur, *non tantum* opus est sententia *declaratoria* criminis, sed *condemnatoria* iniungente poenam ablationis officii vel beneficii ecclesiastici. — Huius sententiae pronuntiatio in iure Codicis (can. 1576) reservatur tribunali collegiali trium iudicum.

Si agatur de *beneficio inamovibili*, clericus illud obtinens ab eo in poenam privari non potest, nisi *in casibus iure expressis*; amovibile beneficium auferri etiam potest ob alias rationabiles causas, etiam ubi lex taxative id non statuit (can. 2299, § 1, 3). Quodsi clericus titulo beneficii vel pensione ordinatus est, tali beneficio seu pensione privari non potest, nisi aliunde eius congruae sustentioni provideatur a decernente poenam, salvo tamen praescripto can. 2303, 2304.

b) Quando ipso iure inducitur privatio hi sunt principales effectus. Ipso facto criminis patrati amittitur titulus sive proprietas officii et beneficii ecclesiastici, quod propterea a momento commissi delicti vacat et ab *alio* ante omnem sententiam condemnatoriam iudicis ec-

(113) *Stremler* l. c. p. 31 cum *Thesaurus* l. c. cap. 5, 28.

(114) *Schmalzgr* l. c. n. 128 sq.; *Stremler* l. c. p. 32; *Icard* l. c. n. 691 835; *Droste* l. c. p. 55; *Lega* l. c. n. 72 176; *Gennari*, Sulla privazione del beneficio ecclesiastico p. 1.

clesiastici obtineri potest. — II. Qui ita privatus est suo beneficio ecclesiastico, fructus non facit suos et redditus forte perceptos inde a die commissi criminis restituere tenetur. — III. Beneficium tali privatione ablatum permutari aut in favorem alterius resignari a beneficiato non amplius potest. — IV. Denique si iste beneficiatus moriatur, beneficium illius ab alio impetrari potest, non tamquam vacans per mortem, sed ex delicto, quo iam ante mortem proprietas beneficii fuerat sublata.

Qui effectus sunt omnino diversi, si per sententiam condemnatoriam iudicis ecclesiastici privatio decernitur. Etenim in hoc casu proprietas sive titulus beneficii solummodo auferitur tempore latae sententiae condemnatoriae. Inde efficitur, quod ante sententiam condemnatoriam beneficium talis clericus criminosis: I. non possit ab alio impetrari (cfr. can 151). - II. possit ex causa permutari vel resignari. III. fructus ferat suo proprietario, qui facit suos neque perceptos restituere debet, etiamsi quis diu ante sententiam crimen commisisset.

c) Cum « *paupertas cogat ad turpia* », iudex ecclesiasticus, qui clericum suo beneficio privavit, curare debet, ut clerico isti sufficiens quaedam alimentatio subministretur, v. gr., in domo correctionis vel demeritorum; secus enim privatio beneficii aequipararetur poenae capitali per inedia infligendae. Quae poena capitalis a foro ecclesiastico omnino aliena est. Ceteroquin ne ista quidem alimentatio concedenda est contumacibus, quandiu illi in sua contumacia perseverant. *Schmalzgr.* (V, 37) n. 129, 130; *Stremler*, l. c. p. 33 sq.; *Argum. can.* 2205, § 2, de depositione, quae est poena multo gravior.

d) Quattuor tantum casus in Codice habentur privationis beneficii latae sententiae, qui natura sua publici sunt: 2396, 2397, 2398, 2266 - in aliis undecim casibus dicitur clericus *esse privandus*: 2314, § 1; 2231, § 2; 2340, § 2; 2343, § 2; 2345; 2346; 2350, § 2; 2354, § 2; 2359, § 1-3; 2368, § 1; 2381, § 2 - alii octo casus habentur in quibus statuitur beneficium privari posse: can. 2321; 2336, § 1-2; 2855; 2359, § 3; 2360, § 2; 2394, § 2; 2403; 2405.

e) Illud autem novum in Codice inductum est, ut poena privationis possit esse partialis hoc sensu, quod, « clerici obtinentes beneficia, officia, dignitates, possint (servatis servandis) etiam aliquo tantum ministerio cum iisdem coniuncto, v. gr., ministerio praedicandi, confessiones audiendi etc., prohiberi ad certum tempus » (canone 2299, § 2). Cui quasi-privationi partiali non videtur applicandum principium eiusdem canonis § 1, quod solum infligi possit in casibus

iure expressis. Porro cum in hac materia verbum prohiberi ambiguum sit, Superioris erit clare determinare num actum determinati iuris seu potestatis mere prohibeat seu illicitum reddat, an ipsam potestatem seu ius ad tempus auferat.

IX. De depositione clericorum

350. A. *Notae historicae de depositione et degradatione clericorum.* Ecclesia cum sit societas humana et ex hominibus fragilibus suos quoque assumat clericos et praelatos, etiam inter suos ministros nacta est homines debiles atque adeo sceleribus contaminatos. Hinc manifestum est, Ecclesiam inde ab exordio religionis christiana non nisi iure suo proprio et nativo usam esse, si clericos dyscolos et sceleratos ab officiis et muneribus sibi creditis penitus removet (115).

Cuius iuris exercitationes iam primis Ecclesiae temporibus reperiuntur, ut patet exemplo allato a Tertulliano (116) et ex privatione ordinis sacerdotalis vel in ipsum Origenem a. 221 a Concilio Alexandrino pronuntiata (117). Saeculis subsequentibus poena ista frequenter occurrit (118); et quamvis ob magnam diversitatem terminologiae de ambitu atque vi istius depositionis in particularibus casibus possit esse dubium, tamen ordinarie quoad substantiam illa remotio a clero comprehendit imprimis privationem ab ordine clericali atque ab officio et redditibus ecclesiasticis, immo etiam ab honoribus et praerogativis, nisi in ferenda sententia iuris rigor mansuetudine sacerdotali fuerit moderatus (119).

(115) *Kober*, D. Deposit. p. 1, D. Suspension. p. 1 sq.; *Hinschius* t. IV p. 773 impugnat doctrinam *Kober* l. c. p. 205 de antiquitate depositionis ipso facto seu latae sententiae.

(116) De baptismo, cap. 17 (*Migne*, P. L. I. 1219).

(117) *Hefele* l. c. tom. I p. 106.

(118) Cfr. c. 3 6 (5) 7 (6) 8 20 etc. Apostol.; *Hefele* l. c. p. 800 sq.; c. 51 Conc. Illiber. (a. 300-306); c. 13. Conc. Arelat. (a. 314); c. 1 Conc. Neocaesar. (a. 314-325); c. 17 Conc. Nicaen. (a. 325) = c. 2 Dist. 47; c. 8 C. XIV q. 4; c. 2 Conc. Nicaen. = c. 1 D. 48; *Siricius* in epist. ad *Himer. Tarrac.* (a. 385) = c. 5 D. 84; c. 6 Conc. Ephes. (a. 431); c. 2 27 Conc. Chalced. (a. 451) = c. 8 C. I. q. 1 C. XXXVI q. 2; *Kober*, D. Deposit. p. 3 sq.; *Hinschius* l. c. tom. IV p. 698 sq. 726 sq. 806; *Vacandard*, Dict. d. Théol. cath. t. IV col. 451 sq.

(119) Cfr. v. g. c. 1, 2, Conc. Ancy. (a. 314) = c. 32, D. 50; *S. Basil.*, ad *Amphil.* cap. 27, 69; *Kober*, l. c. p. 5 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 727; *Vacandard*, l. c. col. 452 sq.

Quod si complures ex istis effectibus in simplici quoque privatione reperiuntur, non deest primis saeculis singularis illa qualitas depositionis, qua essentialiter a mera privatione distinguitur, scilicet omnimoda inhabilitas ad officia ecclesiastica qualiacunque. Etenim clerici ex ordine clericali fuerunt eiecti et ad statum laicalem (120) ita perfecte detrusi, ut ordinarie numquam amplius veneranda mysteria potuerint attingere (121) omnique spe restitutionis fuerint exclusi (122). Cuius rigidae disciplinae (123) in iure antiquo ea tantum occurrit exceptio, ut propter bonum pacis atque concordiae clerici haeretici vel schismatici cum suis asseclis ad Ecclesiam catholicam redeuntes mitius tractarentur (124).

Praeter istam *perfectam depositionem* iam ex antiquissimo tempore *partialis* quaenam *depositio* vel degradatio usu fuit recepta, veluti remotio ab officio ecclesiastico, sed relictis honoribus status clericalis, depositio a gradu superiori, v. gr. diaconi coniuncta cum relegatione ad gradum clerici minorum ordinum, subductio tantum certorum iurium, v. gr. iuris ordinandi, ministerii altaris (125). Quae partialis depositio postea etiam in iure Decretalium fuit retenta (126).

351. Usque ad finem saeculi duodecimi verba depositionis vel degradationis promiscue usurpabantur atque eandem designarunt

(120) Cfr. c. 62 Apost. atque de communione laicali et peregrina; *Devoti*, Inst. can. lib. I, tit. 8 § 19 not. 2; *Kober*, l. c. p. 38 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 728 not. 4, p. 807. not. 2, ubi inefficacibus argumentis impugnat doctrinam catholicam de indelebili caractere ordinis a *Kober* l. c. p. 90 sq. solide expositam et probatam.

(121) *Siricius* in Epist. ad Himer. Tarracon. (a. 385) = c. 4 D. 82, cfr. quoque c. 5, D. 84.

(122) *Kober* p. 26 sq., 30 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 727 sq.; At *Schiappoli* l. c. n. 202, falso asserit usque ad saec. IX non fuisse fixam definitam theoriam (?) de *indelebitate* characteris spiritualis in ordinatione impressi.

(123) Cfr. c. 7 Conc. Arelat. III (a. 528) = c. 1 D. 74 et c. 10 D. 81; *S. Gregor M.* in c. 1 (a. 595) c. 9, 10 (a. 594) D. 50; c. 4 Conc. Tolet. VIII (a. 653); *Gratianus*, cit. D. 50

(124) Cfr. c. 8, Conc. Nicaen. (a. 325) et *Hefele* l. c. tom. I p. 408 sq.; *Kober*, l. c. p. 35 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 727, 808 *Vacandard*, l. c. col. 455.

(125) Cfr. c. 1, 2 Con. Ancyr. (a. 314); c. 6. Concil. Agat. (a. 506); c. 10, Conc. Neocaes. (a. 214-325); *Kober*, l. c. p. 113 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 729 sq., 809; *Vacandard*, l. c. col. 460.

(126) Cfr. v. g. cap. 4, X, de iudic. II, 1 cap. 8 X, de vita et hon. III, 1; *Kober*, l. c. p. 214 sq.; *Suárez*, De censuris, disp. 30, sect. 1 n. 4.

poenam (127). Verum cum perfecta illa exemptio clericorum a foro saeculari etiam in causis criminalibus (128) magis magisque a principibus civilibus impugnari coepta esset et non paucorum abusus esset causa (129), Romani Pontifices, v. gr., Lucius III (130) et Coelestinus III (131) iam versus finem saeculi duodecimi illud remedium adhibuerunt, ut clericos incorrigibiles denuo relinquerent arbitrio potestatis saecularis animadversione debita puniendos. Innocentius III ultra progressus est (132) atque certos clericos criminosos non solum *omnibus officiis et beneficiis in perpetuum privari iussit*, sed etiam mandavit, ut iidem postquam per ecclesiasticum iudicem *degradati fuissent, saeculari potestati traderentur* secundum constitutiones legitimas puniendi. Inde orta est accuratior illa differentia inter *depositionem* iure antiquo semper receptam et *degradationem*, quam Innocentius III, cap. 27, X, de verb. signif. V, 40 « *apertius* » exposuit multoque magis Bonifacius VIII, cap. 2, de poenis V, 9 in Sext., a quo « *verbalis degradatio* » et « *actualis degradatio* » accurate distinguuntur. *Vacandard*, l. c. col. 462-465.

Quae eiectio a statu clericali et detrusio in statum laicum facta est paulatim non simplici tantum sententia depositionis, sed cum aliqua sollemnitate atque caerimoniarum serie, qua ignominia depositionis aucta est (133). Qua ratione orta sollemnis depositio sive

(127) *Ducange*, Glossar.... latin. v. Degradatio; *Devoti*, l. c. § 19, not. 2; *Kober*, l. c. p. 130 sq.; *Vacandard*, l. c. col. 465; Cfr. c. 49 (c. 35, 56 C, XII, q. 2) 50, Conc. Agath. (506) et c. 8, 23; (c. 41, C. XII, q. 2) Conc. Aurel. III (a. 538); c. 20 Conc. Illiber. (a. 300-306) = c. 5, Dist. 47.

(128) Cap. 4, 8, 10 X de iud. II, 1; cap. 12, X de foro comp. II, 2; Capit. Caroli M., a. 789, c. 38; Capit. Francofurt., a. 793, c. 39; Cap. Longob. a. 803, c. 12; *Kober*, l. c. p. 131 sq., 146 sq.

(129) Ecclesia in suo foro poenam capitalem infligere prohibuit (cfr. cap. 5, 9 ne monachi III, 50) ideoque clerici soli foro ecclesiastico subiecti, licet gravissima commisissent delicta (cfr. cap. 6, X de poenis) practice immunes erant a poena capitali. Quae immunitas dyscolos clericos non satis coercuit (cfr. *Kober*, l. c. p. 147 sq.) atque compluribus principibus, v. g., Henrico II in Anglia et Friderico II in Sicilia ansam dedit condendi leges foro privilegiato cleri contrarias et a Rom. Pontificibus reprobatas; cfr. cap. 8, X de iud. II, 1; *Kober*, l. c. p. 150 sq.; *Vacandard*, l. c. col. 462 sq.

(130) Cap. 9, X de haetic. V, 7 = (Lucius III, a. 1184).

(131) Cap. 10, X de iudic. II, 1 = (Coelest. III, a. 1191-1198).

(132) Cap. 7, de crim. falsi, V, 20 = (Innoc. III, a. 1198); *Kober*, l. c. p. 157 sq.

(133) Cfr. c. 28 Concil. Tolet. IV (a. 633) = c. 65, C. XI, q. 3 duct. arg. a contr.; *Hefele*, l. c. tom. III, p. 82; *Devoti*, l. c. not. 1; *Kober*, l. c. p. 48 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 809.

degradatio ad instar ignominiosae missionis in exercitu romano (134).

Sanctiones Bonifacianae cit. cap. 2 de poen. in Sext. mox in praxim fuerunt deductae, at omnibus querelis et abusibus remedium non attulerunt (135). Quare in Concilio Tridentino (136) denuo de eadem re actum est atque reformatio duplex fuit sancita; imprimis per decreta severiora de habitu et tonsura clericorum minorum et beneficiariorum, quibus clerici inferiores foro privilegiato abutentes multo facilius iudicibus saecularibus fuerunt subiecti (137); deinde in locum Episcoporum, qui in degradatione clericorum maiorum haud exiguo numero ex iure antiquo debuerunt assistere, alii Praelati et Dignitarii ecclesiastici secundum sanctiones Tridentinas substitui potuerunt (138).

Inde a Concilio Tridentino ius ab Ecclesia de degradatione constitutum theoretice non amplius multum immutatum est; at practice, cum forum privilegiatum cleri in dies magis coarctaretur (139) nova quaedam species degradationis quasi ipso facto incurrendae fuit introducta.

A qua praxi (140) probanda saltem pro clericis inferioribus habitum clericalem abiicientibus et scelera patrantibus non multum alienum est decretum Pii IX, directe quidem solis dioecesibus status

(134) L. 13 § 3 D. de re milit. (XLIX, 16); cap. 2 de poenis, V, 9 in Sext.; *Devoti*, l. c.; *Kober*, l. c. p. 54 sq.; *Vacandard*, l. c. col. 456.

(135) *Kober*, l. c. p. 163 sq.

(136) *Bened. XIV*, De synod. dioec. lib. IX cap. 6 n. 4.

(137) Sess. XXIII cap. 6 de ref.

(138) Sess. XIII cap. 4 de ref.

(139) Quam coarctationem atque adeo abrogationem fori privilegiati clericorum, attento iuris rigore impugnari non posse, tenet *Kober* l. c. p. 173; ipse enim putat, forum privilegiatum cleri niti *mera concessione potestatis civilis* indeque concludit, potestatem civilem ex causa necessitatis vel utilitatis eandem concessionem denuo revocare posse. Quae assertio doctissimi viri a. 1867 prolata iam in Syllabo prop. 30 a. 1864 fuit proscripita et solido fundamento canonico caret; argumenta vero historica eiusdem auctoris non sunt ad rem, cum non satis distinguat inter occasionem historicam et adminicula iuris, atque propriam et fundamentalem causam originis fori privilegiati. Immo etiamsi forum privilegiatum cleri niteretur iure tantum historico et quaesito, eadem assertio melius fuisset limitanda et circumscribenda. Cfr. *Tarquini* l. c. n. 81; *Cavagnis*, Inst. iur. publ. eccl. P. II p. 66 sq.; *Wernz*, Ius Decret. tom. II n. 167; *Wernz-Vidal* tom. VI, De process. n. 35 sq. 37 sq.

(140) *Kober* l. c. p. 172 sq.

pontificii datum, sed praxi ipsa et stilo curiae tamquam ubique obligans consideratum, utpote iuris communis, declaratorium (141). Certe illo decreto rigor iuris Tridentini quoad clericos inferiorum ordinum non leviter auctus est.

352. B. *Disciplina vigens de depositione clericorum* (can. 2303). *Depositio* clericorum, quae ex disciplina nunc vigente omnino differt a degradatione verbali (142), est *poena spiritualis vindicativa*, quae clericus non solum privatur ordine et officio et beneficio legitime obtento, sed etiam perpetuo ab exercitio potestatis ordinis et iurisdictionis arcetur et ad ordines et officia et beneficia ecclesiastica futuro tempore obtinenda omnino inhabilis efficitur (can. 2303), at a statu clericali non ita abiicitur, ut fori et canonis privilegia per se amittat aut ab obligationibus clericorum maiorum penitus liberetur (143).

Privatio et *depositio simplex* in hoc conveniunt quod utraque poena sit vera poena vindicativa solisque clericis propria, quae titulum sive proprietatem officii et beneficii legitime obtenti tollit; at *privatio* non obstat, quominus novum officium et beneficium obtineatur; *depositio* vero in poenam delicti commissi privationi addit inhabilitatem ad nova officia et beneficia acquirenda.

(141) S. C. Immun. 20 Sept. 1890 in Act. S. Sed. vol. III p. 433; *Scherer* l. c. § 71 not. 33; *Lega* De iudiciis, t. I p. 362 not. 1; *Wernz* t. II n. 164 not. 78.

(142) *Ferraris*, Biblioth. v. Degradatio n. 1 aliique auctores, v. gr. *Gennari*. (Sulla privazione del beneficio eccl. p. 58) inter depositionem simplicem sive absolutam et degradationem verbalem non satis distinguunt, at melius *Suárez*, De censuris, disp. 30 sect. 1 n. 12 sect. 2 n. 1; *Kober* l. c. p. 178 sq.; *Stremler* l. c. p. 37 sq. tenent, simplicem depositionem a degradatione verbali esse distinctam. Etenim tum Bonifacius VIII cap. 2 de poenis in Sext., tum Concil. Trid. Sess. XIII cap. 4 non agunt de depositione simplici, sed de duobus actibus, quibus sollemnis depositio sive degradatio absolvitur. Cfr. *Durantis* l. c. n. 45. Clarissime in codice can. 2303 et 2305.

(143) Can. 2203: Cfr. cap. 1 § 2 de homicid. V 4 in Sext.; Conc. Trid. Sess. XXV cap. 14 de ref.; *Kober* l. c. p. 184 sq. et praesertim p. 214 sq.; *Suárez* l. c. disp. 30 prooem. sect. 1 n. 1 sq. Quare verbum depositionis hoc loco non accipitur generice prout etiam includit depositionem sollemnem sive degradationem verbalem et realem, sed tantum specificice, quatenus designat solam depositionem simplicem in definitione allata descriptam. Cfr. *Schmalzgr.* h. t. (v. 37) n. 132. Divisio depositionis in totalem et partialem ex disciplina vigente non amplius est tanti momenti. Cfr. *Reiffenst.* h. t. n. 23 24; *Kober* l. c. p. 214 sq.; *Vacandard* l. c. col. 468; *Stremler* l. c. p. 35.

Hinc facile patet, *suspensionem* etiam *perpetuam* et *depositionem* non obstante multiplici convenientia in non paucis omnino *differre* (144). Etenim depositio sane est poena ecclesiastica vindicativa. Quae ratio poenae vindicativae suspensioni quoque sive perpetuae sive ad determinatum tempus inflictae pariter propria est. Deinde suspensio et depositio privant quibusdam functionibus publicis ordinis et iurisdictionis; nam nequaquam quis dicitur suspensus vel depositus, si arcetur a receptione sacramentorum, actionibus privatis, bonis communibus fidelium; istae enim privationes spectant potius ad excommunicationem et interdictum. Item utraque poena solis clericis est propria, cum ad solos clericos spectent functiones ordinis et iurisdictionis, officia et beneficia ecclesiastica. Denique ut habetur suspensio ab ordine aut officio aut beneficio aut ab omnibus simul, ita etiam depositio per se totalis vel partialis existere potest (145).

At suspensio et depositio in hoc differunt, quod suspensio ab officio et beneficio non tollat titulum sive proprietatem officii et beneficii ecclesiastici, sed tantum privet usu potestatis et perceptione fructuum. Quare si dispensatione tollatur poena suspensionis, nova collatione officii et beneficii ecclesiastici opus non est; secus dicendum, si clericus ab officio et beneficio depositus est.

Quoad ordinem suspensio et depositio conveniunt quod ipsa potestas ordinis non auferantur, sed tantum usus licitus interdicatur. Hinc differentia maxime eo reducitur, quod depositio ab ordine sit de se perpetua, cum suspensio possit esse temporanea vel indefinita, at cum interdum etiam perpetua infligatur suspensio ab ordine vera atque intrinseca differentia inter depositionem ab ordine et suspensionem perpetuam ab ordine vix assignari potest, nisi quod super depositione regulariter sive de ege ordinaria non dispensatur, cum suspensio non sit adeo absolute irremissibilis.

Tandem depositio simplex et suspensio perpetua conveniunt, quod ad statum laicalem non redigant ideoque etiam fori et canonis privilegio non privant neque clericos maiorum ordinum eximunt ab obligatione recitandi divinum officium aut ab inhabilitate ad matrimonium, si depositus vel suspensus in sacris ordinibus sit constitutus. Quare ultimo inciso definitionis datae praesertim insinuat diffe-

(144) Suárez l. c. disp. 30 sect. 1 n. 1 sq.; Kober l. c. p. 110 sq.

(145) Suárez l. c. n. 3; Reiffenstuel l. c. n. 24; Kober l. c. p. 214 sq. 113 sq.

rentia a degradatione, qua quis a statu clericali eiicitur atque detru- ditur in statum laicalem quantum hoc fieri potest remanente chara- ctere indelebili saltem trium superiorum ordinum et consequenter privatur privilegiis clericalibus.

Quodsi *depositio simplex* a degradatione reali certo differt, pa- riter *cum degradatione verbali non est confundenda*. Nam depositio simplex de qua hoc loco agitur, est *absoluta*, non *respectiva* sive ordinata ad degradationem realem; etenim qui absolute et simpliciter depositus est, *sine nova sententia* (146), quae continetur in degra- datione verbali, degradatione reali sive actuali plecti non potest, et quamvis muneribus ordinis atque officio et beneficio iam sit priva- tus et inhabilitatus ad nova munera clericalia acquirenda, privilegio canonis et fori adhuc praeditus est.

Codex depositionem et degradationem ita innovavit, ut inter utramque poenam introduxerit privationem *perpetuam habitus eccle- siastici*, qua iam amittuntur clericalia privilegia. Deinde iure Codicis non amplius habetur illa distinctio inter degradationem verbalem et realem, quod haec esset veluti executio degradationis verbalis; sed duo modi degradationis sunt duae formae eiusdem poenae, quae eosdem producant poenales effectus, illos videlicet quos antea pro- ducebat sola degradatio realis, et differunt in sola sollemnitate (ca- non 2305) (147).

353. *Subiecta activa. Historice.* Initio religionis christianae compete- bat pronuntiare sententiam depositionis in clericos Episco- pis dioecesanis; ipsi enim tamquam successores Apostolorum, etiam

(146) Schmalzgr. h. t. n. 138 sq.

(147) Cum iure praecedenti citra degradationem realem clerico in sacris privile- gia clericalia auferri non poterant, ita non poterant facultate gestandi habitum clerica- lem spoliari et ad statum laicalem redigi. — Sed cum modernis temporibus clericus, qui populo fidei scandalo est, invitatus ad degradationem realem subeundam practice cogi nequiret, aliqua alia ratione scandalum datum a clerico criminoso habitum clericalem deferente erat auferendum. Quare, praxi in non paucis dioecesibus re- cepta, Episcopi sola depositione verbali vel alia sententia iuridice prolata clerico deposito vel condemnato simul habitus clericalis gestationem interdicebant, ut ita canonum severitas de degradatione, quantum iniuria temporum permittebat, exe- cutioni mandaretur. Quae privatio habitus clericalis eo facilius fieri poterat, si certis sollemnitatibus servatis in quibusdam regionibus brachium saeculare prae- stabat auxilium et executionem. Wernz, Ius. Decret. VI n. 140.

presbyterorum aliorumque clericorum constituti fuerunt iudices (148). Quae sententia depositionis ex disciplina antiqua ab Episcopo solo lata non fuit, si clericis maiorum ordinum depositio fuit infligenda. Etenim Episcopi, antequam sententiam depositionis decernerent sponte exquirere solebant consensum et consilium sui presbyterii (149). Atque in Ecclesia Africana (150) ipsa lege cautum fuit, ut pro diversitate graduum maior Episcoporum numerus requireretur, et disceptatio definitioque causarum criminalium cleri superiorum ordinum collegio Episcoporum esset commissa. Hinc licet Episcopus causas criminales clericorum inferiorum solus potuerit cognoscere et definire, tamen si presbyteri vel diaconi fuerant accusati, in causa presbyteri ex vicinis Episcopis quinque, in causa diaconi duo ab Episcopo dioecetano tamquam coniudices fuerunt assumendi (151).

Quae disciplina Ecclesiae Africanae postea etiam in Hispania (152) et Gallia et Germania (153) recepta est.

Atcum in multis regionibus nonnisi difficulter tantus numerus Episcoporum congregari potuerit, iam in ipso iure Decretalium mitior praxis reperitur approbata, ne sollemni forma rigide retenta crimina clericorum manerent impunita. Quare Episcopus solus ex iure Decretalium potest procedere ad depositionem clericorum (154); et ad vitandos excessus Episcoporum illud solummodo cautum fuit, ut tantum coram Ecclesiae senioribus sive cum consensu capituli ferret sententiam depositionis clericorum (155). Verum iam Bonifacius VIII ratas habuit consuetudines (156), quibus forte Episcopi ab illo consensu capituli requirendo fuerunt exempti. Neque quid-

(148) I Timoth. V 19 sq.; Thomassinus 1 c. P. II lib. I cap. 15 n. 3; Kober l. c. p. 287. sq.; Hinschius l. c. p. 692 763 sq., ubi vera falsis miscet.

(149) Kober l. c. p. 303; Vacandard l. c. col. 491. sq.

(150) In Italia potius antiquus usus presbyterii videtur fuisse retentus, ut constat ex epist. S. Gregorii M. I. XII epist. 44 = c. 23 D. 86.

(151) Cfr. c. 11 Conc. Carthag. (a. 348); c. 10 Conc. Carthag. (a. 387-390); c. 8 Conc. Hippon. (a. 393); Kober l. c. p. 304 sq.

(152) Cfr. c. 6 Conc. Hispal. (a. 619) = c. 17 C. XV q. 7; c. 28 Conc. Tolet. IV (a. 633) = c. 65 C. V q. 3.

(153) Cfr. c. 20 Conc. Rothomag. (a. 1072); c. 20. Conc. Tribur. (a. 895); Kober l. c. p. 307 sq.

(154) C. 1 X de cap. monach. III 37; cap. 12 X de haeret. V 7.

(155) Cap. 24 X de accus. V 1; cap. 4 X de his quae f. III 10; cap. 1 X de excess. prael. V 31; Kober l. c. p. 310 sq.

(156) Durantis l. c. § 4; cap. 7 de off. ordin. I 16 in Sext.; cap. 3 de consuet. I 4 in Sext.

quam in hac praxi immutavit Concilium Tridentinum (157); immo, exclusis Praelatis inferioribus atque adeo Legatis Sedis Apostolicae, causas criminales clericorum in prima instantia maxima vi Episcopis vindicavit (158).

354. *Iure Codicis* hoc mansit vestigium antiquae disciplinae, quod ad infligendam *depositionem* et *privationem perpetuam habitus ecclesiastici* requiritur tribunal collegiale quinque iudicum (can. 1576). Est proinde depositio poena ferendae sententiae ideoque publica (159).

Pariter in Codice introductum est nova illa poena, quod si clericus depositus non det emendationis signa et praesertim si scandalum dare pergat et monitus non resipiscat, Ordinarius potest exasperare poenam *per privationem perpetuam habitus ecclesiastici*, per quam clericus simul amittit privilegia clericalia et alimenta, licet adhuc clericus maneat (can. 3304).

Principibus civilibus vel patronis nullum competere ius deponendi clericos vel Episcopos, non est multis argumentis demonstrandum (160). At si quis clericus sententiam depositionis in foro ecclesiastico latam contempserit ad requisitionem Ecclesiae brachio saeculari compescendus fuit (161). Quo in casu Ecclesia non vetuit magistratibus civilibus "*congruas dilucidationes*," (162) afferre. Quae dilucidationes non eo extendendae erant quasi potestati civili competat ius, velut in secunda et suprema instantia, de sententia lata in foro ecclesiastico iudicandi. Hodie illa invocatio brachii saecularis plerumque effectu careret (cfr. can. 2198).

(157) Conc. Trid. sess. XIV cap. 6 de ref., Sess. XXV cap. 14 de ref.

(158) Sess. XXIV cap. 20 de ref.

(159) Nulla habetur in Codice depositio latae sententiae, sed semper provocatur ad sententiam iudicis in decem casibus ubi illa poena est constituta, videlicet: can. 2314, § 1; 2320; 2322; 2328; 2350, § 1; 2354; § 2; 2359 § 2; 2379; 2394; 2401. Naturae tamen poenae non repugnat, quod ea irrogaretur ut poena latae sententiae. Codificatio delictorum hac poena punitorum ante Codicem facta non erat. Cfr. diversos catalogos allegari solitos ante Codicem apud Aichner, Comp. iur. eccl. p. 735; Hollweck l. c. p. 159.

(160) Kober l. c. p. 325 sq.; Hinschius l. c. tom. IV p. 773 sq. et aliis locis pro suis praeiudiciis protestanticis in hisce quaestionibus sub specie eruditionis ad falsas pervenit conclusiones.

(161) Cap. 2 X de cleric. exc. V 27.

(162) Litt. Archiep. Viennensis art. 13 in documento addito Concordato Austriaco a. 1855; Kober l. c. p. 199.

355. *Subiectum passivum* huius poenae depositionis sunt soli clerici; depositio enim privat ordinibus, officiis, beneficiis, privilegiis ecclesiasticis, quorum soli clerici capaces sunt. Quare poena depositionis non nisi per analogiam quandam ad personas religiosas ordine clericali destitutas extenditur v. g. ad superiores institutorum laicorum vel abbatissas; nam illae personae ecclesiasticae tantum suis muneribus et privilegiis privari possunt (163).

Ex ordine clericorum, inde a clericis et beneficiatis inferioribus (164) usque ad Episcopos (165) supremosque Praelatos (166) in Ecclesia, ipsis Cardinalibus (167) non exclusis, nemo a poena depositionis immunis est, si delictum huic poenae obnoxium commiserit.

Solus Romanus Pontifex, cum nullum in his terris habeat Superiorem, a nullo magistratu humano, sive ecclesiastico sive civili, vere et proprie deponi potest (168). Iure quidem divino vel canonico potest quis inhabilis existere ut valide eligatur Romanus Pon-

(163) Suárez l. c. disp. 30 sect. 1 n. 2; *Piat. Mont.* l. c. t. II p. 637 sq.; *Vacandard* l. c. col. 495 de depositione abbatum.

(164) Ipsi quoque canonici Ecclesiae cathedralis a potestate Episcopi infligendi poenam depositionis non sunt exempti (cfr. cap. 13. X. de off. iud. ord. l. 31.; Conc. Trid. Sess. VI. cap. 4. de ref., Sess. XIV. sap. 5. de ref.). Solummodo *quoad capitula exempta* (Sess. XXV. cap. 6. de ref.) specialis quaedam forma procedendi Episcopis fuit praescripta. Cfr. *Kober* l. c. p. 323. Potestas quam Episcopi antiquis temporibus in deponendis Abbatibus (cfr. *Kober* l. c. p. 340. sq.) exercuerunt, nostra aetate, saltem pro veris ordinibus religiosis iamdiu a iurisdictione Episcoporum exemptis Sedique Apostolicae immediate subiectis (cfr. cap. 8. X. de statu monach. III. 35.), non iam videtur esse practici momenti.

(165) Cap. 2. X. de transl. I. 7; Concil. Trid. Sess. XIII. c. 8. de ref., Sess. XXIV. cap. 5. de ref.; *Kober* l. c. p. 379. sq.; *Vacandard* l. c. col. 496.

(166) De Metropolitans et Patriarchis cfr. *Kober* l. c. p. 487, sq.; *Vacandard* l. c. col. 509. sq.

(167) Leo IV in Synod. Rom. a. 853 deposuit Cardinalem Presbyt. Anastasium = c. 2. X. de cler. non resid. III. 4.; cap. unic. de schism. V. 3 in Sext.; in Conc. Rom. a. 864 Nicolaus I Card. Rodoaldum deposuit (*Hefele*, Conciliengesch. t. IV. p. 178); Pius IV. Const. « *Onerosum* » (a. 1563.) in Cardinalem Odetti, qui ad castra Hugonottorum defecerat, sententiam depositionis promulgavit. Cfr. *Kober* l. c. p. 523. sq.; 529. sq. Quodsi RR. Pontifices *de facto* cum *consensu* Synodi aut de fratrum (Cardinalium) *consilio* decretum depositionis tulerunt, id ex prudenti quadam praxi, non ex iuris necessitate fecerunt; *Wernz*, Ius Decret. t. II. n. 636.; *Vacandard* l. c. col. 514. 515.

(168) Cap. 1 de maior. et obed. I 8 in Extrav. com.; *Kober* l. c. p. 549 sq.; *Vacandard* l. c. col. 516 sq.

tifex, v. g. amens (169) vel simoniacus (170). Similiter ex natura rei iureque divino Romanus Pontifex in certis casibus dignitatem suam et potestatem amittere potest, v. g. si incidat in amentiam certam atque perpetuam et incurabilem aut *si forte* fieret publicus et notorius haereticus (171). At hisce casibus vera et propria depositio auctoritate humana sive per legem generalem sive per sententiam iudicalem facta non continetur.

356. *Forma*, qua depositio simplex infligitur, iure novo est sola *sententia condemnatoria*. Quae sententia condemnatoria, si de clericis dioecesis agitur specialem quandam sollemnitate non requirit (172); at si Episcopus procedere debuit contra canonicos capitulorum exemptorum forma a Concilio Tridentino praescripta ipsi fuit servanda (173): sed de Capitulis saecularibus exemptis ne mentio quidem in Codice occurrit etiam in titulis de processibus.

Forma antiquitus servata in depositione Episcoporum (174), quae iam diu ante Concilium Tridentinum Romano Pontifici fuit reservata (175), plane in desuetudinem abiit. Quare nostra aetate eae tantum cautelae in processu canonico depositionis Episcopi servantur, quae nituntur sanctionibus generalibus iuris processalis, quibus rigore non tenetur Rom. Pontifex.

Quodsi de depositione Cardinalis agitur, profecto Romanus Pontifex de consilio et consensu collegii Cardinalium sententiam ferre potest (176), sed ad hanc formam servandam pro plenitudine suae potestatis non tenetur (177). Multo minus Romanus Pontifex in deponendis Cardinalibus obligatur ad audiendos 72 testes antequam sententiam iudicalem depositionis ferat. Nam etiamsi anti-

(169) *Wilmers*, De Christi Eccl. p. 258; *Wernz* t. II n. 614.

(170) Cfr. Const. Iulii II. « *Cum tam divino* » 14 Ian. 1506 in Conc. Later. V approbatam, cui in hac parte derogavit Pius X Const. « *Vacante Sede Apostolica* » 25 Decembr. 1904 in Act. Pii X t. III p. 239 vel in fine Codicis.

(171) Synod. Roman. (a. 503); c. 6 D 40; *Bellarminus*, De Rom. Pont. l. II c. 30; *Bouix*, De Papa t. II p. 653 sq.; *Wernz* l. c. n. 615.

(172) *Suárez*, l. c. disp. 30, sect. 1, n. 18; *Kober*, l. c. p. 180.

(173) Sess. XXV, cap. 6, de reform.

(174) *Kober*, l. c. p. 379 sq.

(175) Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 5 de ref.; *Kober*, l. c. p. 467; cfr. nunc can. 1557.

(176) Cap. unic. de schism. V, 3 in Sext.

(177) *Kober*, l. c. p. 538.

quum illud statutum de 72 testibus ex sese plane spurium (178) paulatim etiam in documentis authenticis commemoratur, tamen in praxi non fuit receptum neque Romanum Pontificem potuit ligare (179).

357. *Effectus* depositionis simplicis, ut eruitur ex definitione, est imprimis totalis prohibitio exercitii potestatis ordinis; nam ipsa potestas ordinis in se spectata depositione non tollitur atque in ordinibus characterem indelebilem certo imprimantibus ne tolli quidem potest (180). Qua prohibitione perdurante exercitatio potestatis ordinis omnino est valida (181), at *illicita*, tum ipsi clerico deposito tum fidelibus ministerium clerici depositi approbantibus vel requirantibus, nisi agatur de casibus in iure exceptis v. g. in articulo mortis. Quodsi clericus depositus ausus fuerit sive praesumpserit ministerium ordinis denuo exercere, aliis poenis est castigandus praeter irregularitatem incursum.

Praeterea ne clericus maior ex depositione sua commodum reportet, ab obligationibus recitandi breviarium et servandi coelibatum ordini adnexis nequaquam efficitur immunis (182).

Cum depositione non solum licita exercitatio, sed ipsum officium radicitus i. e. una cum titulo clerico auferatur, omnes actus officii et iurisdictionis, qui non obstante depositione a clerico deposito attentantur, sunt ipso facto *invalidi* (183) et pro gravitate culpae poena proportionata, ipsa excommunicatione (184) non exclusae, merito castigandi. Quare v. g. parochus depositus per se non valide iam confessiones excipere aut matrimoniis assistere potest (185).

Porro per depositionem beneficia forte legitime obtenta plane *vacant* et alteri valide conferri possunt (186).

(178) Cfr. c. 2 C. II, q. 4; *Kober*, l. c. p. 539; *Vacandard*, l. c. col. 515.

(179) *Kober*, l. c. p. 540 sq.

(180) *Kober*, l. c. p. 184 sq., 188 sq.

(181) *Kober*, l. c. p. 105 sq.

(182) Cap. 7, X de iud. II, 1; *Schmalzgr.*, h. t. n. 135, 164; *Suárez*, l. c. disp. 30, sect. 1, n. 9; *Kober*, l. c. p. 189 sq. Nemo suo delicto meliorem suam conditionem facere potest (L. 134 D. 50, 17).

(183) Cap. 1 de conc. praeb. III, 7 in Sext.; *Kober*, l. c. p. 190; *Suárez*, l. c. n. 7

(184) Cfr. cap. 1, 2, X de clerico exc. V, 27, ubi *Kober*, l. c. verbum *ministerii* nimis arbitrarie ad solum exercitium ordinis limitat.

(185) *Kober*, l. c. p. 192.

(186) Cap. 15, X de exc. praelat. V, 31; cap. 1 § 2 de homicid. V, 4 in Sext.; *Suárez*, l. c. n. 7, 13 sq.; *Kober*, p. 192 sq.

Illud vero depositioni plane singulare est quod clericum depositum etiam ad nova officia et beneficia ecclesiastica acquirenda omnino efficiat inhabilem (187).

Denique clerici depositi singularibus quidem honoris praerogativis clericorum v. g. in choro privantur, at privilegia *canonis* et *fori exempti* retinent, quoniam ex statu clericali totaliter non eiiciuntur. Hinc a fortiori iisdem gaudent bonis spiritualibus Ecclesiae, quae omnibus fidelibus etiam laicis communia sunt, nisi forte depositionis rigor speciali poena adiecta auctus sit (188).

Ut consulatur dignitati status clericalis, Ecclesia curare solet, ut clericus depositus etiam nunc (189) percipiat necessariam alimentionem, ut iam supra de privatione expositum est (190), nisi ex novo scandalo mereatur privationem perpetuam habitus ecclesiastici ad normam can. 2304.

358. *Dispensatio* super poena vindicativa depositionis simplicis, quae saltem in ordine ad tollendam inhabilitatem perpetuam vere fieri potest, atque integra et totalis restitutio clerici depositi (191), certe a Romano Pontifice concedi possunt; depositio enim licet sit poena perpetua praesertim ad terrorem incutiendum instituta (192) et gravior ipsa suspensione perpetua, tamen utpote poena iuris humani relaxationi, utique rarae et difficili, est obnoxia (193). Quae dispensatio et restitutio Romano Pontifici est reservata, si agitur de restitutione illorum clericorum, quorum depositio a solo R. Pontifice decerni potuit.

(187) Cap. 13, X, de vita et honest. III, 1; *Schmalzgr.*, h. t. n. 133. Ex depositione etiam oritur *infamia*, quae maior est in degradatione verbali et maxima in degradatione reali; *Suárez*, disp. 30, sect. 2 n. 5.

(188) *Benedictus XIV*, l. c. n. 3; *Kober*, l. c. n. 198.

(189) De iure antiquo et detrusione clericorum depositorum in monasteria cfr. cap. 6 § 7, X, de homicid. V, 12; cap. 12 X, de poenit. V, 38.

(190) *Kober*, l. c. p. 201 sq.; quae alimentatio fit in forma pauperum clericorum et differt a *pensione*, secus depositio fieret illusoria et ex ea clericus depositus potius commodum reportaret; cfr. L. 134, D. L. 17; c. 7 X, de iudic. II, 1; c. 5, X, X de donat. inter virum IV, 20.

(191) *Suárez*, l. c. disp. 30, sect. 1 n. 6.

(192) Cap. 13 X de vita et hon. cler. III, 1; cap. 8, X de dolo II, 14; cap. 2, X, de rapt. V, 17; cap. 4, X de clerico excom. *deposito* vel interd. min. V, 27; Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 14 de ref.

(193) *Suárez*, l. c.; *Kober*, l. c. p. 203, 630, 100, 33 sq. ubi etiam exempla historica restitutionis affert.

Quodsi clerici ab Episcopo legitime depositi fuerint, post paenitentiam peractam ab eodem saltem in casibus a iure specialim concessis (194) dispensari et in pristinum statum restitui *ex gratia* non prohibentur (cfr. can. 2236) (195). Si post causae discussionem feratur *iniusta* depositionis sententia, detecto errore profecto restitutio clerico deposito est concedenda; attamen illa restitutio non nisi improprie dispensatio est dicenda.

De clerico minore ad statum laicalem reducendo aut iam reducto in clerum iterum assumendo cfr. can. 211, § 2; 212, § 1; 213, § 1. Cfr. quoque infra n.

X. De degradatione clericorum

359. A. *De degradatione verbali. Degradatio verbalis*, iure Codicem praecedente, *consistebat in sententia iudiciali, qua sollemniter pronuntiabatur depositio* (196) *et insuper declarabatur, accusatum esse dignum degradatione actuali eamque poenam, in illo executioni esse mandandam*; sed actu privilegii clericalibus nondum privabat (197). Quae degradatio a Suárez (198) ita describitur, quod

(194) Cap. 4 X de iudic. II, 1; Pontificale Rom. tit. *degradationis forma*; Suárez, l. c.; Schmalzgr., h. t. n. 137; Kober, l. c. p. 204 sq.

(195) Kober, l. c.; Stremmer, l. c. p. 35. Ad probandam illam potestatem, saltem cum illa restrictione, merito provocatur ad Pontificale Rom. l. c. « Episcopus tamen ante ipsam insignium detractionem et etiam post sententiae depositionis prolationem *dispensare et restituere solo verbo* potest, sicut et *verbaliter* depositus fuit ». Ex quibus verbis, cum generalia sint, intulit Kober, l. c. p. 204, *generatim* et sine distinctione ius esse Episcopo clericos a se depositos restituendi; et generatim id solum admittitur de casibus in iure expressis, quae limitatio videtur inferri ex cap. 4 X de iudic. II, 1. Per se quidem solus Rom. Pontifex esset competens, quia depositionem sequitur *infamia*, quam *directe* solus R. Pontifex tollere potest, c. 23, X, de sent. et se iud. II, 27: verum *indirecta* famae restitutio, i. e. post paenitentiam peractam et per *quandam consequentiam*, videtur esse permissa Episcopo, cum infamia non fuit immediate inflictata a iure, sed *resultat ex poena infamante*. Cfr. Suárez, De cens. dis. XLVIII, sect. II, n. 6, 7, 8. Sed cum depositio tollat *titulum* beneficii, ad illud denuo habendum *nova* requiretur *collatio*, quae quoad idem beneficium non amplius est possibilis, si tertio interim, utpote vere vacans, fuerit rite collatum.

(196) Suárez, l. c., disp. 30, sect. 2 n. 6.

(197) Cap. 27 X de verb. sign. V, (40 Innoc. III); cap. 2 de poenis in Sext. i. f.; Pontificale Rom. l. c. pr. et i. f.; Suárez, l. c. n. 7, 8, ubi hanc sententiam non tantum asserit, sed solide probat ex fontibus allegatis; Schmalzgr., h. t. n. 138; Gibalinus, disq. I, n. 19 sq.; Kober, l. c. p. 181 sq.

(198) Suárez, l. c. n. 9.

esset privatio perpetua *clericalis muneris* per canonicam sententiam cum debita *sollemnitate* prolatam, eique opponitur *degradatio realis*, quae simpliciter vocatur degradatio et est perpetua privatio clericalis muneris *et privilegii* effecta per similem sententiam adiuncta *reali actione* et caerimonia per canones instituta. Quare nimis extenderetur vis illius degradationis verbalis, si quis putaret (199), illa sola *etiam* privilegia clericalia fori et canonis subduci; immo depositio seu degradatio verbalis sane quoad privationem ordinis, officii, beneficii idem revera effecit atque depositio simplex, et degradatio actualis illos effectus iam productos solummodo *sollemniter* manifestabat et *promulgabat* ad ignominiam et terrorem; at sola degradatio realis *actu* privabat *privilegiis* clericalibus.

Iure Codicis vero ob peculiarem difficultatem in clericum invitum exsequendi realem degradationem, *verbalis* seu *edictalis* degradatio est poena *absoluta* quae eosdem producit effectus ac antiqua degradatio realis, excepta maiori ignominia proveniente ex sollemnitate huius degradationis realis (can. 2305, § 3).

360. *Iudex (subiectum activum) a) Historice*: ex disciplina vigente (200) in clericos inferiorum ordinum ad sententiam depositionis verbalis ferendam competens, erat solus Episcopus proprius, qui neque ut coniudices neque ut meros assistentes sive consiliarios ad augendam sollemnitatem alios Episcopos vel Praelatos vel Abates adsciscere tenebatur post statutum Bonifacii VIII (201).

(199) Quibus scriptoribus certe *Benedictus XIV*, adnumerari non potest, ut fit a Kober, l. c. p. 181; nam in suo libro de synod. dioec. lib. IX cap. 6 n. 3 manifeste docet, ante degradationem realem privilegium canonis *retineri*. Paulo aliter *Hollweck*, l. c. § 92, not. 2 qui pro contraria sententia citat *Thesaurum* et causam *Tarnovien.* i. e. relatores causae apud *Lingen-Reuss*, Caus. select. p. 104 sq. Cfr. tamen *Pignatelli*, t. III, cons. 20, t. VII, cons. 33, t. VIII, cons. 91, t. IX c. 3. Quodsi Pius IV dicitur cardinalem Odetti (Coligny), qui factus erat calvinista, per sententiam *degradationis verbalis* privasse privilegiis clericalibus, id minime verum est, nisi in quantum intelligatur de privatione facta *sine degradatione reali*; nam Rom. Pontifex expresse commemorat in sua sententia privationem privilegii clericalis « *eum ab omni cardinalatus commodo et honore ac privilegio etiam clericali... ipso iure depositum declaramus* ». At evidenter controversia esse non potuit, utrum Rom. Pontifex posset sine degradatione reali privare privilegio clericali; sed quaestio erat, utrum illam privationem *ex se* induceret sententia degradationis verbalis.

(200) De disciplina antiqua cfr. Kober, l. c. p. 217.

(201) Cap. 2 de poen. V, 9 in Sext.; Suárez, l. c. n. 19; Kober, l. c. p. 231.

Sententia degradationis verbalis contra clericos in sacris ordinibus constitutos ex iure antiquo, a Bonifacio VIII cap. 2 de poenis in Sexto comprobato, ordinarie ferri tantum potuit a proprio Episcopo, sibi assistente certo Episcoporum numero definito canonicis pro diversitate graduum Diaconi vel Presbyteri.

Quae regula generalis lege speciali iam a Gregorio IX in rescripto ad Archiepiscopum Remensem quoad degradationem haereticorum dato multum immutata est (202). Ibidem enim Gregorius IX concessit, ut Episcopus solus, convocatis tantum Abbatibus aliisque Praelatis et religiosis personis et litteratis suae dioecesis, sacerdotem vel alios clericos in sacris ordinibus constitutos degradare posset. Concilium vero Tridentinum Sess. XIII cap. 4 de ref. eandem concessionem a Gregorio IX factam et Libro Sexto postea insertam ampliavit et generaliter indulgit, ut Episcopo etiam absque aliis Episcopis procedere liceret adhibitis tamen et in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus, usum mitrae et baculi ex privilegio apostolico habentibus, si in civitate aut dioecesi reperiri et commode interesse possint, alioquin aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis, quae aetate graves et iuris scientia commendabiles existant.

Nemo umquam dubitavit, quin iure antiquo Episcopi tamquam veri coniudices cum suffragio decisivo ab Episcopo proprio fuissent assumendi, nequaquam vero ut meri consultores vel testes sollemnitatis (203); illi enim Episcopi successerunt in locum Episcoporum, qui in Synodo erant congregati atque certissime suffragio decisivo fuerunt praediti. Hinc cum in Libro Sexto et in Concilio Tridentino ius antiquum solummodo fuerit correctum pro casibus extraordinariis quoad *qualitatem personarum*, si Episcopi haberi non possent, ius antiquum de *suffragio decisivo* correctum non fuit. Ergo eodem iure suffragii decisivi ut veri iudices gaudere dicendae erant etiam personae ecclesiasticae Episcopis substitutae (204).

Quodsi quaeratur, utrum in illo collegio iudicum ad ferendam sententiam depositionis verbalis *maior pars* suffragiorum sufficeret,

(202) Cap. 1 de haeret. V, 2 in Sexto.

(203) Kober, l. c. p. 223.

(204) Quam sententiam recte tenuit: Suárez, l. c. n. 20; Pirhing, h. t. n. 18; Reiffenst., h. t. n. 42; Schmalzgr., h. t. n. 145; Benedictus XIV, De synod. dioec. lib. IX, cap. 6 n. 4; Kober, l. c. p. 223 sq., alique communiter contra paucos v. g. Ferraris, l. c. v. Degradatio n. 27, 28.

an *unanimes* requireretur omnium iudicum *suffragatio*, multi et graves auctores (205) propter verba cap. 3 X. de sent. et de re iud. II 27: "*Concors sacerdotum sententia submovere* (potest), unanimitatem votorum requisiverunt.

At verba citati capituli, quae erant unicum argumentum horum doctorum, neque vi textus originalis neque secundum approbationem a Gregorio IX receptam subministrabant concludentem rationem (206). Porro in Conciliis provincialibus, quae huiusmodi causas primitus discussissent, et quorum locum occuparunt illa collegia iudicum, numquam unanimes suffragatio fuit necessaria. Immo necessitas sententiae unanimiter latae legem de degradatione infligenda practice reddidisset illusoriam et omnibus illis abusibus, quibus Concilium Tridentinum voluit remedium afferre, denuo latam portam aperuisset. Quare sententia iam a Glossa v. Sacerdotum cap. 3 X. de sent. et re iud. II. 27 et etiam ab aliis antiquis et recentioribus canonistis propugnata, scilicet maiorem suffragiorum partem sufficere, videtur omnino esse praeferenda (207).

Denique ad degradationem illam verbalem, quae erat sententia iudicialis sive actus iurisdictionis, non ordinis, sufficiebat ut Episcopus proprius haberet iurisdictionem, neque requirebatur ut iam esset consecratus. Cum autem iurisdictionis sit delegabilis, etiam clerico v. g. Vicario generali non consecrato ad depositionem verbalem ferendam vices suas Episcopus per mandatum speciale committere potuit (208).

Cum degradatio verbalis Episcoporum aliorumque Superiorum vel exemptorum Praelatorum R. Pontifici per se sit reservata (209), collegialis illa procedura (210) a R. Pontifice necessario non fuit servanda; at de facto et sponte Romani Pontifices causas gravis-

(205) Schmalzgr., h. t. n. 146; Reiffenst., h. t. n. 44 alique.

(206) Textus originalis Gregorii M. dicit depositionem debere fieri collegialiter i. e. a Concilio; at quaestionem de unanimitate non attingit Gregorius M., immo potius implicite excludit, nam *concors* sententia non est *unanimes* sententia et in conciliis semper praevalebat maior pars nec unanimitas erat requisita; cfr. c. 11 Conc. Tolet. VIII (a. 653). In Decretalibus vero Gregorii IX, textus refertur ad depositionem simplicem, ad quam sola *praesentia cleri* requisita fuerat.

(207) Kober, l. c. p. 226.

(208) Suárez, l. c. n. 18.

(209) Schmalzgr., h. t. n. 142.

(210) Schmalzgr., h. t. n. 144.

simas per ordinarias aut extraordinarias Congregationes Cardinalium examinant et non raro etiam definiunt (211).

b) II. *De iure Codicis degradatio verbalis, sententialis, seu edictalis* requirit (ex can. 1576, § 1, 2^o) tribunal collegiale *quinque iudicum*, in quibus *speciales* qualitates non exiguntur.

Eius effectus declaratur dicendo, continere in se depositionem, perpetuam privationem habitus ecclesiastici et reductionem clerici ad statum laicalem de se perpetuam (can. 2305, § 1). Qui effectus immediate sequuntur sine ulla executione.

Ferri tantum potest propter delictum in iure expressum, aut si clericus, iam depositus et, ad normam can. 2304, habitu clericali privatus, grave aliquod scandalum per annum praebere pergat. Ex modo, quo ferenda est numquam est poena latae sententiae sed ferendae, salvo faciliori modo quo clerici minores ad statum laicalem reducuntur ad normam cc. 211, § 2; 141, § 2; 132, § 2; 136, § 3; 2387; 2358; 648; 669; qui mitior modus reductionis ad statum laicalem non venit nomine degradationis verbalis (212).

Post latam sententiam depositionis verbalis *ex disciplina antiqua* illico secuta est degradatio realis cum traditione in manus iudicis saecularis, qui ordinarie poenam capitalem aut aliam in lege civili sancitam statim executioni mandavit. Hodie degradatio verbalis est poena absoluta in se sistens, nec necessario inducit degradationem realem.

361. B. *De degradatione reali sive actuali. Degradatio realis*, quae non raro simpliciter et per eminentiam vocata est degradatio, erat executio sententiae depositionis sollemniter latae in degradatione verbalis, qua clericus actione reali et caerimonia per canones instituta in perpetuum privabatur omni clericali munere ordinis et officii et beneficii atque privilegio canonis et fori, et, quantum fieri poterat *ad statum laicalem reducebatur*, non sublatis tamen obligationibus v. g. divini officii recitandi et coelibatus in clericis maiorum ordinum (213).

(211) Kober, l. c. p. 529.

(212) Delicta, in quae expresse statuta est poena degradationis habentur in cc. 2314, § 1; 2343, § 1; 2354, § 2; 2368, § 1; 2388, § 1.

(213) Suárez, l. c. disp. 80, sect. 2, n. 1 sq., 9; Schmalzgr., h. t. n. 138; Stremler, l. c. p. 36 sq.

362. *Subiectum activum*, a quo degradatio actualis perfici potest et debet, est Episcopus proprius, confirmatus et consecratus et canonice inthronizatus (214), si agitur de clericis dioecesis (215). Cui Episcopo tamquam testes pro maiori actus sollemnitate, non ob iuris necessitatem (216) assistunt alii Episcopi vel Praelati vel viri in dignitate ecclesiastica constituti, qui ex lege (217) Tridentina iam in ferenda sententia depositionis verbalis intervenerunt.

Praeterea praesens sit oportet iudex saecularis cuius curiae degradatus clericus est tradendus (218); at neque ex iure Decretalium neque ex Pontificali Romano colligi potest, praesentiam iudicis saecularis ad essentiam sive valorem degradationis actualis requiri, ut videtur insinuare Kober l. c. p. 246.

363. *Subiectum passivum* degradationis actualis potest esse omnis clericus inde ab ordine Episcoporum usque ad clericos pri-

(214) Conc. Trident. Sess. XIII, cap. 4 de ref. Cui sanctioni Tridentinae, quae Vicarium generalem a degradatione actuali perficienda excludit, non obstat, quominus Episcopus dioecesanus alteri Episcopo vere consecrato vices suas in exsequenda degradatione reali committat. Cfr. cap. 9 X de consecr. ecclesiar. III, 40; Fagnanus, l. c. in cit. cap. 9 X de consecr. eccl. n. 26 sq.; Reiffenstuel, l. c. I, I, tit. 29, n. 84; Suárez, l. c. disp. 30, sect. 1, n. 18; Kober, l. c. p. 335 sq. Similiter Vicarius capitularis post latam sententiam depositionis verbalis solummodo per Episcopum consecratum depositionem realem exsequi potest. Arg. cap. 42 de elect. I, 6 in Sext.; Kober, l. c. p. 337 sq. Praelati regulares, quid in suos subditos hac in re possint, ex specialibus privilegiis a Sede Apostolica concessis est eruendum; nam iure communi huiusmodi facultate degradandi omnino carent. Cfr. Schmalzgr., h. t. n. 139, 142, 147; Ferraris, l. c. v. Degradatio n. 30; Kober, l. c. p. 335, ubi ex cap. 4, X de consuet. I, 4, inefficax repetit argumentum contra veteres canonistas, qui etiam consuetudine ius degradandi obtineri posse docuerunt.

(215) Immo clerici alicuius dioecesis, qui forte ab ipso Romano Pontifice ordinati sunt, a iurisdictione Ordinarii non ita eximuntur, ut ab ipso poena depositionis vel degradationis plecti non possint. Cfr. cap. 7, X, de maior. I, 33; Kober, l. c. p. 338 sq., 286 sq.

(216) Pontif. Rom. l. c. « *Et est notandum, quod in hac executione sententiae non est necessaria coepiscoporum praesentia* »; Durantis, l. c. o. 5; Suárez, l. c. disp. 30 sect. 2, n. 6. Quare Schmalzgr., h. t. n. 148 non recte tanquam necessariam videtur exigere praesentiam aliorum Episcoporum vel Abbatum. Cfr. quoque cap. 2 de poenis in Sext.; Kober, l. c. p. 245 sq.; Benedictus XIV, De synod. dioec. lib. IX, cap. 6 n. 5.

(217) Sess. XIII, cap. 4 de ref.

(218) Cap. 27 X de verb. signif. V, 40; Pontificale Rom. l. c. i. f.; Kober, l. c. p. 246.

mae tonsurae (219), ut patet evidenter ex Pontificali Romano, in quo forma degradationis ab ordine pontificali usque ad degradationem a prima tonsura refertur. Quodsi cap. 2 de poenis in Sext. degradatio Episcoporum non commemoratur, istud silentium facile explicatur, quod unice de degradatione clericorum *Episcopo subiectionum* proposita fuit quaestio et data responsio. Item in Concilio Tridentino Sess. XIII cap. 4 de ref. clerici in presbyteratu constituti ultimo loco recensentur, neque Episcopi dissertis verbis inter degradandos enumerantur. Ius enim Tridentinum conditum fuit de causis communiter contingentibus in quibus Episcopi sunt competentes, sed degradatio Episcoporum est causa rara et aliunde iam ipsi R. Pontifici reservata (220).

364. Crimina, ob quae, iure praecedenti, degradationis senten-

(219) Quoniam degradatio actualis principaliter respectum habet ad ordines, ideo primo intendit privationem ordinum et potius consequenter ablationem officiorum et beneficiorum; « Quis a *dignitatibus* et honoribus *deponitur*, sed ab *ordinibus degradatur* ». Hinc in Pontificali Romano P. III. « *Degradatio a prima tonsura* », « *Degradatio ab ordine acolyth.* » etc. secundum gradus hierarchiae ordinis, non iurisdictionis, ritus degradationis clericorum recensetur. Cfr. Suárez, l. c. sect. 2, n. 2, 6; *Stremler*, l. c. p. 37; *Hollweck*, l. c. § 93.

(220) Nostra aetate cum partim expressa concessione Romani Pontificis partim consuetudine quadam tolerata delicta communia clericorum ad forum saeculare deferantur, ex mente Ecclesiae est, ut antequam executioni mandetur poena capitalis aut carceris perpetui clerico saltem maiorum ordinum inflictam, Episcopo detur opportunitas de delicto inquirendi et pro re nata degradationem perficiendi. Clerici minorum ordinum, qui gravia crimina patrarunt, iam a longissimo tempore in Hispania et Gallia et Belgio citra praeviam degradationem pro more laicorum a iudicibus saecularibus etiam extremo supplicio affecti sunt. Quam proximam Ecclesia tacite saltem toleravit. Multoque minus nostra aetate degradatio clericorum minorum est practici momenti. Nam ex disciplina nunc vigente vix iam ullus clericus manet in solis minoribus ordinibus constitutus, sed brevi tempore inferiores illos gradus in seminario percurrit, ut ad ordines sacros ascendat. Quo tempore in seminario existit, vix iam patrabit delicta degradatione digna, e seminario autem expulsus vel sponte discedens habitum clericalem deponit et idcirco ex disciplina nunc vigenti laicis aequiparatur etiam in causis criminalibus. Quare iudex saecularis veluti post degradationem ipso iure inflictam in eundem clericum sicuti in alios laicos sine ullo scrupulo procedere potest. *Nussi*, *Conventiones*, l. c. p. 194 sq. (v. g. convent. Gregorii XVI, cum rege utriusque Sicil., a. 1834, art. 5). Inde tamen minime sequitur, probandam esse quorundam antiquorum canonistarum sententiam, qui tenuerunt, ob quodlibet crimen, cui a legibus civilibus inflictam esset poena ultimi supplicii, potuisse clericos degradari et foro saeculari subici. Cfr. *Benedictus XIV*, l. c. n. 7; *Stremler*, l. c. p. 39; *Kober*, l. c. p. 246, 230 sq.; *Decr. Pii IX*, 26 Sept. 1860 in A. S. S. vol. III, p. 433.

tia ferri et executioni mandari poterat, in iure communi Ecclesiae vel pontificiis Constitutionibus nominatim expressa esse debebant tamquam delicta degradationis poenae obnoxia (221). Eiusmodi crimina sunt: I. *Haeresis manifesta* et contumax et a fortiori apostasia a fide cap. 9 X. de haeret. V. 7. II. *Falsificatio* litterarum apostolicarum cap. 7 X. de crim. falsi V. 20. III. *Crimen nummarium*, sed intra fines Italiae tantum iuxta Urbani VIII Const. "In suprema," 13 Nov. 1627 IV. *Assassinium* (222) c. 1 § 2 de homic. V. 4 in Sext.; Clementis VIII Const. "Aequa," 18 Dec. 1595 V. *Procuratio abortus* foetus animati c. 5 X. de homic. V. 12; Sixti V. Const. "Effrenatam," 29 Oct. 1588; Gregorii XIV. Const. "Sedes Apost.", 31 Maii 1591 VI. *Sodomia* frequentata Pii V. Const. "Horrendum," 30 Ang. 1568 VII. *Sollicitatio ad turpia* in confessione sacramentali. *Benedictus XIV* De synod. dioec. lib. IX, cap. 6 n. 7 VIII. *Crimen usurpati ordinis* presbyteratus per celebrationem Missae et exceptionem sacramentalis confessionis c. 2 X. de cleric. non ordin. V. 28; Clemens VIII Const. "Etsi alias," 1. Dec. 1601; Urbanus VIII Const. "Apostolatus officium," 23 Mart. 1627; *Benedictus XIV* Const. "Sacerdos in aeternum," 20 Apr. 1744 IX. *Furtum hostiae* consecratae Innoc. XI Const. "Ad nostri Apostolatus," 12 Mart. 1677; Alexander VIII Const. "Cum alias," 22 Dec. 1690; *Benedictus XIV* Const. "Ab augustissimo," 5 Mart. 1744 (223).

Crimina, quibus in iure non expresse poena degradationis erat adnexa, licet istis essent maiora, ab Episcopo degradatione actuali puniri non poterant, sed servanda erat spectato iure communi norma et gradatio cap. 10 X. de iud. II. 1 constituta (224). In iure Codicis standum delictis in ipso notatis.

(221) *Benedictus XIV*, De Synodo dioec. l. c. n. 7 sq.; *Kober*, l. c. p. 730 sq.

(222) *Thesaurus*, De poenis eccles. v. Assassinium; *Kober*, l. c. p. 756 sq. de historia huius criminis.

(223) *Schmalzgr.*, h. t. n. 143, cuius enumeratio criminum non est satis accurata. Cfr. *Benedictus XIV*, l. c. et *Kober*, l. c.; *Devoti*, l. c. § 23; *De Oliva*, De foro Ecclesiae P. II, q. 12; *Hollweck*, l. c. § 92; *Aichner*, l. c. § 220. Similiter *Pirhing*, h. t. n. 19, cum enumeratione supra facta non plane cohaeret et suum catalogum claudit his verbis: « denique ob aliud crimen valde enorme et Reipublicae perniciosum, ut homicidium qualificatum, vel si clericus fuerit incorrigibilis et ruerit in profundum malorum ».

(224) Cfr. quoque cap. 6 X, de poenis V, 27; cap. 4, X de iudic. II, 1; *Benedictus XIV*, De Synod. dioec. lib. IX, cap. 6, n. 9 sq.; *Kober*, l. c. p. 798 sq.; Suárez, l. c. sect. 2, n. 3, 4; *Schmalzgr.*, h. t. n. 151 sq.

365. *Forma et ritus* degradationis realis accurate iam describitur a *Durantis* (225) et deinde pariter succincte traditur a Bonifacio VIII in cap. 2 de poen. V 9 in Sext. Fusius vero exhibetur nunc in Pontificali Romano sub titulo: "Degradationis forma," in P. III. Ex ipso Pontificali Romano, fieri potest sive intra ecclesiam sive extra illam in platea; sed iuri et traditioni videtur esse conformius, si regulariter extra ecclesiam fiat. - Substantialiter consistit in eo quod clerico vestes sacrae detrahantur, tonsura et digiti abraduntur, instrumenta in ordinatione tradita de manibus auferuntur, ita ut quasi execratio eius fieri videatur, atque haec ad terrorem et infamiam augendam, licet *nunc* specialem effectum iuridicum degradationi verbali non adiungant.

Quodsi finitis omnibus caerimoniis degradatus tradi debeat curiae saeculari (226), Pontifex degradator secundum Pontificale Romanum efficaciter et ex corde intercedit (227) apud iudicem saecularem, ut citra mortis periculum vel mutilationis contra degradatum sententiam moderetur.

Si clericus degradatus ministris curiae saecularis tradatur aut saltem ad instar laici foro saeculari subiiciatur (228), certum et indubitatum est, iudicem saecularem de *iustitia degradationis* novo processu instituto cognoscere atque sententiam ferre non posse. Nam degradatio est actus iurisdictionis spiritualis et exercitium or-

(225) *Kober*, l. c. p. 235; cfr. quoque *Durantis*, *Speculum iur.*, lib. III, part. 1, tit. de accus. § 2.

(226) De origine huius terminologiae (aliquem tradere curiae saeculari) cfr. *Benedictum XIV*, l. c. n. 6; *Devoti*, l. c. § 21, not. 2; *Kober*, l. c. p. 79 sq., 160 sq. Cfr. quoque cap. 27, X de verbor. sign. V, 40.

(227) Quae intercessio in fine degradationis mansuetudini Ecclesiae et praxi antiquae Episcoporum omnino consentanea prima vice occurrit in decretalibus Innocentii III (cfr. cit. cap. 27 de verb. signif. V, 40); *Kober*, l. c. p. 249, neque a Bonifacio VIII, cap. 2 de poenis in Sext., fuit abrogata, sed potius tacite probata et in praxi retenta, ut iam constat ex *Durantis* l. c. § 2 et ex Conc. Constantiensi cum *Hus* brachio saeculari traderetur. Et profecto si Ecclesiae pastores vel pro ipsis laicis in foro saeculari intercesserunt ad avertendam poenam capitalem (cfr. *Kober*, l. c. p. 254 sq.), sane plane absona est accusatio *Boehmeri* et aliorum contra Ecclesiam prolata, universam illam intercessionem, in favorem propriorum ministrorum factam, fuisse meram caerimoniam et hypocrisim. Cfr. *Kober*, l. c. p. 269 sq. Quo in casu Pontifex degradator nequaquam eam ob causam intercessit; ut vitaret irregularitatem, cum etiam ommissa intercessione defectus lenitatis argui non posset. Cfr. *Suárez*, De censur. disp. 47 sect. 1, n. 10 sq.; *Kober*, l. c. p. 275.

(228) Pontif. Roman. l. c. i. f.

dinis episcopalis, ideoque iudex saecularis legitima potestate est destitutus (229).

Quodsi agatur de *crimine*, ob quod clericus degradatus est, nihil profecto obstat, quominus iudex saecularis de crimine mixti fori v. g. homicidii novum instituat processum neque processui canonico stare tenetur (230). Nam de crimine mixti fori iudex saecularis est competens, et cum novum processum instituit secundum leges sui fori ut deinde sententiam ferat et exsequatur, nequaquam sibi arrogat iurisdictionem de valore processus canonici (cfr. can. 2198) (231). Si crimen degradati clerici fuerit mere ecclesiasticum, iudex saecularis, utpote plane incompetens in causis mere ecclesiasticis, tenetur stare processui et sententiae iudicis ecclesiastici, quam executioni mandare debet (232), nisi illa sit manifeste nulla vel iniusta. Nam licet in hoc casu iudex sit merus executor, certe eodem favore fruitur atque executor in foro ecclesiastico, qui sententias manifeste nullas et invalidas exsequi non obligatur.

366. *Effectus* degradationis actualis, quae consistit in quadam exordinatione sive regradatione per ordinem inversum, non est privatio ipsius ordinis. Nihilominus degradatio realis primario respicit *ordines* et privationem exercitii ipsorum, per degradationem verbalem iam factam, *sollemnius* tantum promulgat; *consequenter* refertur etiam ad privationem officiorum et beneficiorum, pariter degradatione verbali iam productam, quae in degradatione reali sollemnius ad terrorem aliorum denuntiatur (233).

Porro degradatio realis ex novo iure non actu privat *privilegio* clericali *canonis et fori*, si iam praecessit degradatio verbalis; sed privationem factam sollemniter declarat.

(229) Cap. 2, 3 X, de iudic. II, 1; *Schmalzgr.*, h. t. n. 159.

(230) *Schmalzgr.* h. t. n. 160; *De Oliva*, De foro Ecclesiae P. II, q. 13 n. 13.

(231) At decet, ut iudex saecularis multum deferat iudici ecclesiastico et vicissim. Cfr. cap. 2 de except. II, 12 in Sext.

(232) Cap. 18 de haeret. V, 2 in Sext.; *Schmalzgr.*, l. c. n. 161; *De Oliva*, l. c. n. 1 sq. Si *Kober*, l. c. p. 381 caput citatum 18, de haeret. *carpit*, quod continet *negationem independentiae*, quam Status in ordine ad Ecclesiam habeat, et etiam alibi, v. g., p. 275 sq., parum accurate disserit, exinde est explicandum, quod de supremis et fundamentalibus quibusdam principiis relationis inter Ecclesiam et Statum et de potestate Ecclesiae nimis confusas atque adeo manifeste falsas teneat opiniones. Cfr. *Acta theol. Oenip.* tom. XI, p. 387 sq.

(233) *Suárez*, l. c. sect. 2, n. 2, 7.

Cum poena (234) quoque degradationis non imponatur ad tollenda onera, sed ad imponenda gravamina et honores auferendos, onera, quae consequuntur ex susceptione ordinis sacri vel inhabilitas ad matrimonium et obligatio coelibatus et recitationis divini officii (235) degradatione *per se* non tolluntur.

Tandem degradatio actualis clericum degradatum reddit infamem (236). Nam omnes, qui culpis exigentibus ad sacerdotium provehi non possunt, infames sunt (237); iam vero qui propter suas culpas a sacerdotio in degradatione deicitur, is a fortiori ad illud promoveri non potest. Porro omnes illi in foro ecclesiastico saltem *de facto* infames sunt, quos leges civiles infames *iuste* declarant aut propter gravissimum delictum aut propter ipsum genus poenae (238). At qui degradatur, publica sententia declaratur reus et convictus de aliquo publico et gravissimo delicto, immo poenam subit ipso suo genere diffamantem. Hinc *etiam* ex hoc capite clericus degradatus ad ordines nondum susceptos et ad officia et beneficia ecclesiastica factus est omnino inhabilis.

367. *Dispensatio et restitutio*, si poena degradationis actualis iuste et rite fuerit inflictata et clericus degradatus adhuc superstes existat, a solo Romano Pontifice concedi potest (239). Id quod non tantum valet de clericis, quorum depositio et degradatio Romano Pontifici est reservata, sed etiam de aliis, in quos Episcopus ad infligendam poenam degradationis competens est. Cfr. can. 212, § 2.

Quae restitutio profecto fieri nequit per novam ordinationem; nam degradatione ordines in se non fuerunt ablati, sed in usu tantum licito ligati. At cum summopere congruum sit, ut licitus usus ordinum *sollemniter restituatur*, qui fuerat *sollemniter ablati*, secundum analogiam quandam cum ordinatione sacrae caerimoniae

(234) Suárez, l. c. n. 2

(235) Sacra tamen Congregatio Concilii 13 Aug. 1707 et 18 Aug. 1708 et 15 Dec. 1719, noluit decidere, quod damnatus ad triremes teneatur recitare officium divinum. Immo neque Clemens XI, cui ipsa Congregatio Concilii dubium resolvendum reservaverat. Ita Ferraris, l. c. v. Degradatio n. 9.

(236) Suárez, l. c. n. 5.

(237) C. 2, C. VI, q. 1 = cap. Angilrami.

(238) Cit. c. 2, C. VI, q. 1.

(239) Pontificale Roman. l. c. « *Post talem degradationem iuste et rite factam solus Romanus Pontifex cum tali dispensat* »; Suárez, l. c. sect. 2, n. 10; Schmalzgr., h. t. n. 140, 150; Kober, l. c. p. 284 sq.

in restitutione congruenter adhiberi possunt (240). Quodsi clericus degradatus appellaverit et innocentiam suam probaverit, a fortiori in ordines pristinos restituendus est. Verumtamen restitutio propter degradationem iniuste inflictam, cum nullo modo habeat vim dispensationis, ab Episcopo fieri potest neque ad Romanum Pontificem est recurrendum, ut per sensum contrarium etiam eruitur ex Pontificali Romano l. c. (241).

CAPUT XXVI

De poenitentis et remediis poenalibus

(Lib. V, tit. 38 X, de poenitentis et remissionibus)

Fontes: Grat. decr. tract. de poenit. C. XXXII, q. 3. - Comp. 1, l. V. tit. 33 d. poenit. et remiss.; Compl. II (V, 17) cod.; Compl. III (V, 20) de poenit.; Compl. IV (V, 14) eod.; Compl. V (V, 17) de remiss. - Decr. Greg. IX, l. c.; Decr. Bonif. VIII (V, 10) d. p. et r.; Const. Clem. V (V, 9) eod.; Extrav. com. (V, V) eod. - Conc. Trid. sess. XIV doctr. de s. poenit. Sacr. sess. XXIV cap. 8 de ref. de poenit. publ. sess. XXV, cap. 6, decr. de indulg. - Decr. Clem. P. VIII ed. Sentis p. 183. - Instr. S. C. Episc. et Reg. 11 Jun. 1888.

Scriptores: Commentat. iur. Decret. in h. t. - S. Raymundus, Summa l. III, tit. 34. - Devoti, Inst. can. lib. II, tit. 2, cect. 4. - Theol. dogmat. et mor. de sacr. poenit. et de indulg. - Thesaurus, De poenis, P. I, cap. 2. - Thomassin. Vet. et Nov. Ecclesiae disc. P. I, l. II, cap. 10-16; Sirmond, Hist. poenit. publ.; Frank, Die Bussdisciplin; Jungmann, Diss. in hist. eccl. tom. II, pag. 137 sq.; Funk, in Kirchenlex. v. Bussdisciplin II, 1561 sq.; Schmitz, Die Bussbücher; Pignataro, De disc. poenit. prior. saec.; Bloetzer, in Act. Theol. Oenipont. tom. XI, p. 483, 593 sq.; Hinschius, Syst. d. K. Kirchenrecht, t. IV et V, criterio protestantico; Meurer, suo modo in Archiv f. k. K., tom. 49, pag. 177 sq.; Kahn, Le delit et la peine, p. 95 sq.; Lega, De iudic. tom. IV, n. 278 sq.; Chelodi, Ius poenale, n. 55.

Praenotiones

368. Historice de iure Decretalium. Conexionem huius tituli cum praecedenti titulo de poenis in ordine legali iuris Decret. his verbis declarabat Schmalzgrueber, lib. V, tit. 38: « *Post poenas,*

(240) Cfr. c. 65, C. XI, q. 3; Pontificale Roman. l. c.

(241) Suárez, l. c.; Schmalzgr. h. t. n. 150; Kober, l. c. p. 284.

quae imponuntur in foro *externo*, tractandum nunc est de poenis, quae imponuntur in foro *interno* sive *poenitentiali*. De his agit prima rubricae praesentis pars. At quia poenae istae seu poenitentiae saepe relaxantur, in altera rubricae parte agitur de remissionibus ». Simili ratione illam connexionem declarabant *Pirhing* in prooemio huius tituli et *Pichler*, qui auctores cum aliis antiquioribus sub hac rubrica agunt de Sacramento Poenitentiae (1). Quae declaratio connexionis erat coacta quaedam defensio ordinis legalis non omni ex parte perfecti, quem illi Auctores de more sequebantur. Profecto tacite intelligitur, disputationem de poenitentiis esse conexam cum iure criminali Ecclesiae; sed poenitentia, ut est sacramentum, potius coniungenda erat cum tractatione de ceteris sacramentis. Porro indulgentiae, quae sunt *remissiones* sive *relaxationes* poenarum temporalium *Deo* debitae referuntur ad idem forum divinum in quo sacramentum poenitentiae suam exercet vim et efficaciam; nequam enim indulgentiae sunt merae remissione poenarum canonicarum in foro ecclesiastico per condonationem vel dispensationem (2) factae.

At poenitentiae pro foro externo impositae ad ius poenale pertinent in quantum saepe substituuntur veris poenis. Nec minus ad ius poenale pertinent remedia delictorum praeventiva, per quae ius poenale perficitur ac veluti completur et efficacius obtinet finem, ad quem ordinatur. Quae poenitentiae et remedia poenalia merito dici possunt media disciplinaria coercendi delicta.

(1) At *Reiffenstuel* his verbis hunc titulum orditur: « Agitur in hoc titulo praecipue de virtute et Sacramento Poenitentiae. Verum quia haec materia penitus theologica est, et de hac theologi ex professo tractant, nil de ea hic agentes lectorem ad theologos et nostram theologiam moralem remittimus. Illa dumtaxat breviter tangentes, quae circa sigillum sacramentalis confessionis ad ius canonicum spectare videntur, videlicet de iudicio et poenis frangentium sigillum confessionis ». Quae animadversio si erat probanda relate ad ius poenale, ad quod certe non pertinet tractatio de Sacramento Poenitentiae; non tamen videtur accurata quoad puram et simplicem remissionem ad auctores theologiae moralis, cum non minus in sacramento Poenitentiae quam in aliis sacramentis plures sint quaestiones vere et proprie canonicae, quae extra provinciam canonistarum non sunt.

(2) Cfr. v. g. dict. Gratian ad c. 7, C. II, q. 3; cap. 3 X ne cler. III, 50. Prop. 19, Lutheri damnata a Leone X in bulla « *Exsurge Domine* » 15 Iun. 1520. (*Denzinger-Bannwart* n. 759). Const. Pii VI « *Auctorem fidei* » prop. damn. 40; *Palmieri*, De Poenitent. p. 492 sq.; *Beringer*, Les indulgences (a. 1905) v. I, p. 17 sq.

Remissis ad locum ubi agitur de ceteris sacramentis quaestionibus canonicis (3) de sacramento poenitentiae; hoc loco proprio Codex agit de poenitentiis et remedis poenalibus, in quantum sunt complementum iuris poenalis Ecclesiae.

§ 1. De remediis poenalibus

369. *Remedia poenalia* potius quam ad expianda delicta, ipsa delicta avertunt, et impediendo ne publicus ordo graviter laedatur, efficiunt ut non sit recurrendum ad gravius illud medium iudicii criminalis contra delinquentem et ad sanctionem stricte poenalem. Praesertim sunt media praeventiva sive contra delictum sive contra relapsum illius qui iam deliquit. Possunt esse separata a poenis vel cum illis coniuncta: semper tamen habent illum scopum, ut saltem a gravioribus delictis committendis praeservent et idcirco merito etiam dicuntur remedia *praeventiva*. *Poenalia* vocantur quia important aliquam poenalitatem, nam molestiam et dedecus quoddam afferunt. Idcirco ipsis applicandis locus non est, nisi obiectiva et subiectiva culpa externa habeatur, quae tamen ad rationem delicti fortasse non pertingat, et pro culpabili sit occasio vel periculum veri delicti et facile scandalum in fidelibus inducat. Ita, v. gr., visitationes aut familiaritates clerici cum personis diversi sexus, praesertim continuatae sine manifesta probanda causa, certe

(3) Quaestionibus canonicis procul dubio adnumerantur disquisitiones quas hoc loco improprio instituebant Commentatores iuris Decretalium, v. gr., de *obligatione ex lege* quoque *ecclesiastica* fidelibus imposita peccata sua statis temporibus confitendi (cfr. cap. 12 X, h. t.; *Schmalzgr.* l. c. n. 7 sq.; *Pirhing*, l. c. n. 11 sq.); de *obligatione medicorum* in iure decretalium statuta monendi infirmos de confessione sacramentali instituenda (cfr. cap. 13, X h. t. = cap. 22. Conc. Lateran. IV a. 1215 iunct. Pii V, Const. « *Super gregem* » 8 Mart. 1566 et Conc. Rom. a. 1725 in Collect. Lac. tom. I p. 352 sq., 455 sq., et *Benedictus XIV*, Inst. eccl. 22; *Schmalzgr.*, h. t. n. 101 sq.; *Pirhing*, h. t. n. 15 sq.; *Kober*, in Act. theolog. Tübing. tom. 55 p. 660 sq.; *Santi*, h. t. n. 7); de *iure* fidelium exigendi administrationem sacramenti poenitentiae (cfr. S. C. Inq. 17 Iun. 1715 et 17 Dec. 1868, in Collect. S. C. de Prop. F. n. 644, 955; S. C. de Prop. F. 2 Iun. 1835, 30 Apr. 1862, in cit. Collect., 929, 932, iunct. n. 928, 930; Conc. provinc. Utraiect, a. 1865 in Collect. Lac. tom. V, p. 829; *Kober*, D. Kirchenb. p. 287) etiam tempore interdictionis (cfr. c. 11 X h. t.) vel ultimi supplicii (cfr. cap. 1 h. t. in Clem.; *Pirhing*, l. c. n. 24 sq.); de *privilegio* sibi eligendi confessarium (cfr. cap. 16 X h. t.; cap. 2 h. t. in Sext.); *Schmalzgr.*, n. 45, 46. Pariter quaestiones de competentia et capacitate administrandi sacramentum.

continent transgressionem legis, v. g., can 133 quae illam familiaritatem vetat; attamen per se et in communibus adiunctis adhuc non constituit verum delictum: nihilominus potest pro clerico esse occasio vel periculum delicti committendi et dare aliis occasionem aliquod malum de tali clerico suspicandi ideoque in ipsis scandalum inducere. Clarum est quod provida gubernatio exigit remotionem illius occasionis, evitacionem delicti, ablationem damni quod ex scandalo sequi posset. Id obtinetur per remedia poenalia, quae in hoc casu erunt stricte praeventiva. Quod si in casu particulari clericus lapsus sit in delictum sanctione poenali puniendum, facile accidere potest ut in delictum relabatur, nisi certae cautiones adhibeantur. In tali casu poenae poterit adiungi remedium poenale, quod poenam complebit et erit praeventivum relate ad relapsum et simul erit complementum sanctionis respectu delicti praecedentis, cuius iteratio quaeritur evitari.

Interdum tamen iure Codicis remedia poenalia directe ipsam punitionem respiciunt quatenus vel ad substituendam poenam ordinantur (can. 1933, § 4), vel ad eam augendam, praesertim in recidivis adhibentur (can. 2309, § 4, 2311, § 2).

370. Usus huiusmodi remediorum, quamvis ibi hoc nomine non donentur, iam satis aperte commendatur a Concilio Tridentino Sess. XIII, c. 1, de ref. ubi Episcopis sive *ordinariis iudicibus* in memoriam revocatur officium *pastoris*, quod imprimis habent, atque inde infertur « ita praesesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominantur, sed illos tamquam filios et fratres diligant *elaborentque ut hortando et monendo ab illicitis deterreant* » etc. — Tridentini vestigiis inhaerens S. C. Ep. et Reg. in Instructione 11 Iunii 1880, qua ordinabat processum summarium pro causis criminalibus clericorum, non omisit media disciplinaria et praeventiva inculcare ex illo principio, quod in art. I praefixit: « *Ordinario iudici pastorale onus incumbit disciplinam correctionemque clericorum a se dependentium curandi, super eorundem vitae rationem vigilando remediisque utendo canonicis ad praecavendas apud eosdem et eliminandas ordinis perturbationes.* Qua in Instructione inter remedia enumerantur *monitio, correptio* seu reprehensio, *praeceptum, vigilantia*. Quae ibi de clericis subditis sunt dicta, pari ratione ad subditos laicos ex eodem principio sunt extendenda. Nec dubium esse potest, quin ius poenale alicuius societatis eo sit perfectius, quo cum aptis poenis ad coerenda delicta melius coniungat efficacia media praeservandi subditos

a delictis committendis, seu cum iure poenali strictius accepto aptius consociet sic dictam *politiam poenalem* sapienter ordinatam (4).

371. Quatuor in Codice recensentur a leviori ad gravius procedendo: 1. *monitio*, 2. *correptio*, 3. *praeceptum*, 4. *vigilantia*. — Modus ea adhibendi his principiis continetur:

1. *Monitio et correptio*. Si cuiusdam ratio agendi ea sit, ut Superior fundatam *suspicionem* habeat eum in proxima occasione delicti committendi versari, aut eo magis si ex peracta inquisitione generali sive speciali delictum iam commisisse *valde probabile* quamvis *non plene probatum* videatur, locus est *monitioni*; si vero etiam scandalum vel gravis ordinis perturbatio orta sit locus datur *correptioni* (can. 2307, 2308).

Utraque potest fieri vel ab Ordinario personaliter, vel per aliam idoneam personam vel etiam per epistolam, et peculiaribus accommodanda est condicionibus sive personae sive facti de quo agitur, quibus emendatio commendetur aptis propositis consiliis. Ex natura rei, quae reprehendenda sint clare exponi debent, secus correptio est inutilis, et reprehensio copia sese defendendi dari debet, sine qua facultate non emendationem et resipiscentiam promovet sed exasperationem excitat.

Utraque pariter aut semel aut pluries fieri potest pro prudenti Superioris iudicio.

Tam *monitio* quam *correptio* potest esse *publica* vel *secreta*. Publica fit aut coram notario aut coram duobus testibus aut per epistolam duobus exemplaribus confectam, quorum alterum in actis retinendum, alterum delinquenti intimandum est per apparitorem aut per publicos tabellarios, receptae aut repudiatae exhibitionis fidem exposcendo (can. 2309, § 2) (5); secreta tali forma iuridica

(4) *Carmignani* Elementa iuris crimin. p. 189 sq. « de poenis *correctoriis* atque de iis, quas *politiae* vocant; *Cremani*, De iure criminali § 38; *Pertile*, Storia del diritto penale, § 204, p. 659 « Provvedimenti per prevenire i delitti ». Cfr. *Analecta Iur. Pont.* tom. XIX, col. 1115 sq. tom. XX, col. 68 sq.; *Lega*, l. c. tom. IV, p. 348; *Pierantonelli*, Praxis fori eccl. p. 67 sq.; *Boriero*, Manuale per processo canonico criminale e disciplinare, Appendice III, p. 367. « Procedura Paterna »; *Droste*, l. c. § 74 sq.; *Laurentius*, Inst. iur. eccl. n. 346; *Smith*, The new procedure etc, p. 24 sq.; *Baart*, Legal Formulary, p. 427 sq; *Planchet*, Procedimientos eclesiásticos p. 6 sq.

(5) Videtur huic casui applicandum, quod generali modo edicitur canone 2143, § 3 « qui impedit quominus monitio ad se perveniat, habeatur pro monito ».

caret, licet de ea etiam constare debeat aliquo documento in secreto archivo Curiae asservando (cit. can. § 5).

Monitio secreta passim etiam dicitur *paterna* per oppositionem ad publicam quae dici solet *legalis* seu *iuridica* (6). At monitio canonica, de qua hic est sermo non est confundenda cum monitione mere exhortativa et amabili seu caritativa, quae ab Episcopo detur ex benevolentia seu pastoralis officio (7), quae non provenit ex potestate *poenali* nec *poenalis* remedii naturam induit, qualis est monitio de qua agitur hoc loco Codicis.

Gravior profecto est *correptio* (seu reprehensio, obiurgatio) quam monitio; *correptio publica* fieri tantum potest adversus reum de delicto convictum vel confessum. Quae publica correptio si in processu criminali infligatur certis servatis sollemnitatibus, dicitur

(6) In hac re non est constans modus loquendi adhibitus in fontibus et in doctrina DD. In Instr. S. C. EE. et RR. a. 6. monitiones quae vere sunt canonicae ita distinguuntur ut confundatur forma *secreta* cum *paterna* et opponitur monitioni quae fiat *in forma iuridica* quae profecto est *publica*, quamvis forma publica seu iuridica componi optime possit cum secreto, et generaliter loquendo praestat ut secreto modo fiat, excludendo publicitatem *notitiae* et retenta sola *iuridica* publicitate. Alii, velut *Vermeesch-Creusen*, Epitome III n. 502 *paternam* vocat monitionem, quae fit a Superiore tamquam duce morali societatis imperfectae ex potestate *dominativa* ad procurandam emendationem; cui opponit *canonicam* factam a Superiore iurisdictionali vi iurisdictionis; qui modus explicandi veritatem continet, quae tamen ad hunc locum non pertinet, cum hic agatur de solis monitionibus canonicis. Illud tamen videtur asserendum monitionem, si *modo paterno* fiat, fieri debere *secreto*, atque haec potest esse ratio cur *paterna* et secreta monitio canonica pro eadem habeatur prout opponitur *publicae* quae etiam *iuridica* seu *legalis* dici potest, et publicitate *notitiae* ut plurimum caret. Unde inter duplicem speciem monitionis, de qua in can. 2309, § 1, illud videtur esse assignandum essentiale discrimen, quod monitio *secreta* probatione *legitima* destituatur, unde sanctionem poenalem non admittit in casu inobedientiae.

(7) Hanc quoque monitionem, quae est mitissima et antiquissima, fieri etiam posse ab Episcopo non est dubitandum: nam si ex evangelio vel ipsi fratri permissum atque adeo praeceptum est, ut fratrem delinquentem cum caritate moneat, a fortiori Superiore ecclesiastico competit, ut subditos delinquentes tamquam pater moneat; immo pro mansuetudine Christi, cuius vestigia sequitur Ecclesia, suavior ille procedendi modus, quantum fieri potest, omnino est praemittendus, antequam Superiores ecclesiastici severiora adoptent remedia. Cfr. Conc. Trident. sess. XIII, cap. 1, de reformatione, ubi Episcopis aliisque Ordinariis in memoriam revocatur « ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominantur, sed illos tamquam filios et fratres *diligant* elaborantque ut *hortando et monendo* ab illicitis deterreant etc. ».

iudicialis et speciale institutum iuridicum constituit, de quo in particulari tractant Codicis canones 1947-1953 (cit. can. § 3).

II. Si monitiones et correptiones incassum cesserint, ulterius proceditur, per *praeceptum* "quo quid agere quidve evitare praeventus debeat, accurate indicatur, cum poenae comminatione in casu transgressionis". Est *praeceptum poenale peculiare*, ad quod recurri etiam potest, cum ex monitionibus et correptionibus effectum sperare non liceat, quod non est facile praesumendum (can. 2310 iunct. cit. Instr. S. C. n. 7, 8).

Hoc remedium ex natura rei requirit *praevidiam facti notitiam*, immo *praevidiam* plenam probationem delicti vel admissi vel proxime admittendi, si quando detur non praemissa monitione quia ex ea effectus non sperabatur: tale enim praeceptum habet vim sententiae condemnatoriae sub condicione suspensiva (8). Intimari autem debet *forma legali*, oblata opportunitate defensionis.

III. Demum potest Ordinarius "si casus gravitas ferat, et praecipue si agatur de eo qui in periculo versatur *relabendi* in idem delictum", eum de quo agitur submittere *vigilantiae* (can. 231, § 1).

Cum *vigilantia* sit res valde odiosa et famam laedens, non nisi cum moderatione hoc remedio utendum est. Superioris est statuere a quo et quibus normis *vigilantia* exercenda est, quibus *vigilatus* obtemperare debet.

Porro *vigilantia* occurrit in iure etiam ut medium processuale (cfr. can. 1646, § 2; 1957), et ut exasperatio poenae (cfr. 2234) (9).

§ 2. De poenitentiis

372. *Poenitentia* quatenus distinguitur a poenis vindicativis et censuris est *operis externi et laboriosi frequentatio ab Ecclesia imposita, et a fidelibus acceptata ad congruam pro culpa satisfactionem Deo et Ecclesiae praestandam et ad emendationem delinquentis et cautionem contra relapsam* (10).

Quare poenitentia hoc loco non intelligitur illa, quae sponte et libere *sine ulla* interventione *auctoritatis* ecclesiasticae suscipi-

(8) Cfr. *Lega*, l. c. n. 288.

(9) *Lega* l. c.; cit. Instr. n. 8; *Chelodi*, l. c. n. 55, 6.

(10) *Schmalzgr.* h. t. prooem.; *Zallinger* h. t. § 291; *Thesaurus* l. c. P. I, cap. 2; *Meurer* l. c. p. 177 sq.

tur (11). Scopus principalis poenitentiae est culpae vindicativus; unde, non exclusa satisfactione Deo exhibita, praesertim imponitur in satisfactionem Ecclesiae exhibendam ad reparandum scandalum ex crimine ortum. Scopus autem *medicinalis* a poenitentia non est exclusus, qui consistit in delinquentis emendatione et praeservatione a relapsu. Differt autem a poena vindicativa in qua principaliter spectatur tutela laesi ordinis socialis ecclesiastici atque illius reparatio. Porro poena vindicativa etiam independentem a consensu delinquentis ipsique invito imponi potest, poenitentia vero indiget *acceptatione poenitentis*, immo ab ipso poenitente regulariter accipit *exsecutionem* et idcirco etiam insinuatur discrimen a censura, quae fertur in contumacem (12). Inde tamen minime sequitur, poenitentem non posse cogi ad acceptandam poenitentiam; sicut enim cogitur poenitens in foro poenitentiali sive sacramentali per denegationem absolutionis (13) ita multo magis poenitentia publica in foro externo imponi potest et ad illam acceptandam sub poena et sub denegata reconciliatione cum Ecclesia peccator vere cogi potest (14).

373. Poenitentia ab Ecclesia imposita dividi potest in *sacramentalem*, quae in foro *sacramentali* iniungitur et a theologis dogmaticis et moralistis explicatur, et in *canonicam*, quae in foro *externo* Ecclesiae a competente superiore ecclesiastico infligitur (15), de qua unice est sermo in iure poenali. Quae poenitentia canonica denuo subdividitur in *sollemnem* (16), et in non sollemnem sive *communem*. Illa cum certis ritibus et sollemnitatibus fuit suscepta et finita v. g.

(11) *Tertullian.*, De poenit. cap. 9. (*Migne P. L. I.* 1243. sq.; *Meurer l. c.* p. 179 sq.; *Schmitz l. c.* p. 19 sq.)

(12) *Thesaurus l. c.* cap. 2.; *Hinschius l. c.* tom. V. p. 89, tom. IV, p. 820.

(13) Conc. Trid. Sess. XIV cap. 8 de sacr. poenit.; Prop. 15 damn. ab Alex. VII, 24 Sept. 1665; *Palmieri l. c.* p. 483 sq.; *De San l. c.* 681 sq.

(14) *Thesaurus l. c.*; *Hefele l. c.* tom. I p. 244 ad c. 1 Conc. Neocaesar. (314-325). Quare errant *Meurer l. c.* p. 183 sq. et *Hinschius l. c.* tom. IV p. 696 715, si putant repugnare ipsi notioni verae poenitentiae, ut quis ad illam suscipiendam *cogatur*. Cfr. quoque *Hinschius l. c.* tom. V p. 85 sq. Multo magis *Hinschius l. c.* p. 697 errat, ubi ad explicandos textus Tertulliani et Cypriani, suis theoriis protestanticis manifeste contrarios, absque ullo solido fundamento historico fingit mutationem constitutionis Ecclesiae medio illo tempore post aetatem apostolicam introductam esse.

(16) *Schmitz l. c.* p. 20 sq. 33 62, cui *Hinschius l. c.* t. V p. 101 immerito contradicit; *Pirhing h. t.* n. 2, 3.

initio et in fine quadragesimae; haec licet in facie Ecclesiae et publice perageretur, tamen istis ritibus et sollemnitatibus caruit. Denique poenitentia canonica potuit esse *eminenter publica*, quatenus coram omnibus fidelibus in facie Ecclesiae fuit persolvenda, aut *occulta vel secreta*, quatenus in loco quodam abscondito v. g. monasterio peragi potuit et debuit (17).

Poenitentiae publicae, quae in antiqua Ecclesia fuerunt introductae et potissimum rubrica huius tituli iuris Decret. aliqua ratione innuuntur, iam inde a saeculo 14 ex praxi Ecclesiae recesserunt (18), v. g. poenitentia cap. 2 X. h. t. occisori presbyteri statuta (cfr. *Schmalzgr. h. t. n.* 98 sq.) neque ab ipso Concilio Tridentino (19) neque a Synodis particularibus (20) denuo efficaciter fuerunt restauratae. Multo magis penitus ab usu recesserunt sollemni modi publicam poenitentiam peragendi per antiquas illas poenitentium stationes. Quare universa illa disputatio de poenitentiis canonicis sollemni ratione et cum antiqua publicitate peragendis nostra aetate habet potius momentum historicum et archaeologicum, non practicum, et solummodo eatenus sua utilitate non caret, quatenus ex vicissitudinibus historicis huius institutionis ecclesiasticae de poenitentiis publicis et doctrina catholica de poenitentia illustratur et solidius vindicatur contra adversarios et vicens quoque disciplina canonica de poenitentiis, poenis, remissionibus, indulgentiis melius cognoscitur. Quae fusior disquisitio historica, potius quam in textu iuris canonici, specialibus monographiis est instituenda, nec in ordinario cursu etiam superiori iuris canonici est proponenda, sed historiae ecclesiasticae et studio privato relinquenda.

Fundamentum hodierni iuris habetur in praescripto Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 8 de refor. "Quando ab aliquo publice et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro mo-

(17) *Schmitz l. c.* p. 51 sq. 63 sq.; Gratian. dict. ad c. 61 D. 50; *Bernardus Pap.*, Summa lib. V tit. 33 §§ 3, 4; *Hostiensis*, Summa aurea lib. V t. 38 n. 55; *Hinschius l. c.* t. IV p. 816 sq. t. V p. 94 sq. 104 sq. 115 sq.

(18) Innoc. IV, Comment. in cap. 7 X h. t.; *Hostiensis*, Summa lib. I tit. 24 n. 3; *Benedictus XIV*, De synod. dioec. lib. XI cap. 11 n. 4; *Funk*, Kirchenlex. v. Bussdisciplin p. 1576, 1587; *Schmitz l. c.* p. 799.

(19) Sess. XXIV cap. 8 ref.; iunct. *Thesaurus l. c.* cap. 2.

(20) Cfr. *Funk*, Kirchenlex. v. Bussdisciplin p. 1588 sq. *Schmitz l. c.* et alios DD. inter scriptores citatos.

do culpae poenitentiam *publice* iniungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam revocet vitam.,.

374. Prout referuntur ad ius poenale et ex potestate coercitiva in foro externo imponuntur, poenitentiae iniunguntur praesertim in finem reparandi scandalum et obtinendi probationem resipiscentiae et firmi propositi emendationis; atque duplicem habent effectum: vel ut delinquens *mitiori poena* puniatur et *maiolem* per sacros canones statutam effugiat; vel ut poenae iam incursae et forte iam *ex parte* expiatae, per dispensationem superioris, *remissionem* obtineat intuitu illius poenitentiae *voluntarie* admissae atque peractae (can. 2312, § 1).

Quare poenitentiae haud raro *substituuntur* poenis; quae substitutio relinquitur prudentiae Superioris, i. e. Ordinariorum, modo per poenitentias substitutas aequae aut melius obtineatur finis poenarum ecclesiasticarum, ut videlicet repararetur scandalum datum et obtineatur delinquentis emendatio. Unde non infligitur in plenam expiationem peccati seu delicti, et apte poenitentia coniungi potest cum aliquo remedio poenali sicut cum poena, quae forte ob adiunctam poenitentiam mitior infligitur loco gravioris, quae de iure infligi posset. Quare hoc ipso quod non intenditur adaequata vindicta, sed potius reparatio scandali et mutatae voluntatis argumentum "non tam secundum quantitatem delicti, quam secundum poenitentis contritionem poenitentia moderanda est, pensatis qualitatibus personarum et delictorum adiunctis.,". Ob similem rationem "ob delictum aut transgressionem *occultam* numquam poenitentia publica imponenda est., (can. 2312, § 2, 3).

Aptas poenitentias pro singulis casibus eligere pertinet ad prudentiam Superioris. Codex, aliis aptis non exclusis, sequentes enumerat: preces, peregrinationes, pietatis opera, ieiunia, eleemosynas, exercitia spiritualia (can. 2313).

PARS TERTIA

DE SINGULIS DELICTIS ECCLESIASTICIS EORUMQUE POENIS

Prooemium

375. Postquam generalis et fundamentalis disputatio de criminibus et poenis in foro ecclesiastico receptis absoluta est (1), iam in specie disserendum est, quatenus legum sive divinarum sive humanarum violationes ab Ecclesia catholica tamquam vera delicta seu crimina expressis verbis sint notata; quae poenae sive vindictivae sive medicinales, spirituales et temporales, ferendae vel latae sententiae, singulis criminibus in communi iure canonico (2) etiam ex disciplina nunc vigente sint statutae; quo ordine iudiciario forte speciali in puniendis certis delictis v. g. haeresis sit utendum (3).

II. Qua in re facile liquet, hac tertia parte non comprehendi negligentias in observandis meris consiliis vel monitionibus vel commendationibus Superiorum ecclesiasticorum, neque peccata mere interna contra leges divinas commissa. Porro ab ista disquisitione speciali excludendae sunt omnes quoque transgressiones etiam ex-

(1) Cfr. *Muenchen* l. c. tom. II p. 18 sq.; *Schiappoli* l. c. p. 845; *Lega* l. c. n. 322 Cfr. quoque *Berner* l. c. p. 288 sq.

(2) *Hinschius* l. c. tom. IV p. 743 sq. 830 sq., tom. V p. 157 sq. 237 sq. 295 sq., tom. IV p. 699 sq. 797 sq., tom. V p. 1 sq. *historica* et iuridica methodo suo modo intellecta agit de delictis et poenis ecclesiasticis et statuta potius *particularia iuris antiqui* et decreta universalia iuris *indiscriminatim* recenset, quae non raro accuratius fuissent discernenda.

(3) Cfr. v. g. de crimine sollicitationis ordinem iudicarium publicatum a S. C. Inq. 20 Febr. 1867 apud *Sentis*, Decretal. Clem. P. VIII p. 42 sq.; de delicto simonae: *Pirhing* l. c. lib. V tit. 3 n. 142 sq.; *Hinschius* l. c. tom. V p. 346 not. 2 i. f.

ternae et graves legum divinarum et humanarum, quibus in communi iure canonico aut nulla poena expressis verbis est statuta nequidem indeterminata, quae prudenti arbitrio iudicis ecclesiastici sit relicta.

III. Iure antiquo delictorum capitalium *tres principales species* (4) recensebantur, i. e. apostasia a fide, homicidia, delicta carnis: magna pars criminum ecclesiasticorum sub triplici illa specie tamen comprehensa fuerunt; sed, ut patet iam ex canonibus Concilii Illiberitani (5) (a. 300-306), alia quoque delicta inter crimina ecclesiastica fuerunt adnumerata (6).

Præeunte iure romano, in Decretalibus primo loco recensentur delicta contra *Deum* et *religionem* (lib. V. tit. 3-9 21 26); mox sequuntur crimina contra *homines* patrata et imprimis contra *vitam* hominis per varia homicidia (l. c. tit. 10-15); contra iura coniugalia et alia *castitatis* praecepta (t. 16 17); contra bona fortunae (tit. 17, 18 19 32 36); contra *honorem* et bonam famam (tit. 20, 22, 26, 36). Ultimum denique locum occupant delicta clericorum (tit. 4, 5, 9, 14, 24, 25, 27, 31).

Quae divisio commode reduci potuit ad aptam divisionem in crimina clericis et laicis *communia* et in crimina solis clericis *propria* (7). Illud tamen grave habebat incommodum ius praecedens, quod lib. V Decretalium non contineret enumerationem completam omnium delictorum cum suis poenis; multae enim poenae erant sparsae per varias Constitutiones et Decreta Pontificia: variae etiam poenae usu et praxi contraria tamquam abrogatae habebantur.

Codex autem lib. V, P. III completam exhibet delictorum cum respectivis poenis enumerationem ad instar modernorum Codicum criminalium.

(4) Conc. Illiberit. (a. 300-306) c. 1, 5, 12; Concil. Ancyran. (a. 314) v. g. c. 5, 20, 21, 22, 23 cfr. quoque canones Conc. Arelat. I (a. 314); Conc. Neocaesar. (a. 314-325); *Pitra* l. c. tom. I p. 61; *Schmitz* l. c. p. 23; *Hinschius* l. c. tom. IV p. 746 t. V p. 232.

(5) Cfr. c. 20, 52, 54, 74 cit. conc.

(6) Cfr. c. 2, 3, 6, 7 Conc. Chalced. (a. 451); *S. Basil.*, epist. can.; *S. Aug.* in c. 1 D. 81 et c. 18, 19, C. XXXI q. 4; *Schmitz* l. c. p. 21 de « libello » a S. Cipriano commemorato.

(7) *Muenchen*, l. c. p. 265; *Schiappoli*, l. c. n. 223 sq. L. II, tit. I « Delitti communi ecclesiastici » tit. II « Mancanze disciplinari dei chierici »; *Katz*, l. c. p. 57 sq.; *Hollweck*, l. c. p. 162.

IV. In recensione delictorum apta divisio sese prodit ipso ordine titulorum. Primo loco ponuntur delicta clericis et laicis *communia* (tit. 11-16); deinde (tit. 16 ad finem) delicta clericorum *propria*. Successive ponuntur: *a)* delicta contra fidem et unitatem Ecclesiae (tit. 17); *b)* contra religionem (tit. 12); *c)* contra auctoritates, personas, res ecclesiasticas (tit. 13); *c)* contra vitam, libertatem, proprietatem, bonam famam, bonos mores; *d)* tit. 16 ponit delicta in administratione, susceptione ordinum et aliorum sacramentorum; *e)* contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi - religiosi autem accensentur clericis (tit. 17); *f)* in collatione, susceptione, dimissione dignitatum, officiorum, beneficiorum (tit. 18); *g)* in abusu potestatis vel officii ecclesiastici (tit. 19).

Unde apparet primo loco poni delicta contra Deum et contra religionem (8); deinde contra homines et eorum bona. Inter haec ultima primo loco ponuntur quae sunt contra ipsam societatem ecclesiasticam et contra personas quae habent in Ecclesia publicam auctoritatem (9); deinde contra singulares et privatas personas eorumque bona, contra vitam, libertatem, famam, bonos mores etc.; ultimo loco delicta quae sunt clericorum propria.

(8) Cfr. Regolamento penale Gregorii XVI lib. II, tit. 1 agit: « Dei delitti che hanno relazione alla religione ed ai suoi ministri »; deinde tit. 2 « Dei delitti di lesa maestà ». — Cfr. quoque *Pertile*, Storia del diritto penale, p. 434 sq. de legibus criminalibus fori saecularis ante pseudo-reformationem Protestantismam.

(9) Cfr. *Palmieri*, De Rom. Pontif. de fine potestatis ecclesiasticae; *Muenchen*, l. c. p. 272 sq. de crimine laesae maiestatis etiam in Ecclesia, v. gr., c. 18 Conc. Chalced. n. 451; (*Hefele*, l. c. t. II, p. 522); c. 21, 22, 23, C. XI, q. 1, cap. 5, de poenis V, 9 in Sext. cap. 5 de poenit. V, 9 in Extravg. com. Quodsi *Hinschius*, l. c. tom. V, p. 228 sq. 235, 237, 266 sq. contendit, Ecclesiam catholicam in legibus suis criminalibus etiam iuris Decretalium principaliter et substantialiter crimina persecutam esse propter *interesse hierarchicum* « ad conservanda fundamenta potentiae suae (Machtstellung), non ad supprimenda communia delicta et emendationem populi », partim rem in sese *legitimam* et in omnibus codicibus criminalibus fori saecularis admissam, immo ab ipso *Hinschius* in favorem potestatis civilis pro aris et focis propugnata, falsis et iniuriis nominibus denotat, et pro suis praeiudiciis subiectivis sine ullo fundamento obiectivo explicat, partim res manifeste falsas, quae factis non comprobantur, audacter assertit. Similibus praeiudiciis imbutus de iure poenali Ecclesiae disserit *Schiappoli*, l. c. p. 664 sq.

Sectio I

DE COMMUNIBUS DELICTIS ECCLESIASTICIS

CODICIS TITULUS XI

DE DELICTIS CONTRA FIDEM ET UNITATEM ECCLESIAE (1)

CAPUT XXVII

De apostasia (can. 2314)

(Cfr. lib. V, de apost. et reiter. bapt.; tit. 6 de Iudaeis et Saracenis et eorum servis) (2)

Fontes: Decret. Grat. c. 97 C. I, q. 1 cum. dict. Grat.; c. 24, 25, C. II, q. 7; C. XX, q. 3; C. XXIII, q. 7, 5. — Compl. I, l. V, t. 5 de ap. et r. b.; Compl. III, l. V, t. 6 de apostatis; Compl. V, l. V, t. 5, de ap. et schismaticis. — Decretales Gregor. IX, l. c.; cap. 13 de haeret. V, 2 in Sext.; Conc. Trid. Sess. VII de bapt. can. 7, 11, 14; Sess. XIV cap. 11 de ref. Sess. XXV, cap. 4 de regul. — Decretal. Clem. P. VIII, ed Sentis p. 167 sq. — Benedictus XIV, Const. « Inter omnigenas » 2 Febr. 1744 § 3 sq.; Const. « Quod provinciale Concil. » 1 Aug. 1754; Const. « Si datam » 4 Mart. 1748. — Pii IX, Const. « Apost. Sedis » 12 Oct. 1869.

Scriptores: Comment. iur. Decretal. in titulos supra cit.; S. Raym., Summa l. I, t. 7 de apostat. — Zech, De iudic. crimin. § 170 sq. tit. 14 d. ap. r. b.; Devoti, l. c. tit. 3 de apostasia; De Luca, De delict. et de poen. p. 104 sq.; Aichner, Compend. iur. eccles. § 216 (3). — Muenchen, l. c. p. 357 sq.; Passerini, De homin. statibus tom. III, q. 189, ar. 8; Ameno, De delict. et poen. p. 22 sq.; Lega, De iudiciis eccl. t. III. p. 413; Ferraris, l. c. v. Apostasia; Thesaurus, De poenis eccl. P. II, v. Apostasia cap. 1 sq. v. Baptisma reiterantes, v.

(1) S. Thomas, l. c. 2, 2, q. 10, art. 3, q. 20 art. 3; Lehmkuhl, l. c. vol. I, vol. I, n. 1226.

(2) Cfr. quoque lib. I, tit. 16, X de sacramentis non iterandis; et in iure Romano Cod. Iustin. lib. I, tit. 6, ne sanctum baptisma iteretur; tit. 7 de apostatis; tit. 5 de haereticis et Manichaeis et Samaritis; Regolamentoo pen. Gregor. XVI, art. 32: « La cognizione e punizione dei delitti contro la religione appartiene ai tribunali ecclesiastici ».

(3) Cfr. de infidelitate et apostasia ex theologis: S. Thom. t. c. 2, 2 q. 10, art. 3, q. 12, art. 1; Lugo, de virtute fidei divinae disp. 18, 19; Suárez, De fide, disp. XVI; Tanner, De fide, q. VIII, dub. 5, 6.

Praenotiones

376. Cum illa delicta gravissima habeantur, quae directe sunt contra Deum, peccata virtutibus theologis opposita delicta gravissima sunt dicenda, i. e. infidelitas, desperatio, odium Dei. Inter quae delicta sane odium Dei est ex genere suo summum peccatum et non nisi secundo loco collocanda est infidelitas (4). At ratione perversitatis morum, qua infidelitas vel ipsum fundamentum et radicem sanctitatis destruit (5) atque in apostasia gravissimam rebellionem in Ecclesiam et completam recessionem a corpore Ecclesiae sibi habet adiunctam, apostasia tenet primum locum inter externa delicta directe contra bonum sociale Ecclesiae commissa, de quo ante alia omnia videtur agendum. Quare mirum non est, quod Ecclesia crimina apostasiae atque haereseos semper tamquam delicta ecclesiastica maxime detestanda summo rigore prosecuta sit (6).

377. Apostasia, (ἀποστασία) quamvis generatim denotare possit quamlibet retrocessionem a Deo, sive per inobedientiam in quolibet peccato mortali contra mandatum divinum commisso, sive per defectionem a statu religioso vel clericali, tamen simpliciter et communiter designat solam recessionem a Deo, quatenus homo fidelis per fidem coniungitur Deo (7). Sed defectio a statu religioso vel clericali non est huius loci.

I. Notio, divisio, historia apostasiae a fide

378. Notio et divisio. Apostasia a fide est totalis defectio a religione christiana per baptismum suscepta (can. 1325, § 2) (8).

(4) S. Thomas, l. c. q. 20, art. 3; Lugo, l. c. disp. 18, sect. 2.

(5) S. Thomas, l. c. q. 10, art. 3, « Unde manifestum est, quod peccatum infidelitatis sit maius omnibus peccatis, quae contingunt in perversitate morum. Secus autem est de peccatis, quae opponuntur aliis virtutibus theologis, ut infra dicitur quaest. 20, art. 3 » Lugo, l. c. disp. 18 n. 49.

(6) Schmitz, Bussbücher u.d. Bussdisciplin der K. p. 23.

(7) S. Thom. l. c. q. 12t art. 1; Lugo, l. c. n. 95 sq.; Muenchen, l. c. p. 357, 362; c. 94, C. II, q. 3. Quod verbum ἀποστασία praesertim dicitur de militibus, qui ducem atque exercitum relinquunt (Xenophon, Cyrus l. IV, c. 5 § 11), qui latine dicuntur desertores, et si ad hostes transeunt, transfugae.

(8) S. Thom., l. c. 2, 2 q. 12 art. 1; Schmalzgr. h. t. n. 1-2; Lugo, l. c. disp. 18, n. 95 sq.

Apostasiae a fide catholica quinque species vel *modi* principales enumerari possunt. Etenim potest quis ita deficere a fide catholica, ut prorsus abiecta religione christiana transeat ad religionem iudaicam aut ad Muhameti sectam aut ad paganismi superstitiones aut reiecta omni revelatione positiva praetendat sequi religionem et honestatem quandam mere naturalem aut ad atheismi placita perversus nullam omnino religionem sive positive revelatam sive naturalem amplectatur (9).

379. Notae historicae. Primis saeculis religionis christianae delictum apostasiae inter tria delicta capitalia principem locum occupavit (10). Imprimis apostasiae ad *Iudaismum* triplex quidam gradus distinguebatur; alii enim omnino repudiata religione christiana ad iudaicam transierunt (11); alii religionem christianam non penitus abiectam cum iudaica studuerunt commiscere ad novam quandam religionem efficiendam (12); alii denique religionem christianam non abiecerunt neque dogmatica placita iudaeorum amplexi sunt, sed iudaicis ritibus et consuetudinibus adhaerebant (13).

Similiter christiani primorum saeculorum, qui religionem christianam deserentes ad *ethnicos* transierunt et apostatae vel praevaricatores vel "lapsi" fuerunt appellati, pro diversis formis et modis apostasiae distinguebantur in thurificatos, sacrificatos, libellaticos seu acta facientes. Quorum libellaticorum iterum triplex fuit species (14).

Finitis persecutionibus in antiquo imperio romano rarius iam occurrunt canones contra apostasiam a fide catholica ad paganismum. At ex iudaeis (15) et propagata religione Pseudoprophetae Muhameti nova pericula apostasiae orta sunt, cum in aliis regioni-

(9) *Devoti*, l. c. § 1.

(10) Cfr. C. 46, Conc. Illiberit. (a. 300-306); c. 22, Conc. Arelat. (a. 314); c. 1 sq. Conc. Ancyr. (a. 314); *Schmitz*, l. c. p. 23; *Hinschius*, l. c. tom. V, p. 157.

(11) *S. Epiphanius*, De ponder. et mens. n. 14, 15 (Migne, P. Gr. XLIII, 260 sq.) de Aquila apostata; *S. Iustin.*, Apolog. I, n. 31 (Migne l. c. VI, 375 sq.).

(12) Cod. Iust. l. I, tit. 9 de Iudaeis et Caelicolis.

(13) Can. Apost. 70; c. 49-50 Conc. Illiberit. (a. 300-306); c. 37, 8, Conc. Laodic. (a. 343-381); *Devoti*, l. c. §§ 2, 3.

(14) *Devoti*, l. c. §§ 4, 5, sq.; *Kraus*, Real-Encycl. vv. Libellatici, Lapsi; *Kober*, D. Deposition p. 614 sq.; *P. Allard*, Histoire des persécutions pendant la première moitié au III siècle, p. 335 sq.; *Weiss*, Hist. eccl. I, p. 129 sq.

(15) Cfr. c. 59, 64; Conc. Tolet. IV (a. 633) = c. 24, C. II q. 7 de Iudaeis baptizatis et apostatis; *Kober*, l. c. p. 621 sq.; *Schiappoli*, l. c.

bus potius contra perversam quandam retentionem consuetudinum ethnicarum, Ecclesiae atque principibus christianis esset pugnandum (16). Inde ex saeculo duodecimo non paucae sanctiones canonicae reperiuntur, quae non latae fuerunt in formalem apostasiam, sed contra cooperationem et cohabitationem cum Saracenis vel Iudaeis (17), quibus ad ipsam apostasiam via parabatur aut saltem integritati fidei atque morum honestati gravissimum periculum imminerebat (18).

Quaestio de apostatis etiam post Concilium Tridentinum praesertim ex terris missionum (19) et imperio Turcarum (20) in tribunabulis romanis fuit discutienda et nostra aetate "liberorum cogitatorum", practica existit ideoque in Const. "*Apost. Sedis*", a Pio IX censurae in apostatas fuerunt retentae.

II. Vis et ambitus apostasiae a fide

380. I. Ad delictum apostasiae a fide catholica constituendum imprimis requiritur, ut quis *totam* Christi religionem neget et *deserat*; minime vero opus est, ut *transeat* ad aliam religionem falsam, sed si penitus abiecta fide catholica *atheus* factus sit, nihilominus verus apostata habetur (21).

Porro delictum apostasiae sensu stricto tantum committitur ab eo, qui per baptismum sive sacramentum fidei religionem christianam profitens et amplectens in Ecclesiam catholicam *vere* et *visibiliter* fuit receptus (22). Quare catechumeni, qui catechesim deserentes ad templa Deorum transibant, sane sensu latiori apostatae dici poterunt (23): etenim signo crucis in fronte accepto, manuum im-

(16) Cfr. c. 15, 16 Conc. Arel. IV (a. 541); c. 14 (Conc. Roman. a. 743, c. 9) C. XXVI, q. 7; *Kober*, l. c. p. 713 sq.

(17) Cfr. cap. 6, X de Iud. V, 6; cap. 24 Conc. Later. III, a. 1179; *Hinschius*, l. c. tom. V, p. 159.

(18) Cfr. de vetito illo commercio cum Iudaeis iam c. 50 Conc. Illiber. (a. 300-306); c. 12 Conc. Venetic. (Vannes) a. 465; c. 40 Conc. Agath. (a. 506) = c. 14, C. 28 q. 1; c. 17 (Conc. Arven. a. 535) C. XXVIII, q. 1; *Schiappoli*, l. c. p. 855.

(19) Collect. S. C. de Prop. F. n. 1640 sq.

(20) Bened. XIV, cit. (Const. "*Inter omnig.*" "*Quod provinciale*").

(21) *Devoti*, l. c. § 1; *Schmalzgr.* h. t. n. 2, 3; *Lugo*, l. c. disp. 18, n. 96; *D'Annibale*, in Const. "*Apost. Sed.*" n. 29; *Noldin*, De delict. et poen. n. 50; *Schiappoli*, l. c. p. 854.

(22) *Lugo*, l. c. n. 97.

(23) L. 2 Cod. Theod. XVI, 7.

positione certisque precibus aliqua ratione ad ingressum in Ecclesiam fuerunt initiati atque generale nomen christianorum consecuti sunt (24). At huiusmodi desertio catechumenorum certe est minus delictum quam defectio baptizatorum et sensu stricto apostasiae delictum non constituit. Nam sicut novitius nequit deficere a statu religioso, quem actu nondum habuit, ita etiam catechumenus ante baptismum ab illo statu communi Ecclesiae, qui solo baptismo suscipitur, non potest recedere.

Apostasiae delictum, quod in foro externo Ecclesiae iudicio et poenis subicitur, solis actibus internis non sufficienter constituitur, sed actibus externis etsi non publicis manifestetur necesse est (25).

Quodsi quis verbis vel factis extrinsecus tantum profiteatur apostasiam a fide, animo tamen intrinsecus fidem catholicam se retinuisse dicat, in foro externo eodem modo in eum tamquam contra apostatam est procedendum atque in simili casu contra haereticos (26); certe asserenti de animo interno difformi dictis vel factis externis credendum non est, nisi adsertum concludentibus argumentis probet.

II. *Extra omne delictum apostasiae* constituti sunt, qui vi absoluta et physica ad actus externos apostasiam significantes compelluntur (27); qui vero cedunt *vi conditionali*, a delicto apostasiae immunes non sunt, saltem cum illi externi actus vergunt in contemptum fidei et animarum damnum, licet minus graviter delinquant, quam qui sponte et libere fidem catholicam deseruerunt (28).

(24) *Devoti*, l. c. lib. II. tit. 2 § 29 sq.; *Kraus*, l. c. v. Katechumenen n. 3, 5; c. 39. Conc. Illiber. (a. 300-306); iunct. *Hefele* l. c. tom. I, p. 172 sq.; c. 6 Conc. Arelat. (a. 314); c. 7 Conc. Constantin. I, a. 331, falso adscriptus, cfr. *Hefele*, l. c. tam. II, p. 27 sq.; *Devoti*, l. c. lib. IV, tit. 2 § 1; *Weiss*, l. c. p. 431, sq., ubi refertur sollemnis sponsio seu pactum cum Christo (*συνταγή, συνθήκη*), a quo per cultum idolorum merito tamquam desertor considerari poterat; *Bareille* apud *Vacant*, Dictionn. de théolog. tom. II, col. 1972 sq.

(25) Cfr. de simili materia c. 4 Conc. Neocaesar. (a. 314-325); c. 14, D. 50 «*Cogitationis poenam nemo patitur*»; *Schmalzgr.*, h. t. n. 4.

(26) Cap. 3 de haeret. V, 2 in Sext.; de foro interno, si assertio illa de fide animo retenta veritate nitatur, cfr. *Schmalzgr.*, l. c. n. 4, 5.

(27) Can. 2205 iunct. can. 3 Conc. Amyr. (a. 314) = c. 32, § 2.

(28) Can. 1325, § 1; 2205, § 2, 3; 2229, § 3, n. 3. cfr. c. 4-9 cit. Conc. Ancir.; cap. 13 de haeret. V, 2 in Sext.; *Muenchen*, l. c. p. 358 sq.; *Suárez*, De censuris disp. IV, s. 3, n. 12 sq.; disp. VI, s. 3, n. 6.

381. **Scholion.** In apostasiae delicto speciali modo fuerunt considerati complices et cooperatores etiam *credentes, receptores, defensores*, et *fautores* apostatarum (29). Cuius complicitatis rei existere possunt tum fideles (30) tum infideles sive Iudaei (31) sive Saraceni (32) atque eo in casu Ecclesia per tribunal Inquisitionis contra ipsos infideles processit. Cfr. cit. Const. Clementis IV et Gregorii XI; *Lugo* l. c. disp. 19 n. 33 sq.; *Bangen* D. roem. Curie p. 102; *Hinschius* l. c. tom. V. p. 473 sq. 300 sq. Sed iure Codicis imputabilitas et poena condelinquentium sive in hoc sive in alio quovis delicto determinatur per principium generale in cc. 2209, 2231; de poenis vero infligendis infidelibus non amplius potest esse quaestio, licet habeat Ecclesia ius sese defendendi a vexationibus infidelium.

III. De poenis ecclesiasticis apostasiae a fide

382. I. De poenis ecclesiasticis apostatarum a fide illud generale principium erat tenendum, nullam in iure canonico statutam esse poenam *haereticorum*, quae non sit lata etiam in *apostatas* et vicissim ab apostatis nullam incurri poenam, a qua haeretici sint immunes (33). Idem valet de iure Codicis cum extensione ad schismaticos.

Cuius legislationis canonicae facile assignari potest ratio. Nam quamvis desertio *totalis* religionis christianae sensu *magis* stricto dicatur apostasia et maiorem quandam importet malitiam quam negatio tantum *partis* religionis christianae, tamen etiam haeresis vero et proprio sensu, non tantum improprio, potest dici apostasia, et apostasia et haeresis in sua temeritate substantialiter non differunt. Quare merito eadem poenae infliguntur haereticis et apostatis (34).

(29) Cfr. cap. 13 de haeret., in Sext.; Pii IX, Const. «*Apost. Sed.*» n. 1; *Bucceroni*, Comment. de Const. «*Apost. Sed.*» n. 8; *Hilarius a Sexten*, l. c. p. 106 sq.

(30) Cfr. c. 9 Conc. Ancy. (a. 314).

(31) Clementis IV, Const. «*Turbato corde*» 26 Iul. 1267, § 3.

(32) Gregorii XI, Const. «*Admodum dolenter*» 3 Aug. 1872 § 3.

(33) Cap. 13 de haeret. in Sext.; *Lugo*, l. c. disp. 18 n. 96; *Tanner*, l. c. q. VIII, dub. 6; *Schmalzgr.*, b. t. n. 6; *Hinschius*, l. c. tom. V, p. 158 sq., 473 sq.

(34) *Schmalzgr.*, h. t. n. 6 de diverso rigore in foro saeculari ex iure antiquo.

Quae ratio valet quoque de schismaticis, si, ut plerumque accidit, schisma sit connexum cum pertinacia erroris in fide.

II. Ex poenis *spiritualibus* etiam nunc omnes a christiana fide apostatae et omnes ac singuli haeretici aut schismatici *ipso facto* incurrunt excommunicationem *speciali modo* Romano Pontifici reservatam (35). Sunt praeterea irregulares ex delicto (can. 9851).

Quodsi moniti non resipuerint privandi sunt beneficio, dignitate, pensione, officio aut alio quovis munere, quod habeant; praeterea declarandi sunt infames: clerici vero, iterata tamen monitione, deponendi sunt. Quae poenae vindicativae sunt ferendae sententiae.

Quodsi delictum fuit commissum per transitum ad sectam a catholicam aut per publicam adhaesionem eidem sectae factam, tum clerici tum laici sunt ipso facto infames infamia iuris; clerici vero, monitione incassum praemissa, ipso facto quovis officio sunt privati et degradationi obnoxii (can. 2314).

Porro notorii apostatae aut sectae schismaticae vel haereticae addicti carent ecclesiastica sepultura: quodsi factum notorium sit, illa privari debent post editam de incurta excommunicatione sententiam declaratoriam (can. 1240, n. 1°, 2°) (36).

III. *Poenae temporales*, quae ex iure antiquo (37) Ecclesiae

(35) Cfr. Pii IX, Const. « Apost. Sedis » n. 1; *D'Annibale*, in Const. « Ap. Sedis. » n. 1;

(36) Cfr. *Kober*, l. c. p. 475; *Schmalzgr.*, l. V, tit. 7, de haeret. n. 120 sq.; *Thesaurus*, l. c. v. Haeresis, ubi n. 3, ubi n. 5 sq., etiam alias inhabilitates recenset atque praesertim illam ad dignitatem Rom. Pontificis iuxta Pauli IV, Const. « Cum ex apostolatus officio » 15 Febr. 1559, § 6. At quoad electionem Rom. Pontificis unice standum est Const. Pii X, « Vacante Sede Apostolica » 25 Dec. 1904. De illa vero Pauli IV, Const. et aliis actis eiusdem R. P. contra Card. Morone, cfr. quae disserit *Pastor*, *Gesch. d. Päpste*, tom. VI, p. 538 sq.

(37) Qua in re ceteris legislatoribus praeivit ius Romanum Imperatorum christianorum, e quibus apostasia fuit considerata ut delictum publicum gravissimis poenis coercendum, v. gr., confiscatio bonorum sancita est in apostatas ad iudaismum transeuntes (a. 357) L. 1 C. de apostat. I, 7; facultas impetendi testamentum in ordine ad obtinendam eius annulationem interesse habentibus facta et per quinque annos a morte durans, si probetur defunctum apostatam a religione christiana fuisse atque ad paganismum vel iudaismum transiisse (a. 383) L. 2 C. eod.; inhabilitas ad testamenti factionem activam et passivam et ad testificandum in iudicio (a. 391) L. 3 C. eod.; tandem poena mortis a Theodosio et Valentiniano fuit decreta (a. 439) in eum, qui invitum servum vel ingenuum in apostasiam traduxisset. De historia illarum poenarum temporalium cfr. *Pertile*, *Storia del diritto penale* § 194, p. 434 sq.; *Kober*, l. c. p. 731 sq., qui tamen

contra haereticos eorumque receptores, defensores, fautores fuerant statutae, profecto nostra aetate in foro saeculari neque contra haereticos neque contra apostatas admittuntur, immo sine dubio plures etiam in foro ecclesiastico iamdiu sublatae esse censebantur (38). In Codice vero non fuerunt innovatae excepta infamia canonica.

383. **Scholion.** Contra apostatas a fide, etiamsi huiusmodi dum erant infantes aut mortis metu, non tamen absolute aut praecise coacti, baptizati fuerunt, eodem modo fuit procedendum atque contra haereticos, si fuissent de suo delicto legitime confessi aut convicti. Cfr. infra dicenda de procedura contra haereticos.

384. **Absolutio excommunicationis.** I. Excommunicatio quam incurrunt apostatae, haeretici, schismatici *in foro* quidem *conscientiae* Sedi apostolicae est speciali modo reservata, et quoad absolutionem in tali foro Episcopus maiorem potestatem non habet quam simplex confessarius (39). Talis reservatio et exclusio aliorum a facultate absolvendi pariter obtinet pro foro externo, cuius fori vinculum est quaevis poena non exclusa censura, can. 2253 iunct. can. 2237, ex quo altero canone patet non dari Ordinariis iure

facta historica non semper recte explicat (cfr. *Lugo* l. c. disp. 24, sect. 2, 3) et *Hinschius*, l. c. tom. IV, p. 790 sq., 844 sq., tom. V, p. 157 sq., 36 sq., ubi inter poenas vere ecclesiasticas, sed temporales et poenas saeculares non satis distinguit; *Schmalzgr.* l. c. n. 123 sq.

(38) Cfr. iam pro saeculis elapsis; *Thesaurus*, l. c. n. 4; *Schmalzgr.*, l. c. n. 171 sq. iunct. 123, 124, 137; *Santi*, l. V, tit. 7, n. 14 sq.; *Cavagnis*, l. c. p. II. n. 156 sq., 183 sq.; *Muenchen*, l. c. p. 325.

(39) Antiquitus, ex celebri cap. « *Liceat* » Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 6 de ref. non est dubium, quin Episcopi haberent facultatem absolvendi ab haeresi *occulta*, in quo capite, non solum non excluditur haeresis, sed nominatim exprimitur: « Idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non in foro externo ». Deinde vero *Bulla Coenae* sustulit Episcopis eorum Vicariis, sit permissum ». Deinde vero *Bulla Coenae* sustulit Episcopis illam facultatem, atque ita sustulit, ut ad illam recuperandam nec valeret *Bulla Cruciatæ*, ut declaravit Gregorius XIII const. « *Officii nostri* » 22 Sept. 1572; nec Alexander VII, decr. Sti. Officii 23 Mart. 1656. Pariter non fuit recuperata per const. « Apostolicae sedis », ut voluit *Penacchi* cum in eadem expresse excipiantur censurae *speciali modo* S. Sedi reservatae, quarum prima est haec ipsa. Codex quoque similiter can. 2237.

A iure facultas tantum tribuitur S. R. E. Cardinalibus (can. 239): cfr. *Pagellam* S. Poenitentiarie n. 3.

communi neque pro foro interno neque pro foro externo facultatem ad hunc casum sese extendentem.

Si tamen delictum ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit, sive per publicam vel privatam denuntiationem, sive etiam per voluntariam confessionem, idem Ordinarius, non vero Vicarius Generalis sine mandato speciali, *resipiscentem*, praevia *abiuratione* iuridice peracta *alisque servatis de iure servandis*, sua auctoritate ordinaria in foro exteriori a censura absolvere potest. Ita absolutus absolutione fori externi, quae valet etiam pro foro interno (can. 2251), potest deinde a peccato absolvi a *quolibet confessario* in foro conscientiae; nam apostasia, haeresis, schisma non sunt peccata reservata ratione sui, sed tantum ratione censurae reservatae (can. 894) (can. 2314, § 2).

II. Delinquens resipiscens, per spontaneam seu voluntariam confessionem potest comparere coram quolibet loci Ordinario ut a censura absolvatur, nec necessarius est recessus ad *proprium* Ordinarium, est autem recursus ad forum externum non praecise ad forum iudiciale. E contra ut post denuntiationem citetur ad forum criminale servandae sunt leges de foro competente. Ordinarius hac in re utitur potestate ordinaria ideoque delegabili.

Abiuratio praemittenda habetur ut iuridice facta, si fiat coram Ordinario vel eius delegato et saltem duobus testibus, ita ut de ea in foro externo constare possit (Instr. S. O. 20 Iul. 1859); quam abiurationem, praeter humilem confessionem et satisfactionem si casus ferat, praecedere debet publica retractatio errorum ad scandalum auferendum. Atque haec sunt, quae complectitur clausula "servatis de iure servandis". Ipsum autem S. O. haud raro testes abiurationis non requirit, sed admittit documentum scriptum et subscriptum a faciente et a recipiente abiurationem.

III. *Forma absolutionis et reconciliationis* diversa est, prout agitur de baptizatis in haeresi vel de apostatis aut haereticis ab Ecclesia catholica egressis.

a) *Pro baptizatis in haeresi*, Episcopus sequi potest formam in Pontificali Rom. P. III contentam; Episcopi delegatus saltem quoad substantiam servare debet formam praescriptam in Instr. S. O. 20 Iul. 1859.

Praemittenda est investigatio de baptismo. Quodsi aut habendus sit dubius aut per inquisitionem nihil de eo sciri potest ita ut baptizandus sit sub conditione, hic ordo servandus est: Abiuratio et

professio fidei - baptismus conditionatus - absolutio a censuris - confessio sacramentalis et absolutio conditionata. - Quodsi baptismus est omnino certus et certe validus, tantum exigenda abiuratio cum professione fidei, quam sequitur absolutio.

Professio fidei non est illa Pii IV, sed specialis contenta in cit. Instr. S. O. a 1859 (Collect. S. C. P. F. ed. 1907, n. 1178, item in *Monitore eccl.* t. VIII, p. 130).

A conversis infra annos 14 non exigitur formula abiurationis, sed sola fidei professio.

Si conversi veniunt ex schismate graeco adhibetur formula specialis Gregorii XIII cum additionibus factis a 1868; si ex aliqua alia secta Orientali, formula extensa vel abbreviata ab Urbano VIII approbata in S. O. cum additionibus factis a 1899 (Collect. cit. n. 1496, not. 1, § I, II, III).

b) Pro baptizatis haereticis *ab Ecclesia cath. egressis* habentur aliae formulae abiurationis et professionis fidei, formulae sc. datae pro apostatis in genere et pro sic dictis veteribus catholicis.

Facta professione et abiuratione et subscripta eius formula, sequitur ritus Ritualis Rom. tit. III de Poenit. cap. III de absolutione ab excommunicatione in foro externo.

385. Scholion. I. De reiteratione baptismi. *Reiteratio baptismi criminosa* iure Codicis non recensetur *directe* inter delicta ecclesiastica poenis obnoxia; porro cum neque ex natura rei neque ex usu loquendi vera apostasia dici possit (40), per se sub delicto apostasiae subsumi non potest et solum extrinseca quadam ratione in imitationem compilationis Bernardi Papiensis (41) et Codicis Iustiniani (42) in Decretalibus Gregorii IX (V, 9) apostasiae fuit adnexa, licet potius alteri titulo fuisset reservanda (43).

II. Quae reiteratio baptismi (44) quatenus constituit delictum

(40) Crr. c. 118 § 1, D. IV, de consecr.; *Muenchen*, l. c. p. 362 sq.; *S. Raymond*, l. c.

(41) Compl. I, l. V t. J. de apost. et reiter. bapt.

(42) Cod. l. I t. 6 ne sanctum baptismum iteretur; t. 7 de apostatis.

(43) Lib. I, tit. 16 de sacramentis non iter.; *Ponsius*, l. c. p. 53 sq. 437.

(44) Cfr. c. 65, D. 50; c. 5, D. 51; c. 3, D. 93; c. 10, C. I, q. 7; c. 4 1; C. XXIII, q. 7; c. 117, 118, D. IV, de cosecr.; cap. 2, X h. t.; Conc. Trid. Sess. VII, can. 9, de sacr.; c. 11 de bapt.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 36 sq.; *Thesaurus*, l. c. v. «Baptisma reiterantes»; *Hollweck*, l. c. p. 323.

ecclesiasticum (45) est novus baptismus hominis iam *certo et valide* baptizati sive *absolute* sive *conditionate*, ex certa scientia aut ex gravi temeritate collatus.

III. *Origo* criminosa reiterationis baptismi repetenda est ex *falsa* doctrina de nullitate baptismi haereticorum (46). Unde qui ex isto errore dogmatico baptismum iteraret, etiam *haeresis* delictum committeret. Qui error dogmaticus, cum iam a multis saeculis sit eliminatus, ordinarie istius delicti memorata causa nunc non amplius existit, sed potius ex superstitione (cfr. cap. 2 X. h. t.) vel ex temeraria negligentia origo est repetenda. Quae *superstitiosa* vel *temeraria* iteratio semper est *sacrilegium*, quod poenis arbitrariis est compescendum ad normam generalis canonis 2325.

IV. Reiteratio baptismi si eo modo fiat, ut quis merito sit suspectus de haeresi vel ipsam haeresim rebaptizantium profiteatur, tribunali S. Officii subiicitur (47).

CAPUT XXVIII

De haeresi

(Lib. V, tit. 7 de haereticis) (1)

Fontes: Decrer. Grat. c. 17 D. 30; c. 32, D. 50; C. I, q. 7; C. XXIII, q. 7; C. XXIV, q. 1, q. 3, c. 37 sq.; c. 118, D. IV de consecr. — Compl. I, l. V, t. 6, de haereticis; Cpl. III, l. V, t. IV, d. h.; Cpl. IV, l. V, t. 5 d. h. et Manichaeis; Cpl. V, l. V, t. 4 de haeret. — Decretal. Greg. IX, l. c.; Decret. Bonif. VIII, l. V, t. 2 d. h.; Const. Clem. V, l. V, t. 3 de h.; Extravg. com. l. V, t. 3 de haeret. — Decretal. Clem. P. VIII, ed. Sentis p. 163 sq., ubi recensentur Const. « *Apost. Sed.* » inde a Conc. Trid. — Pii IX, Const. « *Apost. Sedis* ».

Scriptores: Commentat. iur. Decret. in h. t. — S. Raymundus, Summa l. I, t. 5 de haeret. et fautorib. eor. et ordinatis ab eis. — Zech, l. c. t. 12, de haeresi; Devoti, l. c. tit. 4 de haeresi, tit. 7 de libris improb. lect. tit. 8 de haeret. pravit.

(45) De poenis statutis a iure rom. cfr. Cod. Iustinian. l. c.

(46) Hefele, l. c. tom. I, p. 104 sq., 206, 427, 633.

(47) Thesaurus, l. c. n. 3; Bangen, l. c. — Poenae iure Romano sancitae contra delictum reiterationis baptismi (L. 2, 3, C. ne sanct. bapt. iter. I, 6) iam pridem abrogatae sunt. Crr. Thesaurus, l. c.

(1) Cod. iustin. l. I, t. 5 de haeret. et Manich. et Samarit.; Novell. 132, edictum de fide, Novell. 131, de interd. collegiis haereticor.

inquisitor. — Muenchen, l. c. p. 315 sq.; Ferraris, l. c. vv. Haeresis, Haereticus; Thesaurus, l. c. v. Haeresis; Ojetti, l. c. v. Haeresis, Haereticus; Ballerini-Palmieri, l. c. t. II, n. 79 sq.; Bouix, De iud. eccl. tom. II, p. 365 sq. — Ponsio, l. c. l. V, t. 3 de haereticis; Kraus, Real-Encyclop. v. Haeret.; Hinschius, l. c. tom. IV p. 158 sq., 449 sq. (2).

Praenotiones

386. **Definitio** (3). Haeresis (*αἵρεσις*) ut est delictum ecclesiasticum, definitur: *Error hominis baptizati pertinax et externus contra aliquem articulum fidei ab Ecclesia catholica declaratum* (can. 1325, § 2).

387. **Divisio**. Haeresis secundum generalem significationem dividitur in *obiectivam* et *subiectivam* (4). Illa est *obiectum* veritati revelatae oppositum, quod falso creditur vel asseritur ab haeretico: haec est *actus*, quo haereticus *obiectivae* haeresi adhaeret. Porro distinguitur haeresis *materialis* et *formalis*. Prior est *solus* assensus intellectus *obiectivae* haeresi datus, sed absque voluntatis pertinacia et dolo; altera non solum est error intellectus propter assensum in haeresim *obiectivam*, sed est etiam peccatum in voluntate propter *pertinaciam* coniunctam errori. Denique fit *divisio* haereseos *internae* sive *mentalis* et *externae*. Illa consistit in actibus mere internis erronei iudicii intellectus de haeresi *obiectiva* et *pertinacis* voluntatis neque verbis vel signis vel factis *concludentibus* extrinsecus manifestatis; haec autem *internae* haeresi adiungit *sufficientem* manifestationem *externam* sive verbis sive signis vel factis *concludentibus* expressam.

Ex his *divisionibus* huc proprie tantum spectat haeresis *externa*, quae sola in foro externo constituit delictum poenis ecclesiasticis *obnoxium*. Quae haeresis *externa* dividitur in *occultam* et *publicam*.

(2) Cfr. ex theologis S. Thomas, Summa th. 2, 2 q. 11 de haeresi; Lugo, l. c. disp. 20 sq.; Alph. de Castro, De iusta haereticorum punitione, De potestate legis poenalis; Tanner, De fide q. XI; Becanus, Manuale controv. l. V; Lehmkühl, Theolog. mos. I, n. 298 sq. II, 921 sq. — Cfr. quopue Cap. 10 X h. t.; L. 4 § 4, L. 19 Cod. h. t. I, 5 de crimine laesae maiestatis divinae; Schmalzgr., l. V, tit. 6, n. 2; Lugo, l. c. disp. 18 n. 96.

(3) De nomine huius delicti cfr. c. 27 (S. Hieronym.) C. XXIV, q. 3; Kraus, l. c.; Muenchen, l. c. p. 316; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 79.

(4) Lugo, l. c. disp. 20 n. 1; Muenchen, l. c. p. 315 sq.

Atque *occulta* haeresis dicitur haereseos interna externa manifestatio iis verbis vel signis facta, quae suapte natura vel institutione vel ex circumstantiis ad exprimendam mentem haereticam apta et sufficientia sunt, in foro autem externo probari non possunt. Haeresis autem *publica* dicitur illa, quae ita extrinsecus manifestatur, ut ad forum ecclesiasticum deduci et in legitimo iudicio rite probari possit (5). Quae publicitas importat actualem vel saltem valde probabilem ex facti adiunctis divulgationem (can. 1197, 1°).

Denique divisio haereseos in *toleratam* et *non toleratam* potius spectat ad forum saeculare; nam in foro ecclesiastico omnes haereses indiscriminatim condemnantur et haeretici poenis saltem *spiritualibus* subiiciuntur (6). At *in foro saeculari* (7) nunc passim de facto omnes haereses sive haereticae societates, quae cum pace et tranquillitate publica et ordine sociali videntur posse componi, sunt *toleratae* i. e. non solum *immunes* sunt ab omnibus poenis fori saecularis, sed etiam non obstant consecutioni omnium *favorum et iurium* ordinis civilis et socialis sive publici sive privati, immo cum *plena libertate* et cum ipsa *protectione* potestatis civilis exerceri et defendi et propagari possunt, dummodo ordo publicus non turbetur et *conveniens* quaedam *forma* servetur. Verum nostra quoque aetate in ipso foro civili existunt haereses non toleratae i. e. quibus triplex illa species tolerantiae negatur veluti polygamistarum et anarchistarum doctrinae et praxes (8).

388. Notae historicae. Haeresis cum iam in ipsa sacra scriptura ab apostolis (9) ut gravissimum delictum notetur, inde ab initio

(5) *Reiffenstuel*, h. t. n. 16.

(6) Conc. Trid. Sess. XIII, i. f. et Sess. XV decreta de salvo conductu protestantibus dato iunct. *Pastor*, *Gesch. d. Päpste* t. VI, p. 89 sq.; *S. Thomas*, l. c. 2, 2, q. 11 art. 3; *Soglia*, *Instit. canon.* l. IV, c. 2 § 15 i. f.; *Vermeersch*, *La Tolérance*, p. 41, sq. 43 sq.; *Laurentius*, *Inst. iur. eccl.* n. 984 sq.

(7) *Lugo*, l. c. disp. 19, n. 120 sq.; *Devoti*, l. c. tit. 6, §§ 4, 7.

(8) At illa tolerantia de facto introducta, nequaquam ubique est conformis immutabilibus iuris divini principiis de relatione inter Ecclesiam et Statum catholicum et de iuribus nullo modo communibus errori cum veritate. Quando autem et quibus limitibus illa civilis tolerantia induci possit, accurate definit Leo XIII, *Encycl. « Immortale Dei »* § Haec quidem sunt. Cfr. quoque *Cavagnis*, *Inst. iuris publ. eccl.* tom. I n. 562 sq. 575 sq.; *Hergenroether-Hollweck*, *Kirchenrecht* n. 137, 139 sq.; *Aichner*, *Comped. iuris eccl.* § 53, 54; *Laurentius*, l. c. n. 989 sq.

(9) Tit. III, 10; I Timoth. I, 20, II, 27, III, 5; II Timoth. II, 18, III, 1; II Thessal. III, 14; I Corinth. XI, 9; Galat. V, 20; I Petr. II, 1.

religionis christianae saltem in foro ecclesiastico delictis capitalibus est adnumerata et severissimis poenis subiecta (10). Postquam Imperatores romani facti sunt christiani, non invita Ecclesia, immo ipsa non raro probante (11), haeticos brachio suo saeculari (12) severis poenis saecularibus coercere et punire coeperunt (13).

Saeculis subsequentibus poenae mere spirituales haeticorum in foro ecclesiastico non fuerunt immutatae, sed in regionibus occidentalibus severae illae poenae iuris romani inde ex saeculo sexto (14) ubique pleno vigore non fuerunt receptae (15) nequaquam tamen plene abrogatae aut nimium extenuatae (16) fuerunt, et saltem in regno Visigothorum in Hispania leges severitate pares contra haeticos et apostatas exstiterunt (17). Imo dolendum est, quod nonnulli reges et principes diversarum regionum (18) indiscreto zelo

(10) Cfr. c. 51 Conc. Illiber. (a. 300-306); *Symbol. Conc. Nicaen.* (a. 325) i. f.; c. 6, 7, 31 sq., Conc. Laodic. (a. 343-381); *Kober*, l. c. p. 627 sq., 731, ubi tamen vehementer errat, si ex nonnullis antiquis canonibus male intellectis deduci posse existimat, poenas externas secundum antiquissimam Ecclesiae disciplinam habitas fuisse tamquam *illicitas*.

(11) Cfr. c. 98 (S. August.) C. XI, q. 3; *Hergenroether*, *Katholische Kirche u. christl. Staat* t. II, p. 549 sq. ubi de illis legibus Imperatorum contra haeticos usque ad Iustinianum docet poenam capitalem in solos Manichaeos et Donatistas fuisse statutam, in alios vero multam, bonorum confiscationem, exilium. Quae severitas si aliquibus Patribus fuit minus probata, a multis aliis fuit laudata, v. gr., a S. Augustino ep. ad Bonif. n. 25, 32, ep. 93 ad Vincent. n. 17, 18 (*Migne P. L.* XXXIII, 804, 807, 329, 330), a S. Chrysostomo, S. Gregorio Naz., qui tamen poenam mortis generatim respuunt, v. gr. S. Augustinus ep. 100 n. 1, 2; S. Chysost. hom. 46 in Matth. 1, 2, cfr. *Hergenroether*, l. c. p. 347, 552; *Vermeersch*, *La Tolérance* p. 81 sq.

(12) Cfr. de poenis, v. gr., exsilii Episcopis vel clericis haeticis inflictis; *Hefele*, l. c. tom. I, p. 319, 445, tom. II, p. 234, 284, 556.

(13) Cfr. *Cod. Iustin.* l. c.; *Cod. Theod.* l. XVI, t. 5 de haeret.; *Ferrini*, *Diritto penale romano*, n. 281 sq.; *Kober*, l. c. p. 732 sq., qui ex facto Maximi p. 738 sq. relato et male explicato tandem p. 744, de poena capitali haeticis inflicta plane erroneas et Ecclesiae et Rom. Pontificibus iniuriosas proponit doctrinas. Cfr. *Lugo*, l. c. disp. 24 sect. 2, 3; *Schmalzgr.*, h. t. n. 68 sq.; *Hinschius*, l. c. tom. IV, p. 700 sq.

(14) *Kober*, l. c. p. 740; *Hinschius*, l. c. p. 844 sq.

(15) Cfr. c. 4 Conc. Rem. (a. 624-625).

(16) Cfr. c. 31 Conc. Aurel. III (a. 538); c. 31 Conc. Aurel. IV (a. 541).

(17) Cfr. cap. 9 Conc. Tolet. III (a. 589) iunct. decret. confirm. a rege Reccarredo; *Lex Visigoth.* XII, 2 11, 17; *Del Giudice*, *Diritto pen. germanico*, n. 128.

(18) V. g. in Hispania Sisibutus, rex Visigothorum, in Gallia Chlotarus II, in edict. ad Conc. Paris. (a. 614) et c. 17 (15) eiusd. Conc. Paris.; *Cilpericus*

abrepti vel ipsos infideles nondum baptizatos ad fidem amplectendam vi, coactione poenisque adegerint. Quae coactio infidelium ad fidem a iure canonico (19) merito proscripita, non est confundenda cum *iustis poenis*, quae haereticis et apostatis ob *delicta* haereseos et apostasiae ab Ecclesia fuerunt illatae (20) et a potestate *civili* in *nefandos ritus* superstitionis paganae infidelium statutae et executioni mandatae (21).

Cum inde ex saeculo octavo rariores essent haereses minusque periculosae, rarius quoque occurrunt canones contra haereticos (22) atque vel ipse Gratianus in suo decreto l. c. nonnisi veteres canones refert.

Quae res immutari coepta est, cum ex saeculo undecimo in Gallia et Italia nefanda haeresis novorum Manichaeorum propagaretur, et contra novos haereticos frequenter Concilia celebrata (23) et etiam a Rom. Pontificibus severa decreta poenalia (24) condita sunt. Quae decreta nova in primam et tertiam compilationem antiquam (lib. V, tit. de haeret.) magna ex parte transierunt. Crescente periculo et contumacia haereticorum (25), praesertim Innocentius III et Concilium Lateranense IV a. 1215 (26) plenum vigorem ecclesiasticae disciplinae in novos haereticos (Catharos, Gazaros, Patrenos, Albigenses) explicarunt.

(a. 582) et Dagobertus I, (a. 629), reges Francorum; in Italia Landulfus, Princeps Benevent. (a. 1065); *Hinschius*, l. c. tom. IV, p. 30, 49.

(19) Cfr. c. 3 (Gregor. M. a. 602) D. 45; cap. 9 X, de Iud. V, 6; cap. 3, X de bapt. III, 42, quibus sanctionibus canonicis c. 4 (Gregor. M. a. 594) C. XXIII, q. 6 non obstat, ut perperam arbitratur *Hinschius*, l. c. tom. IV, p. 49 not. 7.

(20) *S. Thomas*, l. c. q. 11 art. 3; *Lugo*, l. c. disp. 21, sect. 1, disp. 23, 24

(21) *Lugo*, l. c. disp. 19, n. 70 sq., 94 sq.; *Schmalzgr.*, l. V, t. 6, n. 51 sq.

(22) Canones, quos *Hinschius*, l. c. t. V, not. 4 affert etiam ad probandum minorem rigorem contra haereticos eo tempore adhibitum, non sunt ad rem.

(23) Cfr. Conc. Aurel. a. 1022 (*Hefele*, l. c. IV, p. 674 sq.); Conc. Atrebat. a. 1025 (*Hefele*, l. c. p. 680 sq.); Conc. Karrofense c. a. 1028 (*Hefele*, l. c. p. 687); Conc. Remen. a. 1049 (*Hefele*, l. c. p. 731); c. 13 Conc. Tolos., (a. 1056); *Hefele* l. c. t. V, p. 328; *Vacandard*, L'Inquisition, p. 39 sq.

(24) Calist. II in c. 3 Conc. Tholos. (a. 1119); c. 1. Conc. Remens. (a. 1157); Alexand. III in c. 4 Conc. Turon. (a. 1163); Alexand. III in c. 27. Conc. Later. III a. 1179 = cap. 8 X h. t.; Lucius III in Conc. Veron. a. 1184 = cap. 9, X h. t.; Innocentius III (a. 1199 et 1205) = cap. 10, 12 et 11 X, h. t.

(25) *Hefele*, l. c. p. 828 sq.

(26) Cfr. cap. 3 Conc. Later. IV = cap. 13, X h. t.; *Vacandard*, L'Inquisition p. 68 sq., 73 sq., 81 sq.; *Douais*, L'Inquisition — ses origines sa procédure, p. 18 sq., 26 sq.

Qui rigor tribus potissimum modis sese manifestavit. Etenim praeter poenas spirituales severissimae quoque ab Ecclesia statutae sunt poenae temporales haereticorum; porro novum institutum Inquisitionis ad persequendos haereticos paulatim ab Innocentio III et Greg. IX (27) est introductum; tandem Honorius III et Innocentius IV (28) ipsas leges Friderici II ratas habuerunt et confirmarunt (29).

Reliqui Romani Pontifices saeculi decimi tertii et decimi quarti ab ista severitate non recesserunt, ideoque in tribus collectionibus authenticis ius commune exhibetur, quod toto tempore medii aevi haereticis fuit applicandum.

Orta reformatione antiquum ius criminale de haereticis nondum fuerat sublatum. At quamvis in compluribus regionibus contra Pseudo-reformatores Inquisitio ad tramites iuris procederet novaque vi suam exerceret potestatem et Romani Pontifices novas severasque leges (30) conderent contra haereticam pravitatem, tamen pristina media in magnis Europae regnis apostasiam a fide catholica non potuerunt impedire. Inde factum est, ut poenae temporales in haereticos magis magisque a praxi Ecclesiae recederent et nostra aetate, si unam alteramve excipias, iamdiu non amplius essent in viridi observantia.

I. Vis et ambitus haereseos

389. Delictum haereseos, quod in foro ecclesiastico sit poenis *subiectum*, solummodo committi potest ab homine baptizato. Quamvis enim baptismus non requiratur, ut quis reus sit infidelitatis coram Deo, si dissentiat veritati revelatae sibi sufficienter propositae, tamen in Ecclesiam *rebellis* existere nequit, qui illius *subditus* non est, neque Ecclesia in hominem per baptismum sibi nondum subiectum poenas infligere atque iudicia exercere valet. Quare catechumenus a fide

(27) *Devoti*, l. c. t. 8 § 3; *Hefele*, l. c. t. V, p. 1035; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 450.

(28) Cap. unic. h. t. V, 4 in Compil. V.

(29) Const. « *Cum adversus* » a. 1243; *Kober*, l. c. p. 742 sq.; *Hergenroether*, l. c. p. 546.

(30) Cfr. *Sentis*, l. c. et praesertim Pauli IV Constit. « *Cum ex Apostolatus* » 15 Febr. 1559; *Pastor*, Gesch. d. Päpste t. VI, p. 156 sq., 506 sq., 564 sq.; *Bangen* l. c. p. 92 sq., 94sq.

catholica ante baptismum recedens, haereticus non est neque poenis haereticorum est obnoxius (31).

Ad constituendum haereseos delictum ex parte *obiecti* omnino necessarium est, ut pertinaciter negetur veritas revelata, ab Ecclesia ut dogma sive articulus fidei sive symboli declarata vel definita (32). Hinc quicumque non credit revelationem privatam aut revelationem universae quidem Ecclesiae factam, sed nondum ab Ecclesia sufficienter ut dogma definitam, delictum haereseos in foro canonico non incurrit et a poenis ecclesiasticis haereticorum immunis est (33).

Ex parte *actus* ad delictum haereseos primo requiritur in *mente* erroneum iudicium *intellectus* (34). Assertio igitur *mere externa* haeretici obiecti sive verbis sive signis sive factis manifestata reatum delicti haereseos non constituit (35), licet in alia delicti specie contineri possit (36), et in foro externo ubi internus animus nequit cognosci tamquam haeresis possit haberi attentis facti circumstantiis.

At falsum iudicium intellectus non sufficit ad haeresim, sed omnino requiruntur deliberatio et *pertinacia* (37) i. e. ut quis sciat, aliquem errorem doctrinae Ecclesiae esse oppositum et nihilominus ex pravo *voluntatis* affectu libere illum etiam externe amplectatur et asserat. Quae criminosa voluntas iam habetur, si quis de aliquo articulo fidei ab Ecclesia sibi sufficienter proposito vere et positive dubitet (38) eamque dubitationem externe et pertinaciter sustineat (can. 1325, § 2).

Sed non requiritur ad delictum haeresis alicui sectae haereticorum adscriptio; quae tamen est circumstantia delictum aggravans et ipsum delictum reddit notorium (can. 2314, § 1, 3°).

Similiter *mere internum* istud iudicium pertinax ad delictum hae-

(31) Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 2 de poenit.; Lugo, l. c. disp. 20, n. 133 sq.; Schmalzgr. h. t. n. 9; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 80.

(32) Lugo, l. c. disp. 20, n. 32 sq.; cfr. Ballerini-Palmieri, l. c. n. 82.

(33) Lugo, l. c. n. 71 sq.; Schmalzgr. h. t. n. 17 sq.; Muenchen, l. c. p. 317 sq.; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 83.

(34) Schmalzgr. h. t. n. 3.

(35) Suárez, De virt. et stat. relig. tract. II, lib. 2, cap. 6 n. 20 sq.

(36) Lugo, l. c. disp. 14, n. 31 sq., 44 sq.

(37) Cfr. c. 29, 31 (S. Aug.) C. XXIV, q. 3; Cap. unic. § 1 de sum. Trinit. I, 1 in Clement.; cap. unic. § 2 de usur. V, 5 in Clement.; Lugo, l. c. disp. 20, n. 153 sq.; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 84 sq.

(38) Cfr. cap. 1 X. h. t.; cap. 1, § 1 de sum. Trin. I, 1 in Clem.; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 89.

reticae pravitatis non sufficit, sed omnino requiritur, ut interna haeresis signo aliquo externo sive verbis sive factis manifestetur (39).

390. Per *complicitatem* criminis haereseos rei fiunt *credentes* et *fautores* et *receptores* et *defensores* haereticorum (40). *Credentes* (41) ab ipsis haereticis essentialiter non differunt, ideoque sub delicto haeresis includuntur, si ceterae circumstantiae non desint; et dicuntur illi, qui saltem uni doctrinae haereticae ab haeretico propositae per iudicium intellectus mala fide consentiunt, licet alicui sectae determinatae non adhaereant. *Fautores* sunt qui per commissionem vel omissionem haereticis concedunt favorem redundantem in promotionem haereticae doctrinae; *receptoribus* (42) vero adnumerantur, qui haereticos sive in suo sive in alieno loco abscondunt vel admittunt, ut isti ab inquisitione iudiciali poenisque incurrendis immunes existant. Denique *defensores* appellantur ii, qui non ipsi haereticae doctrinae interne adhaerent, sed nihilominus illam contra oppugnationes verbis vel scriptis tuentur aut personas haereticorum in causa haereseos contra legitimam persecutionem vi aperta aliisque iniustis mediis protegunt. Horum tamen cooperatorum imputabilitas et poenae diiudicandae sunt ex praescriptis can. 2209, 2231.

Singulari plane ratione fiunt haeretici culpabiles maiorique rigore puniendi *relapsi* in haeresim. Quod delictum reincidentiae imprimis habetur, si quis post iudicalem erroris haeretici confessionem vel probationem et post abiurationem haereseos factam vel satisfactionem praestitam denuo in abiuratam haeresim incidit (43).

(39) Lugo, l. c. disp. 23 n. 11 sq.; D'Annibale, in Const. «Ap. Sed.» n. 31 de manifestatione per facta.

(40) Cap. 13 § 5 X, h. t. Lugo, l. c. disp. 25 n. 1 sq.; Cfr. quoque Suárez, De fide, disp. XXIV, n. 5 sq.; Sánchez, in decalog. l. II, c. 10 n. 17 sq.; Pirhing, h. t. n. 114 sq.

(41) Cfr. c. 1 C. XXIV, q. 1; cap. 15, X h. t.; Muenchen, l. c. p. 338 sq.; Lega, l. c. vol. III, p. 418; Hilarius a Sexten, l. c. p. 106 sq.; D'Annibale, Summula P. I. n. 390, not. 1; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 273.

(42) Schmalzgr. h. t. n. 221 sq. de receptione vel tolerantia haereticorum per principes catholicos et de foederibus ineundis inter principes catholicos et acatholicos; Devoti, l. c. tit. 6 de vetita tolerantia hostium religionis; S. C. Inq. 23 August 1877 et 10 Febr. 1892 de censuris incuris ob favorem haereticis praestitum per celebrationem matrimonii coram ministro haeretico; Noldin, l. c. n. 51; Hilarius a Sexten, l. c. p. 107.

(43) Cap. 9 X, h. t.; cap. 4 h. t. in Sext.; cap. 8 pr. h. t. in Sext. de relapsis «quadam iuris fictione».

BIBLIOTHECA
FRATERNITAS SACERDOTALIS SANCTI PETERI

Neque a delicto relapsus in haeresim immunis est, qui in *uno* fidei articulo erravit et postmodum *generaliter* haeresim abiuravit et deinde in *alio* articulo denuo in haeresim incidat (44). Cfr. can. 2208.

391. *Suspectus* quoque de haeresi, ad arbitrium Episcopi iuxta considerationem suspicionis qualitatemque personae causam suspicionis removeere debet; quodsi monitus et punitus id non praestiterit, ad normam can. 2315 tractandus erit ut haereticus, haereticorum poenis obnoxius (45). Quam suspicionem ex determinatis factis concipere potest homo (Ordinarius-iudex), vel decernere ipsum ius.

Iuridica suspicio de haeresi iure Codicis habetur in sequentibus casibus: 1° in eo qui quovis modo haeresis propagationem iuvat; 2° in eo qui active communicat in divinis cum haeretico; 3° casus pacti initi in matrimonii celebratione de educatione acatholica prolis, propter quod delictum aliunde incurritur excommunicatio Ordinario reservata (can. 2319); 4° casus illius qui scienter filios suos ministro acatholico baptizandos tradit, quod delictum eadem poena ex cit. can. 2319 punitur; 5° casus parentum aut eorum locum tenentium, qui liberos in religione acatholica educandos vel instruendos scienter tradunt, ibid. eandem poenam secunferens; 6° delictum sacras species abiiciendi aut sacrilege tractandi, quod punitur ex communicatione Sedi Apostolicae specialissimo modo reservata; 7° casus appellantium ad Concilium Oecumenicum a decretis R. Pontificis (can. 2332), cui delicto adnexa est poena excommunicationis speciali modo R. P. reservata et si agatur de persona morali inter-

(44) Cap. 8 § 1 h. t. in Sext. Cfr. quoque § 2 eiusd. cap. 8 h. t. in Sext.; *Muenchen*, l. c. p. 336 sq.

(45) Cfr. cap. 9, 13 § 2 X h. t.; 3, 7, 8 h. t. in Sext.; cap. 10 X de purg. can. V, 34; *Lugo*, l. c. n. 22 sq.; *Muenchen*, l. c. p. 337 sq.; *Thesaurus*, l. c. v. Haeresis suspecti. — Quae suspicio haeresis habetur in exercitio magiae, sortilegiorum, divinationum; in gravioribus abusibus circa sacramenta, v. gr., in delicto sollicitationis in confessione, in violatione sigilli sacramentalis, in fallaci confectione sacramentorum sine ordine sacerdotali suscepto, in illis delictis quae ita sunt commissa contra auctoritatem ecclesiasticam, ut fundatam suspicionem ingerant reum de ipsa auctoritate, non de persona quae illam exercet, male sentire, v. gr. illa suspicio habetur in dantibus nomen sectis, quae, seu palam seu clam, contra Ecclesiam vel civilem societatem machinantur; *Lehmkuhl*, l. c. I, n. 302; 613; *Ferrari*, Inst. canon. I, n. 252 sq.; *Pastor*, Gesch. d. Päpste t. VI, p. 510 sq. Hi casus, qui ex praecedenti iure a Doctoribus afferebantur, ex natura rei pergunt praebere fundamentum ad talem suspicionem; sed suspicio *iuridica* non habetur nisi in casibus in iure expressis et in textu enumeratis.

dictum eodem modo reservatum; 8° casus illius qui obdurato animo per annum insorduerit in censura excommunicationis (can. 2340); 9° casus eorum qui *simoniace* ordinant vel ordinantur, aut alia sacramenta administrant vel recipiunt (can. 2371).

In his casibus monitio canonica in eum finem intimata, ut suspectus de haeresi illam suspicionem removeat, si effectum non obtineat seu ipsi non pareatur, oritur delictum specificum quod punitur remotione ab actibus legitimis, in clerico vero per suspensionem a divinis non infligendam nisi post inutiliter iteratam canonicam monitionem. Demum si post transactos sex menses a poena contracta, suspensus de haeresi non se emendaverit, habendus erit tamquam haereticus, poenis haereticorum obnoxius; atque imprimis incurrit excommunicationem speciali modo R. Pontifici reservatam. Monitio canonica ad verificandam contumaciam continere debet praecipuum, de his praestandis quae a natura et circumstantiis cuiusvis ex memoratis delictis postulantur, cui praeepto non pareatur.

392. **Scholion I.** Filii, nepotes, uxores haereticorum per se et ex natura suae conditionis, nequaquam haereticae pravitate a patre, matre, avo, coniuge admissae fiunt complices; ideo *directe* ob delictum alienum nulla poena affligi possunt; at propter poenam patri, matri, avo, coniugi haeretico illatam indirecte in filios, nepotes, coniuges potuerunt derivari damna et privationes tamquam sequelae consequentes punitionem alterius, v. gr., ex confiscatione bonorum patris haeretici. Cfr. impedimentum ad ordines in can. 983, n. 1°, ubi, saltem expresse, non derivatur nequidem ex *delicto* parentum (46),

Scholion II. Sunt certa delicta cum haeresi conexas, quae propriam in iure habent figuram et separatim puniuntur, velut iuvamen ad haeresim propagandam (can. 2316), lectio et editio librorum (can. 2318), communicatio praesertim in sacris cum haereticis quae quis fidem suam periculo exponit et favorem haereticis impertitur (can. 2316) etc. (47).

(46) Cap. 2, § 2 cap. 15 h. t. in Sext.; *Lugo*, l. c. n. 44 sq.; *Muenchen*, l. c. p. 333; *Wernz-Vidal*, IV, n. 256; unde patet, non pauca asserta veterum canonicarum esse corrigenda, v. gr., *Schmalzgr.* h. t. n. 104 sq., 115 sq.; *Thesaurus*, l. c. P. II, v. Haeresis c. 3.

(47) Cfr. speciatim de Urbe: Instr. Card. Vic. 12 Iul. 1878 in Act. S. Sed. vol. XI. p. 168 sq.; *Lega*, l. c. tom. III, n. 426 qui censet in illa Instr. constitui ius particulare pro Urbe; aliter *Hilarius a Sexten*, qui ex allegata syn. dioec. Al-

Scholion III. Ex cap. 2, § 1 h. t. in Sext. inhibebatur cuique laicae (48) personae publice vel privatim de fide catholica cum haereticis *disputare* sub poena excommunicationis ferendae sententiae. Huiusmodi prohibitio canonica, quae fundatur in periculo violandae fidei et dignitatis religionis christianae ob praesumptam insufficientem scientiam theologiam laicorum, iure Codicis fuit retenta ad normam can. 1325, § 3, suppressis poenis iuris Decretal. (49). Multo minus laici praedicationis officium usurpare aut occulta conventicula celebrare possunt (cfr. cap. 12 X, h. t.), cum omnes atque vel ipsi clerici absque missione canonica praedicationis officium publice vel privatim suscipere prohibeantur. Cfr. cap. 13, § 6 X, h. t. (50) ubi neglecta prohibitio poenis coercenda esse dicebatur.

393. II. **Poenae ecclesiasticae haereseos.** I. Cum poenae haereseos formalis et externae sint eadem atque apostasiae, hoc loco nihil novi est addendum (51) his quae de poenis apostasiae supra n. 382 dicta sunt: pariter valent quae de absolvenda excommunicatione ibidem sunt tradita.

II. Specialis poena recidivorum in haeresim, vi cuius illi saeculari iudicio sine ulla penitus audientia fuerunt relinquendi (52), nostra aetate non iam est practici momenti. Qua in re nunc standum est can. 2208, 2234.

394. **Scholion. — Procedura iudicialis in causis haereseos sive de inquisitione (53).** I. **Notio et divisio.** *Inquisitio*

banesi a. 1886, infert esse « declarationem authentican » art. I Const. « Apostolicae Sedis »; de aliis regionibus S. C. Inq. 28 Iun. 1889; Benedictus XIV, De synod. Dioec. I. VI, cap. V, n. 2; *Scherer*, l. c. p. 15. 16, not. 42; *Collectanea S. C. de P. F.* n. 1797 sq.

(48) De disputatione *publica* cum haereticis etiam a clericis nonnisi cum approbatione competentis Superioris eccl. facienda cfr. S. C. C. 8 Mart. 1658; Conc. Ultraiect. (a. 1865) in *Collect. Lac.* tom. V, p. 801; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 71; *Mocchegiani*, l. c. t. II, n. 401.

(49) *Lehmkuhl*, Theol. mor. tom. I n. 298; *Mocchegiani*, *Iurisprud. eccles.* n. 400.

(50) *Schmalzgr.* h. t. n. 63 sq.

(51) *Schmalzgr.*, h. t. n. 86 sq., de poenis haereticorum ex iure antiquo; *Thesaurus*, l. c. v. Haeresis; *Muenchen*, l. c. p. 323 sq.; *Legas*, l. c. disp. 23, 24, 25; *Kober*, l. c. p. 627 sq. notatis notandis; *Hinschius*, t. V, p. 157 sq.

(52) Cap. 9 X. h. t.; cap. 4, 8, pr. §§ 1, 2, h. t. in Sext.; *Muenchen*, l. c. p. 335 sq. Cfr. supra dicta de apostatis.

(53) *Ludov. a Parumo*, De origine et progressu offic. S. Inquisit., *Matriti* 1598. *Practica Inquisitionis haereticae pravitatis*, auctore *Bernardo Guidonis O. F.*

quamvis generatim denotet ordinem iudicarium in quo per viam inquisitionis, non accusationis proceditur, tamen speciali ratione designat iudicium ecclesiasticum contra haereticam pravitatem institutum (54).

Quod iudicium procul dubio soli Ecclesiae reservatum neque saecularibus potestatibus commissum (55) exerceri potest aut per iudices *ordinarios* in singulis dioecibus constitutos i. e. per Episcopos (56) aut per iudices *delegatos* a Sede Apostolica deputatos, qui cum Episcopis cumulativam habent iurisdictionem (57). Quodsi de inquisitione fit disputatio historica aut canonica, potissimum de illa inquisitione quaeritur, quae inquisitoribus delegatis a Sede Apostolica fuerat commissa.

II. **Notae historicae.** *Inquisitio ordinaria*, cum ipsi officio episcopali sit propria, inde a primis saeculis quoad rem in prima instantia competeat Episcopis (et nostra aetate, sublato iam passim instituto inquisitorum delegatorum in dioecibus, salva manet potestas ordinaria Episcoporum exercendi iudicia in haereticos iuxta disciplinam tamen nunc in Ecclesiam vigentem). Quare cum necessitas urgeret, iurisdictionis Episcoporum fuit potius a R. Pontificibus excitanda et quoad exemptos amplianda (58) minime vero de novo et simpliciter concedenda.

Pr. (c. 1326) ed. Douais, Paris, 1886; *Nicol. Eymericus* † 1399, *Directorium inquisitor.*, Barcin 1503; *Franc. Pegna* † 1612., *Commentar. in dir. N. Eymeric.* inde ab a. 1578 in ed. dir. N. Eym.; *Henner*, Beiträge z. Organisation u. Kompetenz der päpstl. Ketzergerichte, Leipzig a. 1890; *Lea*, A history of the inquisition of the middle ages, New York 1888, pro suo modo protestantico; *Bangen*, l. c. p. 91; *Vacandard*, L'Inquisition, Paris 1907; *Mgr. Douais*, L'Inquisition — ses origin. — sa procédure, Paris 1906, qui ante iam alia praeclara opera huc spectantia ediderat, v. gr., L'Inquisition en Roussillon, 1892, La procédure inquisitoriale en Languedoc au XIV siècle 1900; *Guiraud* in *Dictionn. Apologétique de la Foi cathol.* tom. II, p. 823 sq. ubi in fine p. 885 sq. accurate recensentur fontes et auctores; *Esmein*, Hist. de la procédure crimin. en France... depuis le XIII siècle 1882; *Hinschius*, l. c. tom. V, p. 449.

(54) *Bouix*, De iud. eccl. tom. II, p. 366 sq.

(55) Cap. 19 h. t. in Sext.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 175.

(56) Cap. 3 sq., h. t. in Sext.

(57) Cap. 9, 13 § 8 X, h. t. = cap. 3 Conc. Later. IV (a. 1215).

(58) Cap. 9, X h. t. = Luc. III decret. in Conc. Veron. (a. 1184). Quae Lucii III decretalis multo severior praecedentibus RR. PP. decretalibus adversus haereticos, licet directa Episcopis seu *ordinariis* inquisitoribus, iam continet totam illam potestatem extraordinariam, quae postea data fuit inquisitoribus *delegatis*

Longe alio modo res sese habet in *inquisitoribus delegatis*. Isti enim inquisitores delegati, qui in Libro Sexto Bonifacii VIII, adeo frequenter h. t. commemorantur, in collectione authentica Gregorii IX atque adeo in Concilio Lateranensi IV (a. 1215) nondum occurrunt. Hinc etiamsi iam ante Gregorium IX (59) aliquo modo fiat mentio inquisitorum delegatorum, tamen stabilis quaedam magisque divulgata institutio illorum non nisi (60) inde a tempore Gregorii IX (a. 1229-1232) et Innoc. IV (a. 1243) facta est, sed non constanter et ubique permansit neque suis defectibus caruit (61) et nunc mutatis temporibus saltem ordinarie non amplius viget. Saeculo decimo quinto exeunte inquisitio hispanica (62), promoventibus Ferdinando et Isabella, per Sixtum IV, d. 1 Nov. 1478, instituta et approbata est. Quare non obstante haud exigua dependentia inquisitionis hispanicae ab auctoritate civili, iam ipsius erectio per R. Pontificem facta

Sedis Apostolicae. Quare si nomine inquisitionis saepe intelligitur: « systema quoddam legum, quibus per potestatem ecclesiasticam et simul per potestatem civilem speciales et extraordinariae poenae aliaque remedia repressiva ordinis spiritualis et temporalis fuerunt promulgata adversus haereticos, qui suis perversis doctrinis fidem corrumpebant atque fundamenta ordinis socialis subvertebant » (*Guiraud* l. c. p. 846), inquisitio hoc sensu accepta iam incepit a decretalibus Alexandri III quae in memorata decretali Lucii III, suum habuerunt complementum, quibus responderunt severissimae leges Principum civilium haud raro citra RR. PP. consensum nimio rigore saevientium.

(59) *Devoti*, l. c. tit. 8 § 3 sq.; *Bouix*, l. c. p. 367 sq.; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 449 sq.; *Douais*, l. c. p. 18 sq., 23 sq. ubi probat institutionem permanentem iudicum delegatorum ad cognoscendum de crimine haeresis, qui est character proprius instituti inquisitionis, nec tempore Innocentii III nec tempore Honorii III reperiri, licet particulares delegationes eo tempore non defuerint et *modus procedendi* per inquisitionem ab Innocentio III si non de novo institutus at saltem magis ordinatus et ordinarius redditus fuerit. Cfr. *Guiraud* l. c. p. 847 et p. 824 sq. ubi agit de factis, quae sive ex parte Principum sive ex parte Episcoporum atque adeo totius populi fidelis a saec. X ad ann. 1150 praecesserunt veram Inquisitionis institutionem; p. 834 ubi ex doctrinis haereticorum saec. XII aptam proponit explicationem, cur etiam Principes, Ecclesiae haud raro adversi, postularent a RR. PP. severas leges contra ipsos.

(60) Cfr. c. 1 sq. Conc. Tholosan. (a. 1229); *Brück*, Istituzioni di storia eccl. § 147; *Guiraud*, l. c. p. 851 sq.

(61) *Hefele*, l. c. tom. V, p. 1024 sq. Cfr. *Douais*, l. c. c. 2 sq. ubi in examen revocat diversas theorias de factis historicis, quae huic instituto originem dederunt; *Guiraud*, l. c. p. 866 sq.

(62) *Rodrigo*, Hist. verdadera de la inquisic., Madrid 1876; *Grisar*, in Act. theol. Oenip. tom. III, p. 548 sq.

et iurisdictio inquisitoris generalis ab eadem Sede Apostolica data, certo probat inquisitionem hispanicam omnino falso a scriptoribus protestanticis et etiam quibusdam catholicis tribunal quoddam *mere politicum* (armis spiritualibus instructum) fuisse appellatam. Quare inquisitio hispanica recte dicitur tribunal ecclesiasticum brachio quoque saeculari munitum sive tribunal *mixtae iurisdictionis*, quod ineunte saeculo XIX, fuit ab incompetente potestate de facto sublatum neque denuo per legitimam auctoritalem efficaciter restauratum.

Postquam Lutherus aliique haeresiarchae novas haereses propagare coeperunt, Paulus III, a. 1542. Inquisitionem romanam instituit vel potius in novam formam S. C. Inquisitionis a Pio IV et Pio V, amplioribus facultatibus instructa tandem a Sixto V, eam accepit ordinationem, quam etiam nunc post Pii X, const. « *Sapienti consilio* » quoad substantiam retinet in hac parte immutatam (63).

III. **Constitutio et competentia inquisitionis.** a) **Tribunalia inquisitorum**, qui fuerunt iudices *delegati* (64) ipsius Sedis Apostolicae sive immediate a Rom. Pontifice sive mediate per alios nominarentur (65) quoad substantiam habuerunt eandem constitutionem atque reliqua iudicia delegata Sedis Apostolicae, salvis specialibus quibusdam iuris dispositionibus de inquisitoribus datis (66).

Quae de *iuribus* et *obligationibus* iudicum ecclesiasticorum in genere atque speciatim de delegatis statuta erant (cfr. v. gr. cap. 24 X, de rescr. I, 3; cap. 31 X, de off. et pot. iud. del. I, 29) etiam inquisitoribus fuerunt applicanda, nisi de speciali exceptione constaret (67). Alia iura et officia specialia inquisitorum aut ex ipso scopo principali inquisitionis facile deducuntur (68) aut ex concessionibus specialibus (69) eruuntur. De ipsa quoque *cessatione* vel amissione

(63) *Bangen*, l. c. p. 93, 94 sq.; *Ferreres*, La Curia Romana, p. 149 sq. 156.

(64) Cfr. *Schmalzgr.*, h. t. n. 75 sq. de controversia, utrum iurisdictio inquisitorum sit ordinaria, an potius, ut communior sententia tenet, delegata. Quam controversiam *Hinschius*, l. c. p. 458 not. 1, 2 nova et confusa notione iurisdictionis « *quasi ordinariae* » nec solvit nec explicat.

(65) *Bouix*, l. c. p. 377; *Devoti*, l. c. tit. 8 § 3; *Hinschius*, l. c. p. 457 sq.

(66) Huc spectat, v. gr., quod inquisitor debeat attingere quadragesimum annum aetatis; cfr. cap. 2 pr. h. t. V, 3 in Clem.

(67) V. g. morte R. Pontificis aut Praelati deputantis officium inquisitoris non cessat; cfr. cap. 10 h. t. in Sext.

(68) Cap. 11 § 2 h. t. in Sext.

(69) Innoc. IV, Const. « *Ut nihil* » 23 Mart. 1254.

officii et iurium inquisitoris valuerunt normae generales, attenda exceptione cap. 10, h. t. in Sext.

b) Inquisitores ita fuerunt constituti, ut aut per modum collegii aut tamquam iudices *singulares* procedere potuerint (70). At cum ordinarie inquisitores essent iudices singulares, ipsis facultas data est sibi vicarium quendam generalem substituendi et etiam vicarios sive commissarios speciales deputandi (71).

c) Praeterea ab inquisitoribus quoque adhibendus fuit notarius, ut legitime procederent in iudicio (72). Neque ius Episcoporum (73) sibi associandi in administranda iustitia assessores sive consultores inquisitoribus fuit negatum (74), sed ordinarie obligatio adscindendi huiusmodi consultores ipsis non fuit imposita multoque minus illorum sententiam sequendi (75).

Denique tribunalia inquisitorum suos inferiores habuerunt ministros veluti nuntios, exsecutores, custodes (76), receptores bonorum publicatorum (77).

d) Cum in tribunalibus inquisitionis vera et proprie dicta appellatio esset exclusa (78), stabilis quaedam secunda instantia ad instar tribunalis metropolitani, in qua contra sententiam inquisitoris primae instantiae appellatio introduceretur, numquam in praxi fuerat instituta. At cum saltem recursus vel supplicatio ad R. Pontificem esset permissa, Urbanus IV, a. 1262, Cardinalem nominavit Inquisitorem generalem. Quod officium paulatim sublatum, a Paulo III, a. 1542, per institutionem S. C. Inquisitionis sub alia forma restauratum est. Cfr. quoque *Pastor*, *Gesch. d. Päpste t. VI*, p. 510 sq.

e) Competentia inquisitorum intra *provincias* sibi ad instar Legatorum assignatas sese extendebat:

1° Ratione *personarum* in apostatas a fide, haereticos, credentes erroribus haereticorum, defensores, receptores, fautores haereticorum,

(70) Cap. 11 h. t. in Sext.

(71) *Bouix*, l. c. p. 378; *Hinschius*, l. c. p. 462.

(72) Cap. 11 X de probat. II, 19 iunct. cap. 11 § 1, h. t. in Sext. et cap. 1 § 3 h. t. in Clem.

(73) Cap. 9 X, h. t.

(74) Cap. 12 h. t. in Sext.

(75) Cap. 20 h. t. in Sext. Qua ratione per illos *consiliarios iuratos* apte consulatur rei defensionem, explicat *Guiraud* l. c. p. 875.

(76) Cap. 1 §§ 2, 3 h. t. in Clem.

(77) *Hinschius*, l. c. p. 465.

(78) Cap. 18 h. t. in Sext.

denique in suspectos de haeresi ob certa delicta commissa (79), sive laici (80) fuerint sive clerici, saeculares vel regulares (81), exempti vel non exempti (82). Neque Iudaei neque Saraceni aliique infideles saltem in quibusdam delictis inquisitoribus fuerunt subducti (83). Immo ipsi mortui haeretici a persecutione iudiciali inquisitorum non fuerunt immunes (84). Quae competentia in reos inter diversas provincias inquisitorum iure communi scripto ordinatur ex domicilio rei vel ex loco delicti commisi, non ex loco deprehensionis. Cfr. caput 11, 12 h. t. in Sext.; *Hinschius*, l. c. p. 479 sq. Inquisitores autem competentes non sunt in Cardinales (85), Episcopos (86) aliosque superiores Praelatos, Legatos et Nuntios et Officiales Sedis Apostolicae (87) in alios inquisitores (88).

2° Ratione *causarum* inquisitores competentes sunt in delicta apostasiae a fide et haereseos aliaque crimina per defensionem, receptionem, favorem haereticorum commissa (89), item in delicta adeo atrocia, ob quae quis merito fit suspectus de haeresi (90), velut schisma.

f) Quae competentia inquisitorum cum esset *cumulativa*, non privativa, competentiam aliorum Superiorum ecclesiasticorum *ordinaria* potestate instructorum veluti Legatorum vel Episcoporum (91) non exclusit. Quare potius relatio inter Episcopos et inquisitores fuit accuratius ordinanda (92).

(79) *Bouix*, l. c. p. 379; *Bangen*, l. c. p. 99 sq.; *Hinschius*, l. c. p. 473 sq.

(80) Cap. 11 § 2 h. t. in Sext.

(81) Cap. 11 § 2 h. t. in Sext. Cfr. ultimum ea de re decretum S. Officii 15 Maii 1901, a Leone XIII approbatum in Act. S. S. tom. 34 p. 383 sq. et responsum ipsius S. Officii 23 Ian. 1901, non admittentis contrarium privilegium, in *Analect. eccl.* tom. 9, p. 154; *Ferrerres*, *La Curia Romana*, p. 151.

(82) Pauli V, Const. « *Romanus Pontifex* », 1 Sept. 1606.

(83) Clem. IV, Const. « *Turbato Corde* » 26 Iul. 1267, contra Iudaeos a Greg. X, a. 1274 et Nicolao IV a. 1288 confirmata; Greg. XI, Const. « *Admodum dolenter* », 3 Aug. 1372; *Bangen*, l. c. p. 101 sq.; *Hinschius*, l. c.

(84) Cap. 3 pr. 8 § 7 h. t. in Sext.; *Hinschius*, l. c. p. 302 sq., 475, 489 sq.

(85) *Bangen*, l. c. p. 102.

(86) Cap. 16 h. t. in Sext.

(87) Cap. 3 h. t. V 3 in Extrag. com.

(88) *Bouix*, l. c. p. 381; *Hinschius*, l. c. p. 474, n. 7.

(89) Cap. 8, 9, 13 X h. t.; *Bangen*, l. c. p. 104.

(90) Cap. 9, 13 § 2, 7; *Bangen*, l. c. p. 107 sq.; *Hinschius*, l. c. 471 sq.

(91) Cap. 17 h. t. in Sext.; cap. 1 h. t. in Extrag. com.

(92) Cap. 1 § 1 h. t. in Clem.

IV. **Forma proceduræ inquisitionis in causis haereseos.** Procedura iudicialis (93) in tribunalibus inquisitorum de facto generatim fuit *summaria*, illa enim forma procedendi inquisitores ex iuris concessione uti *potuerunt*, non debuerunt (94).

Quamvis ex iure communi in foro inquisitionis contra haereticam pravitatem etiam per viam strictae accusationis vel denuntiationis processus canonicus institui potuerit, tamen de facto neutra forma ordinarie in praxi fuit adhibita (95) sed potius accepta forte denuntiatione (96) vel notorietate facti vel publica fama vel clamorosa insinuatione excitatus inquisitor ex officio per viam inquisitionis causam ad se delatam instruxit atque definivit (97). Procedura stricte accusatoria, quae iam in praxi in desuetudinem abierat, in Codice demum fuit abrogata, conservato iure et nonnumquam obligatione denuntiationis.

In procedura iudiciali contra haereticos non solum conditiones ipso iure naturali requisitae velut legitima citatio rei, probatio certa criminis, iusta defensio accusati (98) et generales sollemnitates processus summarii (99) accurate servandae sunt, sed etiam ordinationes speciales de processu contra haereticos datae neque ab Ordinariis (100) neque ab inquisitoribus erant negligendae. Quae speciales ordinationes, si sine praeiudiciis expendantur et conferantur cum ordinaria procedura criminali eodem tempore vigente, nihil continent insolitum aut antiuridicum.

Nam quae iure speciali de ordine iudiciario in inferioribus tri-

(93) Cum scopus inquisitionis fuerit imprimis mediis lenibus reducere errantes haereticos ad fidem, strictae proceduræ iudiciali ex Const. RR. Pontif. praemittenda fuerunt contio et tempus gratiae. Cfr. cap. 12 h. t. in Sext.; *Hinschius*, l. c. tom. V, p. 458, 481 sq.; *Douais*, l. c. p. 165; *Guiraud*, l. c. p. 862.

(94) Cap. 20 h. t. in Sext.; *Bouix*, l. c. p. 381 sq.

(95) *Bouix*, l. c. p. 382; *Hinschius*, l. c. tom. V, p. 482 sq.

(96) Cfr. De obligatione denuntiandi haereticos iure antiquo statuta: Innoc. IV Const. «*Noverit*» 3 7, 15 Iun. 1254; *Muenchen*, l. c. p. 340 sq.; *Hinschius*, l. c. tom. V, p. 480 sq. et de ambitu huius obligationis ex disciplina nunc vigente cfr. *Lehmkuhl*, Theolog. mor. tom. I, n. 813, tom. II, n. 987.

(97) *Bouix*, l. c.; *Hinschius*, l. c.; *Douaix*, l. c.

(98) Cap. 2 de sent. II, 11 in Clem.; *Bouix*, l. c. p. 382 sq.; *Douais*, l. c. p. 169 sq.

(99) Cap. 2 de V. S. V, 11 in Clem.

(100) Cap. 17 h. t. in Sext.

bunalibus inquisitionis praescripta fuerunt (101), non ita derogarunt iuri communi, ut iuris quoque aequitatisque naturalis ratio non haberetur, ut falso opinatus est *Hinschius*, l. c. tom. V, p. 483 sq., alique non pauci. Abusus vero, qui in causis particularibus occurrerunt, non ex iniustitia legum ecclesiasticarum, sed ex iniquitate et ignorantia inquisitorum sunt repetendi nec ultra veritatis limites exaggerandi. Cfr. *Guiraud*, l. c. p. 866 sq.

Nunc plerumque, ubi agitur de clericis, ab ipsis locorum Ordinariis insinuati vel denuntiati de haeresi solent Supremae S. C. Inquisitionis deferri, quae in iudiciis de haereticis exercendis suo modo institutoque procedit.

CAPUT XXIX

De schismate

Fontes: Decr. Grat. C. XXIV q. 1, 3; Cpl. I l. V, tit. 7 de sch. et ord. ab eis et alienationib. factis; Cpl. III, l. V, tit. 5 ead. rubr.; Cpl. V, l. V, de apost. et schismatic. — Decret. Greg. IX, l. V, tit. 8 de schismaticis et ordin. ab eis. Decret. Bonif. VIII, l. V, t. 3 de schismatic.; Extrav. com. l. V, t. 4 de schism. — Pii II const. «*Execrabilis*» 18 Ian. 1460 (cfr. Libr. sept. cp. 1 de apell. II, 9 et *Hefele* t. VIII, p. 123). — Lib. Sept. V-3 de haeret. et schism. — Decret. Clem. Pap. VIII ed. *Sentis* p. 165 sq. etiam de sectis secretis v. gr. Clem. XII const. «*In eminenti*» 28 Apr. 1738. — Pii IX const. «*Apost. Sed.*»; Collect. S. C. P. F. in Ind. v. Societat. secretae. — Leo XIII Encycl. «*Quod Apost. muneris*» 28 Dec. 1878.

Scriptores: Comment. iuris Decret. in cit. tit. — *S. Raym.* l. I, tit. 6, de schism. et ord. ab eis. — *Zech* l. c. tit. 13 de schismate; *Devoti* l. c. tit. V de schismate. — *De Ameno* l. c. p. 76 sq.; *Lega* t. III, n. 334, 430, 434 sq.; *De Luca* l. c. p. 145; *Vering* l. c. § 192; *Muenchen* l. c. p. 346 sq.; *Thesaurus* v. Schisma; *Hinschius* t. V, n. 161, 344 sq.; *Kraus* l. c. v. Schisma; *Ferraris* v. eod.; *Ponsius* l. c. p. 344 sq.; *Schiappoli* l. c. n. 233 sq.; *Hollweck* l. c. § 98.

395. Connexio materia. Licet delictum schismatis sit directe contra ipsam Societatem supernaturalem a Christo fundatam et contra auctoritatem qua ipsa regitur, nam unitatem Ecclesiae et aucto-

(101) Cap. 20 h. t. in Sext. iunct. cap. 24 X, de accus. V, 1 de nominibus accusatorum et testium celandis; cap. 3, 5, 8 § 3 h. t. in Sext. de habilitate certorum testium alias inhabilium exceptis semper inimicis, cfr. cap. 7, 13, 19 X de accus. V, 1; Cap. 20 h. t. in Sext. de permissione procedendi absque advocatis; cap. 1 § 1 h. t. in Clem. de tortura. Cfr. *Douais*, l. c. p. 172 sq. de tortura ab Ecclesia non introducta; *Guiraud*, l. c. p. 873, de moderatione ex legibus Ec-

ritatem Rom. Pontificis sua natura violat; tamen in praxi vix non accidit ut etiam errorem circa fidem contineat aut in talem errorem paulatim desciscat. Hinc intima connexio schismatis cum haeresi.

396. Definitio. Schisma *σχίσμα* (scissura) est *spontanea discessio ubi unitate Ecclesiae, quatenus illa consistit in communione fidelium inter se et in debita subiectione erga Romanum Pontificem* (1). Quare si quis ob grave delictum *invitus* a communione fidelium separatur, erit excommunicatus, sed non schismaticus; is enim sponte non recedit. Porro per schisma fit imprimis separatio ab *unitate Ecclesiae universalis*, quatenus illa est corpus quoddam mysticum (2), cum cuius *membris* schismaticus *communicare recusat*. Maxime vero delictum schismatis involvit discessum a Romano Pontifice tamquam supremo Ecclesiae pastore, cuius auctoritati et iudicio schismatici cum *rebellione* sive *pertinacia subesse renuunt*. Quae discessio restringitur ad solam obedientiam, non extenditur per se ad fidei articulos (3). Quare schisma purum solummodo opponitur unitati Ecclesiae universalis sive communicationi cum fidelibus et obedientiae Romano Pontifice debitae; ubi inobedientia ad fidei articulos extenditur, praeter duplex illud vitium *haeresim* habet adiunctam. Quae discessio a sola obedientia sine admixtione haeresis, quod in principio schismatis locum habeat, aliqua ex parte intelligi potest, « ceterum nullum schisma non aliquam sibi confingit haeresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur » (4). Cfr. can. 1325, § 2.

clesiae in ea adhibenda; *Fournier*, Les officialités, etc., p. 280; cap. 13 § 1, 7, X, h. t.; cap. 4, 7, 8 pr. § 1, 2 h. t. in Sext. de suspectis de haeresi et de relapsis; cap. 9 X h. t., cap. 1 h. t. in Sext. de traditione haeretici brachio saeculari animadversione debita seu poena huius fori puniendi, cap. 18 h. t. in Sext. de negato beneficio strictae appellationis; Pii V, Const. « *Inter multiolices* » 30 Dec. 1567, § 1 de sententia non transeunte in rem iudic.

(1) *Pirhing*, h. t. n. 1 sq.; *Schmalzgr.* h. t. n. 2 sq.; *D'Annibale*, in Const. « *Apost. Sed.* » n. 42 sq.

(2) Cfr. c. 43 (S. Gregor.) C. XXIII. q. 5.

(3) Cfr. c. 26 (S. Hieronym.) C. XXIV, q. 3; *De Ameno*, l. c. n. 3.

(4) *S. Hieronym.* l. c.; *Lega*, l. c. n. 334; *Murray*, l. c. p. 382, ubi vinculum communicationis cum fidelibus explicat per unitatem in fide, in regimine et in cultu et inde petit aptam explicationem practicae connexionis, quae inter schisma et haeresim intercedit. Cfr. quoque *Straub*, De Eccles. Christi II, p. 650; *Wilmers*, De Christi Eccl. p. 640.

Illam divisionem a scriptoribus (5) allatam in schisma *occultum* sive latens in mente et in *manifestum*, quod signis et factis externis manifestatur, in iure poenali non est practici momenti, cum in foro externo illud solummodo schisma delictum constituat, quod actu externo manifestatur et consummatur. Neque multo maioris utilitatis est divisio schismatis in *internum* et *externum*, *particulare* et *universale* (6); nam solum schisma universale, quo aliqua Ecclesia particularis vel aliqui christiani ab unitate Ecclesiae *universalis* discedunt, constituit proprie dictum delictum schismatis, licet alia illa schismata sensu lato accepta suo reatu non careant (7).

397. Notae historicae. Scissio unitatis Ecclesiae, pro qua Christus Dominus Patrem aeternum rogavit (8), semper maximum scelus in Ecclesia habita est. Quae scissiones iam ipso tempore Apostolorum occurrunt, sed perfectum quoddam schisma non constituerunt, cum intra Ecclesias particulares existerent neque ab Ecclesia Romana inducerent separationem (9). Etenim teste S. Irenaeo (10). « *Ad hanc* (i. e. Romanam) *enim Ecclesiam propter potentioris principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles* ». Hinc monente S. Hieronymo, qui cathedram Petri deserit, in Ecclesia non est, sed profanus est Cfr. *Devoti* l. c. § 1. Alia exempla schismatum particularium occurrunt saeculo tertio (11) et quarto (12), e quibus complura in schismata universalis atque adeo in haeticam secessionem degenerarunt velut schismata Novatianorum (13) et Donatistarum (14). Maxime vero saeculo sexto ortum est gravissimum schisma univer-

(5) *De Angelis*, h. t. p. 206.

(6) *Devoti*, h. t. § 3; *Lega*, l. c. n. 434. Cfr. quoque *De Ameno*, de schismate in sensu lato seu divisione in ordine religioso facta l. c. p. 78 sq.

(7) Cfr. c. 34 (S. Pelag.) C. XXIV, q. 1; *Schmalzgr.* h. t. n. 12; *Muenchen*, l. c. p. 347 sq., 354 sq.

(8) S. Ioann. XVII, 20 sq.

(9) I Corinth. I, 10 sq.; *S. Clem.* epist. ad Corinth.

(10) Contra haeres. lib. III, cap. 3 (Migne P. Gr. VII, 849).

(11) Cfr. de schismate in Ecclesia Carthag. tempore S. Cyprian; *Hefele*, l. c. tom. I, p. 111 sq.; *Muenchen*, l. c. p. 348 sq.

(12) Cfr. c. 5, Conc. Antioch., a. 341; c. 32, 33 Apostol.; *Hefele*, l. c. p. 343 sq.

(13) *Hergenroether*, Photius t. II, p. 337; c. 8, Conc. Nicaen., a. 325.

(14) *Hefele*, l. c. p. 145 sq., 193 sq.; *Muenchen*, l. c. p. 351 sq.

sale in Italia superiore aliisque regionibus propter quintam Synodum oecumenicam (15).

Tempore medii aevi praeter schisma Photii, a quo separatio Ecclesiae orientalis a Sede Apostolica originem ducit, praesertim eminent schismata per Pseudo-papas (16) et controversias de legitima electione Romani Pontificis orta (17).

Cum in non paucis catholicis clara notio primatus iurisdictionis Romani Pontificis inde ex saeculo decimo quarto esset obscurata, iam Ioanni XXII, maxime vero Pio II, in conventu Mantuano (a. 1460) (18) contra abusum schismaticum appellandi a Romano Pontifice ad futurum Concilium oecumenicum fuit pugnandum et toto saeculo decimo quinto vitium istud schismaticum altiores egit radices (19), donec saeculo decimo sexto magna defectio ab Ecclesia catholica locum haberet, quae in plures sectas haereticas descivit.

Quodsi Ecclesia a schismaticis iam minus fuit oppugnata, saeculo decimo octavo orta est secta liberorum muratorum, quae in apertam ruinam Ecclesiae ac Sedis Apostolicae machinans vix decem a fundatione elapsis annis a Clemente XII. l. c. a 1738 condemnata est, cuius vestigia alii Romani Pontifices secuti sunt (20). Versus finem eiusdem saeculi et ineunte ultimo saeculo XIX non defuerunt illa tentamina schismatica v. g. Iosephi II aliorumque principum, quibus pro more anglico et russiaco Ecclesia catholica potestati civili subiiceretur et *practice* a Sede Apostolica separaretur (21). Quae tentamina saltem magna ex parte irrita fuerunt multoque minore successu iterum in Germania, Helvetia, Italia restaurata fuerunt, immo « la società cattolica italiana (22) per la rivendicazione dei diritti spettanti al popolo cristiano » legitimo contemptu oppressa iustam oblivionem iam diu est sortita.

(15) *Hefele*, l. c. t. II, p. 914 sq.; c. 34 (S. Pelag.) C. XXIV, q. 1.

(16) Cap. 1 X, h. t. = cap. 2 Conc. Later. III, a. 1179 sub Alexandro III; cap. unic. h. t. in Sext. (Bonif. VIII).

(17) *Hefele*, l. c. t. VI, p. 727 sq. de magno schismate occidentali; *Straub*, l. c. p. 898 sq. quomodo magnum illud schisma non obstet Romanae Ecclesiae unitati cum uno Romano Pontifice legitimo retentae.

(18) *Hefele*, l. c. t. VIII, p. 123.

(19) Cfr. de sanctione pragmatica in Gallia; *Hefele*, l. c. p. 117 sq., 736 sq.; de schismatico Concilio Pisano, a. 1511; *Hefele*, l. c. p. 436 sq., 482 sq.

(20) *Sentis*, l. c.; *Kirchenlex.* v. Freimaurer.

(21) Pii VI, Responsio ad Metropol. Mag. Trevir. Colon. et Salisb.

(22) *Bucceroni*, l. c. n. 30.

398. Vis et ambitus schismatis. Ad constituendum delictum puri schismatis requiritur: I. ut quis aut directe sive expresse aut indirecte sive factis concludentibus ab obedientia Romani Pontificis recedat et a communionem ecclesiasticam ceterorum fidelium sese separet, licet separatae sectae schismatae sese non adiungat (23); — II. ut recessus coniunctus sit cum pertinacia sive rebellione; — III. ut recessus fiat, quoad illa, quibus unitas Ecclesiae constituitur; — IV. ut non obstante formali inobedientia et denegatione subordinationis schismaticus agnoscat illum Romanum Pontificem verum esse pastorem universalis Ecclesiae et ex doctrina fidei ipsi obedientiam esse praestandam (24): quodsi id ipsum negat, schismati admiscetur haeresis.

Quare delictum schismatis sensu stricto non committitur ab eo, qui a suo Episcopo et a communionem fidelium suae dioecesis recedit, sed Romano Pontifici subesse et cum reliquis Ecclesiae universalis fidelibus communicare non renuit. Neque simplici transgressione legis pontificiae quis constituitur schismaticus; secus etiam omnes violatores universalium legum ecclesiasticarum schismatici existerent; id quod plane absonum est. Denique schismaticis adnumerari nequeunt, qui Romano Pontifici obedire recusant, quod personam ipsius habeant suspectam vel propter sparsos rumores dubie electam, ut accidit post electionem Urbani VI vel eidem resistant ut principi civili, non tamquam Ecclesiae pastori (25).

399. Poenae schismatis (26). Poenae sunt eadem quae supra dictae sunt de apostatis et haereticis, non exclusa irregularitate et privatione sepulturae ecclesiasticae. In const. *Apost. Sedis*

(23) *Murray*, l. c. p. 375, 377.

(24) *Schmalzgr.*, h. t. n. 7 sq.; *Lehmkuhl*, Theol. mor. t. II, n. 925.

(25) *Bonacina*, de cens. in specie, disp. 1 q. 2 punct. 5; *Schmalzgr.*, h. t. n. 11 sq.; *Lega*, l. c. n. 436; *Murray*, l. c. p. 379 sq.; *Palmieri*, De Rom. Pontif. p. 194 sq.; *Pastor*, l. c. t. VI, p. 417 sq.

(26) *Thesaurus*, l. c. n. 17; *Bucceroni*, l. c. n. 30, ubi ita distinguit inter *schismaticos* et *recedentes ab obedientia*, quod *schismatici* sint illi, qui vel ex malitia voluntatis vel *ex errore* intellectus in doctrina fidei (at tunc sunt haeretici) subiectionem R. P. negant a corpore Ecclesiae se separando *et* novam ac separatam ecclesiam constituendo *vel* constitutae adhaerendo —; *subtrahentes* se ab obedientia insiam constituendo *vel* constitutae adhaerendo —; *subtrahentes* se ab obedientia intelligit illos qui *totaliter* sese separant, licet nulli alteri capiti sive auctoritati eccl. sese subiciant; tandem *recedentes* vocat, qui partialiter seu in aliqua tantum re se subducunt ab auctoritate R. P. At sicut ad *haeresim* non requiritur, ut quis alicui sectae

n. 3 percellerantur censura schismatici et se subtrahentes vel recedentes ab obedientia R. Pontificis; erant varii modi schisma perpetrandi, quorum distinctio non erat necessaria.

CAPUT XXX

De historica applicatione iuris poenalis Ecclesiae relate ad infideles

(cfr. Decretal. Lib. V, tit. 6, de Iud. et Sarac. et eor. servis)

Fontes: Decret. Gratiani c. 17 C. XXII, q. 8; c. 35 C. XXIV q. 3; C. XXVIII, q. 3. — Cpl. I, l. V, tit. 5 de Iud. et Sar. et eor. servis; Cpl. II (V, 4) de I. et S.; Cpl. III (V, 3) de Iud.; Cpl. IV (V, 4) de I. et S.; Cpl. V (V, 3) de I. et S. — Decret. Gregor. IX l. c., Constit. Clem. V (V, 2) in Clem.; Extrvg. Ioann. XXII, tit. 8; Extrvg. com. (V, 2). — Decret. Clem. P. VIII (V, 4) ed. Sentis, p. 166. — Conc. prov. Venet. (a. 1859) in Collect. Lac. t. VI, pag. 299; Strigon. (a. 1858); Prag. (a. 1860); Ultraiect. (a. 1865) Collect. Lac. t. V, p. 86, 443, 801 (1).

Scriptores: Commentatores iur. Decretal. in h. t. (2). — S. Raym., Summa, l. I, t. 4, de I. et S. et eor. ser. — Zech l. c. t. 15 de al. crim. contra fid. praesertim de Iud.; Philipps, Kirchenr. tom. II, § 96 sq. — Scherer l. tom. II, p. 15 sq. — Archiv. f. k. K., t. 8, p. 57 sq. t. 12, p. 85 sq. de Iudaeis in Galicia et Hungaria novisque edictis Episcoporum, tom. 41, p. 75 sq. et tom. sq. de litte-

adhaereat, ita ad schisma non requiritur, ut quis sectae schismaticae sese adiungat, dummodo a R. Pontifice et reliquis fidelibus recedat. Quere *Lehmckuhl*, l. c. II, n. 925, rectius ita interpretatur duplex membrum censurae, ut schismatici intelligantur, qui se separant a corpore Ecclesiae eiusque capite, sive ineunt diversum coetum religiosum sive non; deinde etiam comprehendantur, qui se separant a capite Ecclesiae eius obedientiae pertinaciter se subtrahentes, etsi velint cum reliquo corpore manere uniti. Cfr. quoque *Lugo*, De fide, disp. XXV, n. 37; *D'Annibale*, l. c. n. 42, 43. Quae interpretatio est conformior communi modo interpretandi censuram in Bulla Coena totidem verbis contentam, cui proinde etiam in interpretatione Const. «Apost. Sedis» stari potest. Cfr. *Altieri*, De cens. t. I, p. 476 sq. — Porro iure Codicis praeter notionem schismatis can. 1325, § 2 datam, canon poenalis 1314 nullam aliam facit distinctionem nisi inter nomen dantes vel publice adhaerentes sectae schismaticae et alios schismatis delictum committentes sine tali adscriptione vel adhaesione.

Quae de procedura iudiciali in haereticos et de competentia Inquisitionis cap. praec. exposita sunt, etiam delicto schismatis sunt applicanda.

(1) Cod. Iustin. I, 9 de Iud. et Coelicolis; I, 10 ne christ. mancip. haereticus vel Pag. vel Iud. habeat; I, 11 de paganis, sacrific. et templis.

(2) Ex Theolog. cfr. S. Thom. l. c. 2 q. 10; *Lugo* l. c. disp. 14, 18, 19; *Suárez* De fide, disp. 18; *Tanner*, De fide, q. I X, dub. 2 sq.

rat.; *Ferraris* l. c. v. Hebraeus; *Thesaurus* l. c. v. Arma cap, 3 sq. — *Kober* in Act. theol. Tubing. tom. 55, p. 673. — *Ponsius* l. c. l. V, t. 6 de Iud. et Sarac.; *Hinschius* l. c. tom. V, p. 159 sq. 300 sq. 473 sq.; *Lega* l. c. tom. III n. 428 sq.; *Bangen*, D. roem. Curie.

Praenotiones

400. **Connexio materiae.** Cum haeresi et apostasia connexionem historicam habet peccatum infidelitatis hominum non baptizatorum, quoad extensionem gravius, licet apostasiam et haeresim baptizatorum fidelium sua malitia absolute non aequat (3). Connexio apparebit ex dicendis.

401. **Definitio.** Infidelitas universim spectata est *pertinax negatio veritatis revelatae sufficienter propositae*. Quo sensu infidelitas tum in Iudaeis tum in Paganis et Saracenis tum in apostatis et haereticis reperiri potest (4); sed hoc Decretalium titulo maxime intelligebatur illa infidelitas, quae hominibus non baptizatis est propria; immo illa quoque comprehendebatur delicta ab infidelibus in iniuriam Ecclesiae commissa, quae olim ab inquisitoribus fuerunt castigata (5). Maxime vero cit. titulo recensentur delicta ab ipsis christianis patrata propter *communicationem* vel *cooperationem* criminis cum Iudaeis vel Saracenis. Qua in re iam sese prodit specialis connexio infidelitatis cum iure poenali Ecclesiae.

402. **Divisio.** Infidelitas, si sensu stricto accipiatur, dividitur ratione obiecti negati in *Iudaismum* et in *Paganismum*, quatenus aut sola revelatio christiana aut universa revelatio et novi et veteris testamenti reiicitur (6). Praeterea delicta ab infidelibus ultra infidelitatem commissa in varias species dividi possunt (7), sicut crimina fidelium in hac materia ad illicitam *communicationem* et *cooperationem* revocantur (8).

(3) *Schmalzgr.* h. t. n. 7; *Philipps* l. c. § 96, p. 388; Cfr. de ordine servato: *Zech* et *Ponsius* l. c.; *Lugo* l. c. disp. 18, n. 33 sq.

(4) *Schmalzgr.* h. t. n. 1; *Lugo* l. c. n. 1 sq.; *Philipps* l. c. § 96.

(5) *Schmalzgr.* h. t. n. 36 sq.; *Bangen* l. c. p. 101 sq.; *Hinschius* l. c.

(6) *Lugo* l. c. n. 61 sq. disp. 19 prooem.; *Schmalzgr.* h. t. n. 2 sq.

(7) *Bangen* l. c. p. 102.

(8) *Schmalzgr.* h. t. n. 13 sq., 45 sq.

403. Notae historicae. Quamvis ab initio religionis christiana non pauci ex Iudaeis, praedicationi Apostolorum obsequentes fidem catholicam amplexi sint (9), tamen longe maxima pars populi Israelitici in pertinacia sua permansit et animos hostiles in christianos manifestavit (10). Finitis persecutionibus furor et arrogantia Iudaeorum ipsis legibus Imperatorum romanorum fuerunt compe-scenda (11). Ipsa quoque Ecclesia, tolerata Iudaeorum religione atque protecta ipsorum libertate in suscipiendo baptismo (12), frequenter cavere debuit ne ex consortio cum Iudaeis fides catholica et morum honestas fidelium detrimentum pateretur (13). Qua in re procul dubio prohibitio consortii inter christianos et Iudaeos legibus ecclesiasticis extensa est ad casus in iure naturali non comprehensos et sanctionibus poenalibus fuit munita (14). Inde quoque facile intelligitur, cur mutatis temporibus antiquae sanctiones poenales potuerint auferri et prohibitiones canonicae ad terminos iuris naturalis denuo reduci, nisi ob speciales regionum et temporum necessitates pristinus rigor saltem ex parte restaurandus (15) visus fuerit.

Cum tempore medii aevi expeditiones in terram sanctam essent susceptae, ut religio christiana contra iniurias et invasiones Saracenorum defenderetur, non defuerunt christiani, qui turpis lucri cupiditate ducti vel ipsis Saracenis opem atque subsidium ferrent. Quae perfida agendi ratio christianorum iuri naturali et moderno iuri internationali contraria optimo consilio ab Ecclesia severis poenis fuit proscrip-ta (16) etiam per censuras in Bullam Coenae insertas.

Nostro tempore non defuerunt persecutiones formis plus minusve legalibus ab impiis guberniis excitatae, velut in Russia, Me-

(9) Act. Apost II, 41, 42.

(10) Ep. ad Ebr. X; *Tertullian.*, Ad nationes, I, 14; *Civiltá catt.*, a. 1886, 1878.

(11) Cod. Iust., l. c.

(12) *Greg. M.* in cap. 3 X, h. t.; cap. 9 X, h. t.; *Ponsius*, l. c.; *Scherer*, l. c. p. 15; *Lugo*, l. c. disp. 19 n. 33 sq., 70 sq.

(13) Cfr. c. 50 Conc. Illiberit., a. 300-306; c. 40 Conc. Agath., a. 506; c. 11 Conc. Trull., a. 692.

(14) Cfr. c. 50 Conc. Illib., de vitanda coena Iudaeor.; Pii V, Const. « *Romanus* » 19 Apr. 1566, de non vocando medico hebraeo.

(15) Cfr. cit. Conc. provinc. inter Fontes.

(16) Cap. 6, 12 X. h. t.; cap. unic. h. t. in Clem.; cap. unic. h. t. in Extr. Ioann. XXII; *Hinschius*, l. c. p. 159; *Phillips*, l. c. § 100. p. 429.

xico, Hispania etc.; quae a baptizatis hominibus veram tyrannidem in catholicis exercentibus in plures canones poenales impingunt; nec inter baptizatos defuerunt qui ob politicas rationes vel ob temporalia commoda talibus guberniis subsidia, fulcrum et personalem operam praestiterunt, aut ex debito conscientiae non restiterunt, laici promiscue et clerici. Quibus iuris antiqui severitas et principia legitima, quibus innitebatur, in memoriam revocare opportunum est.

§ 1. De infidelitate Iudaeorum et saracenorum et paganorum

404. Principia legitima exercitii potestatis respectu infidelium. Infidelitas illorum hominum, qui revelationi christiana contumaciter fidem denegant et baptismum respuunt Ecclesiamque catholicam ingredi detrectant, sine dubio gravissimum quoddam peccatum constituit (17). Quodsi isti infideles ultra fidei detractionem non progrediantur, Ecclesia in illos, cum ipsi subiecti non sint neque iniuriam inferant, potestatem coercitivam exercere nequit (18). Immo Ecclesia saltem Iudaeis aliquam tolerantiam (19) sive liberum exercitium religionis Mosaicae inter populos christianos etiam usque ad ultima tempora non denegavit.

Quae incompetencia Ecclesiae cessavit et tolerantia et protectio in iustam severitatem conversa est, quamprimum Iudaei aliique infideles Ecclesiam *iniuriis* affecerunt et a supremo suo fine inter fideles consequendo iniuste impediverunt. Quamvis enim Ecclesia in homines non baptizatos tamquam *in subditos* iudicium exercere non possit, tamen ut *societas perfecta* contra iniurias sibi illatas

(17) *Lugo*, l. c. disp. 18.

(18) Cap. 10 X h. t.; *Lugo*, l. c. disp. 19, n. 33 sq.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 51 sq.; *Phillips*, l. c. § 98.

(19) *Schmalzgr.* h. t. n. 13 sq., 27 sq., 31 sq.; *Brueck*, Manuale di storia eccl. § 112; *Erlor*, in Archiv. f. k. K. tom. 41 sq., de condicione sociali Iudaeorum apud diversas gentes et de agendi ratione pastorum Ecclesiae erga ipsos; *Phillips*, l. c. § 99. Cfr. de Saracenis cap. un. h. t. in Clem. Inde tamen non sequitur, nostra aetate illam Iudaeorum tolerantiam omnibus condicionibus illis onerosis iuris antiqui, v. g., de habitu vel pileo distincto, de fenestris et ostiis clausis (cfr. cap. 15, 4 X h. t.) esse obligatam, quas *historice* recenset *Phillips* l. c. neque disciplinam praximque vigentem attendit.

iure defensionis legitime utitur, aut principibus saecularibus tutelam Ecclesiae committit (20).

Hinc factum est, ut Ecclesia tempore medii aevi Iudaeos aliosque infideles religioni christianae iniurias inferentes, multiplice ratione severis poenis castigarit et tandem S. Inquisitioni subiugarit.

Huiusmodi *delicta* fuerunt blasphemiae contra religionem christianam prolatae, raptus mulierum christianarum, seductio christianorum ad iudaicam perfidiam, divulgatio librorum fidem christianam impugnantium.

Poenae spirituales propter ista delicta infidelibus non baptizatis infligi profecto non potuerunt. Hinc Ecclesia illos castigavit per interdictum commercii *christianis impositum* aut per multas pecuniarias aut per fustigationem aut incarcerationem (21). Quae res nostra aetate in foro ecclesiastico non sunt practici momenti.

Scholion. Quodsi ultimo tempore mota est quaestio iudaica sive antisemitica, ne quis in multiplices impingat errores, quaestio tolerantiae religiosae, intra legitimos limites numquam ab Ecclesia Iudaeis negatae, probe distinguenda est a communicatione *religiosa, morali, sociali* christianorum cum Iudaeis (22). Item quaestio tolerantiae civilis et *politicae* Iudaeorum nunc aliis criteriis est diiudicanda atque tempore medii aevi (23), quo una religio catholica dominabatur et libertas illa cultuum, nunc proclamata, nondum exstitit. Denique in quaestione *oeconomica* vel verius *usuraria*, imprimis curandum est, ne ipsi quoque christiani sint usurarii et ut christianis institutis atque sapientibus legibus criminalibus et civilibus omnes abusus et fraudes indiscriminatim impugnentur (24).

(20) *Schmalzgr.* h. t. n. 36 sq.; *Phillips*, l. c. § 97, p. 393, nimium extendit potestatem Ecclesiae in paganos (cfr. *Lugo*, l. c. disp. 10 n. 33 sq.), quam § 96, p. 387 sq. accuratius circumscripserat.

(21) Cfr. *Schmalzgr.*, *Bangen*, *Hinschius*, l. c.

(22) V. g. impedimentum disparitatis cultus praesertim contra Hebraeos ab Ecclesia magno cum rigore sustinebatur usque ad haec ultima tempora quamdiu experientia docuit ex consortio maritali cum Hebraeo grave periculum imminere pro fide partis catholicae tametsi cautiones requisitae non detrectarentur, quod quotidiana experientia comprobatur.

(23) Cap. 16, 18 X h. t. de officiis et magistratibus civilibus non concedendis Iudaeis et Paganis; Pius V, l. c. de interdicto contra medicos hebraeos; *Schmalzgr.*, h. t. n. 27 sq.

(24) Cfr. quae sapienter monet Benedictus XIV, Const. « *A quo primum* » 14 Iunii 1751; De synod. dioces. lib. VI cap. 4; *Phillips*, l. c. § 100.

§ 2. De communicatione et cooperatione christianorum cum iudaeis et paganis

405. Quae in antiquo iure sunt vetita christianis circa communicationem in sacris cum infidelibus nunc quoque sunt servanda, quatenus nituntur ipso iure divino (25); porro plura quae iure canonico antiquo fuerunt constituta, etiam iure adhuc vigente fuerunt de novo prohibita specialibus S. Sedis decretis (26).

Multiplices vero prohibitiones canonicae *commercii mere humani et civilis*, quae in iure Decretalium h. t. et antiquis Constitutionibus Romanorum Pontificum continentur, ex disciplina nunc vigente non amplius omnes et ubique quoad ipsam obligationem ex lege ecclesiastica et decretis S. Sedis existunt in pleno vigore (27) multoque minus quoad sanctiones poenales. At certe etiam nunc ubique illae prohibitiones urgent, quae nituntur ipso iure naturali (28); immo illarum *servitium domesticum* (29) per christianos in aedibus Iudaeorum, etiam in compluribus recentioribus Conciliis provincialibus (30) atque edictis Episcoporum denuo ipsa approbante Sede Apostolica severe fuit prohibitum. Cuius prohibitionis certe in Galicia sive Polonia Austriaca speciales fuerunt rationes (31).

Cooperatio (32) prohibita cum Paganis, quatenus nititur iure naturali, etiam nostra aetate non est abrogata; sed *censurae latae*

(25) *Schmalzgr.*, h. t. n. 8, 10, 12 de non admittendis infidelibus ad sacramenta, de participatione in ritibus superstitionis infidelium.

(26) *Schmalzgrueber*, iam suo tempore h. t. n. 9, 11, canonibus antiquatis nimium videtur insistere.

(27) V. g. prohibitus usus, medici hebraei arg. d. ex Sixti V, Const. « *Christiana pietas* » 22 Oct. 1586, § 1.

(28) De fornicatione cum Iudaeis cfr. c. 6 Conc. Clarimont. I, a. 535 = c. 17 C. XXVIII q. I. et Archiv. f. k. K., t. 8, p. 64, de casu reservato in Galicia.

(29) De distinctione inter famulos domesticos et colonos cfr. in iure antiquo cap. 2 X h. t. et in iure novo resp. S. C. Inq. relatum in ep. Nunt. Apost. Vienn. 26 Iun. 1861, cfr. Archiv. f. k. K. l. c. p. 73 sq.

(30) Cfr. Conc. prov. cit. in Font.

(31) Archiv. f. k. K. l. c. p. 57 sq.

(32) Cfr. *Benedictus XIV*, De Synod. dioec. l. XIII, cap. 20 n. 7; *Phillips*, l. c. § 100, p. 431 sq. — Cfr. in Collect. S. C. P. F. 1^a p. 598 sq., 653 sq. de variis modis huiusmodi cooperationis prohibita varia S. Sedis decreta. Communicatio vero in sacris cum paganis eodem modo est prohibita ac in sacris haereticorum ex can. 1258, 2316. — De iudaeis speciatim consulendus Dictionnaire Apo-

sententiae, quondam in cap. 12 X. h. t. et cap. 1, h. t. in Extrg. com. et Bulla Coenae in perfidos christianos statuae, iam ob silentium Const. "Apost. Sedis", non amplius valebant; immo etiam aliae *poenae vindicativae* cap. 6 X. h. t. et cap. 1 h. t. in Extravg. de perpetua infamia, de confiscatione bonorum et de servitute incurranda, de intestabilitate et inhabilitate ad successiones tam ab intestato quam ex testamento, de inhabilitate ad officia publica et actus legitimos, de publica denuntiatione diebus dominicis et festis, practico momento et valore canonico iamdiu carent. Multo magis formalitas praescripta cap. 11 X. h. t. ad suscipiendum iter "in Alexandriam", nostra aetate est plane obsoleta.

CAPUT XXXI

De specialibus delictis cum haeresi connexis

(can. 2316-2319)

406. I. Cooperatio in haeresi speciale delictum constituens fit ab eo "qui *quoquo modo* haeresis propagationem *sponte* et scienter iuvat", (can. 2316). Tale iuvamen, ex dictis, reddit suspectum de haeresi, cum quo agi debet ad normam can. 2315. Punitur autem praestatio auxilii formalis, quo iuvamen haeretico detur in ipsa eius haeresi propaganda, quale non esset per se receptio in hospitio ex amicitia vel ad rem domesticam et similia; satis autem est ad delictum, si auxilio quis sit haeretico sive publice sive privatim, sive palam sive occulte, verbis, scriptis aut actibus, si ex tali auxilio haeresis de facto propagetur vel divulgetur seu effectu secuto; secus haberetur dumtaxat delictum attentatum ad normam *conatus* delicti tractandum (cfr. can. 2213, 2235).

407. II. Communicatio in divinis cum haeticis, quae ex can. 2316 reddit suspectum de haeresi: agitur autem de communicatione vetita ad normam can. 1258, § 1, quo illicitum declaratur fidelibus quovis modo *active* adsistere seu partem habere in sacris acatholi-

logétique (D'Ates) v. Juif et Chrétiens, tom. II, col. 1664 sq., v. L'usure; VI, Le meurtre rituel; L'Etat et les Juifs col. 1713 sq.; L'Eglise et les Juifs, col. 1725; La législation ecclésiastique relate ad Iudaeos etc., cum completa quadam bibliographia.

corum, non tantum quando actus acatholici cultus ponuntur cum intentione eo ipso adhaerendi sectae vel eiusdem sectae cultum approbandi, sed etiam quando actus acatholici cultus ita est specificiter religiosus et vel in se vel in circumstantiis falsae sectae protestativus, ut aliter explicari nequeat; tunc enim habetur aequivalens confessio vel saltem simulatio falsi cultus (1).

408. III. Defensio doctrinae damnatae. « Pertinaciter docentes vel defendentes sive *publice* sive *privatim* doctrinam, quae ab Apostolica Sede vel a Concilio Generali (2) damnata quidem fuit, sed non uti formaliter haeretica » (can. 2317). Qui id facit saltem non bene sentit de potestate Magisterii Ecclesiae eiusque in supremo gradu exercitio, contra quod exercitium inobediens et rebellis sistitur; inde periculum ut in haeresim quoque labatur.

Requiritur pertinacia quae ex natura rei requirit scientiam de damnatione doctrinae et plerumque monitionem saltem privatam: duplici autem modo delinquitur, vel *docendo* talem doctrinam damnatam (3) quod non fit per solam assertionem talis doctrinae sed per hoc quod quavis ratione studeatur illam in aliorum mentem ingerere seu insinuere, vel illam *defendendo* seu eius patrocinium sumendo, v. gr., contendendo eam esse veram et minime damnandam (4).

Non amplius requiritur, ut doctrina sit damnata sub poena excommunicationis l. s. Cfr. Const. *Apost. Sed.* II, 1, ubi illa poena debebat esse munita ipsa damnatio.

Poenae sunt ferendae sententiae: arceri debent a ministerio praedicandi verbum Dei, ab audiendis sacramentalibus confessionibus et a quolibet docendi munere; his videlicet privantur, quibus alios prava doctrina inficere possent. Insuper Ordinarius, post monitionem, potest infligere alias poenas necessarias ad reparandum damnum.

(1) Cfr. *Wernz-Vidal*, tom. IV, n. 347; *De Meester*, Iur. can. comp. III, n. 1252.

(2) Damnatio ab aliqua S. C. cum approbatione in forma communi R. P. ad hanc figuram delicti non sufficeret, sed damnatio fieri debet nomine et auctoritate R. Pont.

(3) Catalogum doctrinarum seu propositionum damnatarum, passim exhibent in suis compendiis theologiae moralis doctores.

(4) Cum quis in aliquo libro proponit ut suam talem damnatam doctrinam vel ab alio defensam approbat et suam facit, si de damnatione conscius est, in eo pertinacia est praesumenda; liber enim pacato et deliberato studio scribitur et editur, non sicut verba, quae semideliberate proferri possunt et non raro solent.

3º) Qui *scienter* liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre *praesumunt*;

4º) Parentes vel parentum locum tenentes, qui liberos in *religione* acatholica educandos vel instituendos *scienter* tradunt. Parentum locum in educatione prolis tenere quis potest ex lege vel ex pacto aut de facto.

Qui recensentur nn. 2, 3, 4 sunt praeterea suspecti de haeresi ex ipsa iuris dispositione (can. 2319), ideoque tractandi sunt ad praescripta can. 2315, ut suspicionis causam removeant (9).

CAPUT XXXII

De delictis contra religionem (I. V. tit. 12)

(can. 2320-2329)

411. Praenotiones. Quibus actibus contra religionem peccetur docent moralistae, a quibus, praeter modos quibus religio negative laeditur, positiva peccata contra religionem dispertiuntur in duplicem speciem; in actus *superstitiosos*, quibus religio offenditur, ut dicitur, *quasi per excessum*, et in actus *irreligiositatis*, quibus religio dicitur offendi *per defectum*. Superstitio est cultus religiosus vitiosus. Irreligiositas sonat actum cultui contrarium, sc. irreverentiam aut contumeliam, quae aut est directe contra Deum, puta blasphemia, aut est directe contra res sacras et constituit *sacriligium*.

Sua gravitate, praesertim in ordine ad bonum publicum, delictis contra fidem accedunt delicta contra religionem, quae hoc titulo XII I. V, poenis mulctantur.

Delicta vero quae ipsi Deo iniuriam inferunt cetera gravitate excedunt et maxime laedunt societatis religiosae publicum bonum. Tales sunt iniuriae reales in Deum-Hominem, blasphemia, periurium.

legis civilis praescripto proles educanda est in religione patris vel secundum sexum in religione patris aut matris. Quae fraus nequit esse modus evadendi poenam: quare eadem poena saltem per sententiam sunt plectendi.

(9) lute praecedenti haec crimina specifica non fuerunt speciali lege poenali considerata; sed facile subsumebantur sub generali delicto praebendi *favorem haeresi*.

Iniuriae reales contra Deum (can. 2320).

412. I. Iniuria realis in Deum (1) committitur per *profanationem Eucharistiae*, qua Deo ipsi in Eucharistia praesenti iniuria irrogatur dum hostiae consecratae temerantur. Triplex profanatio percellitur canone 2320: 1º) species consecratas *abiicere*; 2º) easdem in malum finem *abducere*; 3º) in malum finem *retinere*.

Abiicere seu proiicere significat actum illum, quo res viles proiiciuntur; non est autem necessarium ut in locum sordidum proiiciantur; quare delictum committeret, qui furaturus pyxidem particulas consecratas humi vel in scammo Ecclesiae aut alibi spargeret. Particulae praesumi debent consecratae quae in tabernaculo asservantur, quae venerationi fidelium in pyxide vel in ostensorio exponuntur, quae a sacris ministris pro s. communionem distribuuntur. Nec ad complendam hanc primam delicti figuram requiritur pravus finis in abiiciente seu proiiciente, ipse actus effundendi seu proiiciendi malum finem implicat et continet gravissimam irreverentiam et iniuriam Deo illatam.

Abducere in alium locum vel *retinere* apud se delictum constituit, si fiat in malum finem, qui sane praesumitur, non si ex immodica et profecto falsa devotione aut forte causa necessitatis id faceret. Pariter delinquit, qui abducat sciens alium Sacramentum profanaturum.

Poenae sunt: a) excommunicatio *specialissimo modo* reservata, lat. sent.; b) suspicio de haeresi; c) infamia iuris lat. sent.; d) pro *clerico* insuper *depositio* fer. sent.

lute quoque praecedenti gravissime puniebatur ablatio hostiae consecratae, nimirum degradatione in clerico; insuper clericus et laicus erant tradendi brachio saeculari, in quo foro erat statuta poena mortis. Codic. penale Gregoriano a. 80 retinet poenam mortis, ante delicta laesae Maiestatis (2).

(1) Cfr. Hadrianum VI, ep. « *Dudum* », 20 Iul. 1522; Innocent. XI, Const. « *Ad nostri Apostolatus* » 12 Mart. 1677; Alexan. VIII Const. « *Cum alias* » 22 Decembr. 1690; Benedict. XIV, Const. « *Ab augustissimo* » 5 Mart. 1744; Clemens XIII, Const. « *Gravissimum* » 6 Mart. 1759.

(2) Cfr. Kober, D. Deposition 788; Hinschius, V, 755. De antiquis poenis fori saecularis, cfr. Pertile, Storia del dir. pen. It., § 194; Nuovo Cod. pen. It., a. 404; Cod. Ger., § 766; Cod. Austr., § 122, 175.

II. *Abusus Eucharistiae* in celebratione Missae committitur a sacerdote, qui sine debita licentia *praesumit* eodem die *Missam iterare* aut sine legitima causa (3) *non ieiunus celebrare*. Ob verbum *praesumit* excusat ignorantia non facile admittenda et gravis metus (can. 2321).

Poenae constituta: est *suspensio* a Missae celebratione fer. sent. ad tempus ab Ordinario praefiniendum, quae proinde non est censura. Ceterum delictum consummatum est delictum mere praeteritum, sine tractu successivo, quod censura puniri non potest, quae sit ferendae sententiae.

413. Historia. Delictum iterationis Missae est iuris dumtaxat ecclesiastici (can. 806), quod iam fit manifestum ex facta permissione binationis (cit. can.) et exceptionibus iure factis. Porro cum iam saec. V et VI consuetudo christianae celebrationis saltem unius Missae totum christianum orbem pervasisset (4), etiam paulatim introductus fuit usus atque etiam abusus pluries in die celebrandi, non solum a diversis sacerdotibus, sed etiam ab eodem. Cfr. can. 5 Conc. Toletani XII (a. 681) ubi reprehenduntur sacerdotes pluries in die celebrantes et in ultimo tantum sacrificio sacram communionem recipientes. At vicissim Walafridus Strabo de S. Leone III (795-816) refert plures in die Sti. Pontificis celebrationes, et varietatem usus de numero Missarum celebratarum refert nec improbat (5). Praesertim vero alteram missam in favorem hospitem et peregrinorum celebrandam fuisse permissam tradit Regino († a. 915) (6), itemque quando ex usu liturgico plures celebrandae erant et unicus aderat sacerdos. Atque haec videntur causam praebuisse abusu iteratae celebrationis privatae. — Prohibitum fuit celebrare ultra tres Missas in die, cfr. Canones editi ab Edgardo, can. 30 "Docemus etiam, ut nullus sacerdos uno die saepius quam ter ad summum missas celebret," (7); quod praescriptum, addita poena, iteratum invenitur apud "Leges presbyter. Nortumbrensiarum," n. 18 itemque in Conc. Salgunstadiense (in Germania) a. 1022, can. 5. —

(3) Legitimas causas recensent et apte circumscribunt moralistae v. gr. *Noldin*, III, n. 155 sq.

(4) *Many*, De Misse, n. 13.

(5) De rebus ecclesiast. cap. 21 apud Migne PL, tom. 114, col. 943.

(6) De eccles. disciplin. apud Migne PL t. 76, col. 187.

(7) Mansi, Concilia, t. XVIII, col. 516.

Deinceps vero facta est restrictio ad unam Missam in die, can. 53 D. 1 de consecr. (Alexander II a. 1061-1073), reprobato abusu orto ex motivo pecuniae aut adulationis saecularium. Quem R. P. secuti sunt alii, velut Innocentius III (cap. 3 X de celebr. miss. III, 41) et Honorius III (cap. 12 eod.); Conc. Lambetense (a. 1204) et alia eiusdem et posterioris aetatis (8).

Praescriptio ieiunii naturalis, Missae celebrandae anteponendi, est antiquissima. Cfr. *Wernz-Vidal*, tom. IV, n. 73, not. 53; *Many*, De Missa, n. 171 sq. ubi afferuntur canones diversarum ecclesiarum.

414. III. Usurpatio ordinis sacerdotalis habetur si actiones sacrae quae iure divino aut canonico sacerdotibus sunt reservatae ab eo ponantur, sive clerico sive laico, qui ad ordinem sacerdotalem promotus non sit. Unde manifestum est quod ex hoc titulo reus delicti fieri non potest *sacerdos*, quavis prohibitione vel poena canonica ipsi interdictum fuerit sacerdotalis potestatis exercitium. Triplex ratio delictum committendi:

a) *Simulando Missae* celebrationem i. e. ritus et caerimonias Missae ita perficiendo ut adstantes decipiantur, tametsi verba consecrationis non proferantur.

b) Excipiendo sacramentalem confessionem seu alterius peccata audiendo in talibus adiunctis, ut is putet ea se accusare in ordine ad absolutionem, tametsi ipsa absolutio non detur.

Poenae. Gravissima haec usurpatio contra ius divinum punitur 1^o) excommunicatione speciali modo reservata lat. sent.; 2^o) in *laico* insuper *privatione* pensionis aut muneris aliisque poenis fer. sent.; 3^o) in clerico *depositione* fer. sent.

c) Usurpando alia munia sacerdotalia v. gr. sacramenta vel sacramentalia, quatenus haec sacerdotibus sunt reservata.

Poenae: indeterminata arbitrio Ordinarii pro gravitate culpa.

415. Historia. Cum omni ordini sive ex iure divino sive ex iure ecclesiastico (9) certae functiones sint propriae, semper in Ecclesia exercitium ordinis non suscepti grave fuit reputatum delictum. Quare cum *diaconi* tempore persecutionis Deocletiani multis

(8) Mansi, l. c. t. XXII, col. 752. Cfr. *Marten*, De antiquis Eccl. ritibus, l. I, cap. III, a. 3, n. 18; *Durandus*, Rationale, l. IV, cap. I, n. 25 sq.; Benedictus XIV, in cel. epist., « *Declarasti* » 16 Mart. 1716 et in « De sacr. Missae » sect. II, n. 23 sq. Quoad facultatem binandi nunc standum est can. 806.

(9) Cfr. *Muenchen*, p. 675 sq.; *Gasparri*, l. c. n. 333 sq., 1129 sq.

locis officium offerendi Eucharistiam usurpassent, id can. 15 Conc. Arelat. (a. 314) "*minime fieri debere*," statuit, similesque abusus diaconorum c. 18 Conc. Nicaeni (a. 325) condemnantur (10) sub poena privationis diaconatus. *Presbyteri* quoque si quodpiam ad episcopale ministerium specialiter pertinens suo motu putaverunt exsequendum, continuo presbyterii dignitate et sacra communione privati sunt, ut praeunte Conc. Sardicensi (a. 343-344) c. 19 (11) etiam statuerat Gelasius I (12) a. 494. Qua in re idem «antiqui canones vetuerunt»; denuo presbyteris vetuit etiam Conc. Bracar. II, c. 19 (a. 563) sub poena depositionis ab officio. *Hefele* t. II, p. 80, 722 sq.

Inde ex saec. VIII non desunt statuta, quibus praesertim duplex delictum usurpati ordinis punitur scl. celebratio missae atque absolutio in foro sacramentali a clerico ad presbyteratum non promo (13). At dubitari non potest, quin canones in compilationem authenticam Gregorii IX translatis rigorem poenarum iuris antiqui contra istud delictum potius imminuerint quam auxerint (14).

Ab ista mitiore praxi Rom. Pontifices saec. XVI recedere coeperunt, et iam Clemens VIII (15), vestigia Pauli IV et Pii V secutus, in sacrilegam usurpationem ordinis sacerdotalis per celebrationem missae vel per auditam sacramentalem confessionem factam novas et severissimas statuit poenas: quae ab Urbano VIII (16) et Benedicto XIV (17) non solum abrogatae non sunt, sed reiectis frivolis actibus iudicialibus et aucto rigore procedurae iudicialis potius maiorem vim atque efficaciam consecutae sunt.

(10) *Hefele*, Conciliengesch. t. I, p. 213 sq.; 424.

(11) *Hefele*, t. I, p. 601 sq.

(12) Gelasius I ep. ad Ep. Lucan. cap. 6 (Thiel, Ep. R. P. I., p. 365 sq.).

(13) *Kober*, l. c. p. 782 sq.

(14) Cfr. cap. 2, 3 X h. t. (V, 27, 28). Urbanus II a. 1185-1187 cum text. cit. iur. aut.; *Kober*, l. c. p. 782 sq. et 164 sq.

(15) Const. «*Et si alias*» 1 Dec. 1601, ubi delictum celebratae missae vel audite confessionis dicitur puniendus degradatione *de se* coniungenda cum traditione brachio saeculari facienda, ut poenis quoque saecularibus plecteretur, quae traditio ob defectum brachii saecularis iamdiu obsolevit.

(16) Const. «*Apostolatus off.*» 23 Mart. 1627.

(17) Const. «*Sacerdos*» 20 Aprilis 1744; const. «*Divinarum*» 2 Aug. 1757; Encycl. «*Quam grave*» 2 Aug. 1757, ubi in haec materia reis confessio in iudicio negatur ad mitigationem poenae suffragari. Quae vero Benedictus XIV cit. const. statuit *de tortura* iamdiu a praxi Ecclesiae sunt aliena. Cfr. *Thesaurus*, l. c. v. Ordo caput 32; *Kober*, l. c. p. 786 sq.

CAPUT XXXIII

Iniuriae verbales contra Deum

§ 1. De blasphemia (1)

Fontes: Decret. Grat. c. 4 (Gregor. M.) D. 25; c. 10 (Ps. Pius), C. XXII, q. 1; c. 10, 13 C. XXIV, q. 3. — Cap. 2 X. (Gregor. IX) *de maledicis* V, 26. — Leo X. Const. «*Supernae dispositionis*» 5 Maii 1514 in Conc. Later. V, sess. IX; Iulii III Const. «*In multis*» 1 Febr. 1554 (pro solis Romanis); Pii V Const. «*Cum primum*» 1 Apr. 1566 in Decret. Clem. Pap. VIII l. V, tit. 14 de maledicis ed. Sentis p. 172; Innoc. XI Edict. 10 Maii 1680; Liber sept. l. V, tit. 7 de blasphemis et aleatoribus; Instr. Prag. § 92.

Scriptores: Comment. iur. Decret. h. t. (V, 26), praesertim *González Téllez* et *Giraldi*; *Zech* l. c. tit. 20 de blasphemis; *Devoti* l. c. tit. 10, de maledicto et blasphemia; *Hollweck* l. c. § 127; *Thesaurus*, De poenis v. Blasphemantium.... poenae; *Ferraris*, Bibl. v. Blasphemia; *Muenchen*, Das canonische Strafrecht, p. 670 sq.; *Hinschius* l. c. tom. V, p. 184; *Schiappoli*, Diritto pen. canon. n. 243 sq.; *Vacant*, Dictionn. d. Théolog. t. I, col. 907 seq. (2).

416. Inter irreligiositatis delicta sine dubio blasphemia ob summum contemptum Deo ipsi irrogatum principem locum tenet, licet, proh dolor in pluribus regionibus horribile hoc vitium adeo invaluit, ut sit vera pestis religionis honori foedissime detrahens.

417. **Definitio.** Blasphemia, licet generatim denotare possit etiam iniuriam verbalem homini illatam (3), tamen sensu stricto (4) est *contumeliosa locutio* (5) *in Deum*.

(1) Novella 77; Regol. penale Gregor. XVI, c. 73, i. e. *primum* de specialibus delictis et ante ipsum crimen laesae maiestatis. De legislationibus modernis, cfr. C. Germ. § 166, C. Austr. § 122; C. Hisp. a. 586 necnon legis de Provinc. (a. 1882) a. 22, legis municipalis (a. 1872) a. 114 iunct. *López Peláez*, El derecho español § 26; Nov. C. It. (a. 1930) a. 402, expresse vero a. 724 sed inter *contravvenzioni*.

(2) Cfr. ex Theologis: *S. Thomam*, 2, 2, q. 13; *Suárez*, De virt. et stat. relig. tract. III, l. 1, cap. 1, 4 sq.; *Tanner*, De fide, q. VII, dub. 7; *Ballerini-Palmieri*, tom. II, n. 509 sq.

(3) *Muenchen*, l. c. p. 670; Dict. d. Th. l. c.; *Vigouroux*, d. la Bible, t. I, col. 1806 sq.

(4) De sensu quodam lato blasphemiae cfr. c. 5, C. XXV, q. 1; c. 15, C. XXXIII, q. 5.

(5) Cum locutio in ista definitione tantum denotet verba *ore* vel *scripto* prolata, non qualemcumque mentis significationem factis vel signis manifestatam

Divisio. Blasphemia dividitur in enuntiativam vel *haereticalem* sive qualificatam, et in imprecativam vel simplicem sive non haereticalem. Prior de Deo aut negat, quod ipsi proprium est (derogativa) aut affirmat, quod a Deo plane alienum est (attributiva). Quae enuntiatio haereticalis in blasphemia potest esse formaliter haeretica aut materialiter tantum. Altera blasphemia simplex consistit in sola contumeliosa locutione in Deum per convicia (dehonestativa) aut maledictiones (exsecrativas) et haereticam assertionem vel negationem neque formaliter neque virtualiter habet adiunctam. Cfr. *Suárez* l. c. cap. 4, n. 6, 7, 8, 9, cap. 5, n. 7, 8; *Devoti* l. c. § 1.

Praeterea blasphemia dividi potest in eam, quae directe in *Deum* aut in B. V. Mariam aut in Sanctum profertur (6). Neque abs re est divisio blasphemiae externae (de interna in foro externo non agitur) in *occultam* et *publicam* (7) sive coram compluribus aliis personis prolata.

418. Notae historicae. Cum blasphemia ipso divino iure naturali et positivo (Levitic. XXIV, 16) fuerit condemnata, primis saeculis speciales canones poenales de hoc delicto non reperiuntur. Cuius rei ratio non solum ex bonis moribus primorum christianorum videtur esse repetenda, sed etiam exinde, quod blasphemia in praxi potissimum cum apostasia a fide esset coniuncta (8) ideoque sub ista specie delicti subsumpta. Finitis persecutionibus raras sunt sanctiones canonicae contra blasphemiam, ut patet ex paucis textibus

(cfr. *Suárez*, l. c. cap. 4, n. 3 sq.), per se blasphemia in *verbalem* et *realem* dividi nequit, licet illa divisio in ordine ad poenas v. g. in ipso foro saeculari incurrendas sua utilitate non careat; *Chelodi*, l. c. n. 63, quod iniuria factis vel signis contumeliosis non constituat elementum obiectivum huius delicti, cum verba in poenalibus accipi debeant secundum eorum vim propriam. Aliter *Ferreres*, Instit. II, n. 1105; *Matth. a Coronata*, n. 1892 in ipsa definitione ponens actionem contumeliosam; Cfr. *Ferraris*, l. c. art. 1, n. 12; *Regol. pen. Gregor. XVI*, art. cit. 78, 79; *Caramelli*, in cit. *Reg. pen.* p. 159. Ita etiam *Müller*, Theol. mor. t. II, § 77 blasphemiam definit: « locutio vel actio contumeliosa in Deum »; videlicet blasphemiam opponitur *laudi* Dei, quae laus tribuitur per *verba*; *honor* vero etiam aliis signis exterioribus exhibetur et idcirco facta vel alia signa quibus laeditur honor *reducuntur* ad blasphemiam. *S. Thomas*, 2, 2 q. 103 art. 1, ad 3; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 513.

(6) Cap. 3 X h. t., Pii V, Const. « *Cum primum* » § 10; *Regol. pen. art. 73*; *S. Thom.* l. c. 2, 2 q. 13, art. 1 ad sext.; *Suárez*, l. c. cap. 5 n. 1 sq.

(7) Cap. 2 X, h. t.; *Regol. penale Gregor. XVI*, l. c.; *Suárez*, l. c. cap. 4 n. 2.

(8) *Euseb.*, Hist. eccl. l. IV, c. 15, l. VI, c. 41; *Devoti*, l. c. §§ 1, 2.

allegatis a Gratiano l. c. et ex statutis antiquorum librorum poenitentialium (9) quibus haud frequenter neque claris verbis de stricta blasphemia agitur. At legibus romanis (10) et capitularibus Francorum blasphemia gravibus poenis castigata est. Gratianus l. c. non nisi antiquos canones recensuit et omisso titulo de maledicis in omnibus antiquos compilationibus antiquis, unice cap. 2, h. t. X, a Gregorio IX in corpore iuris canonici blasphemia publica delictis ecclesiasticis expresse adnumeratur et poenis canonicis subiicitur. Quae poenae postquam iam legislatione particulari sunt auctae (11), inde a Concilio Lateranensi V (sess. IX) in severiorem disciplinam fuerunt commutatae et etiam disertis verbis in *clericos* blasphemantes extensae, additis tamen temperamentis a Iulio III l. c. et denuo a Pio V l. c. etiam per accuratiores distinctiones inter blasphemantes et inter clericos beneficiatos et non beneficiatos. Inde novae leges universales contra blasphemiam latae non sunt.

419. Vis et ambitus blasphemiae. Delictum ecclesiasticum blasphemiae constituitur externa et *publica* locutione graviter (12) contumeliosa sive ore sive scripto (13), per enuntiationem vel per execrationem in Deum (Christum, Eucharistiam) vel in B. Virginem Mariam vel in Sanctum prolata (14). Quare blasphemia externa et occulta, quae non est *apta* ad *publicum* scandalum generandum, sane grave est peccatum foro poenitentiali subiiciendum, sed in foro externo reatum blasphemiae non constituit; at in foro ecclesiastico minime requiritur, ut blasphemia illa externa et publica actu et de facto scandalum producat, sufficit vera *publicitas* (15) locutionis graviter contumeliosae in Deum vel B. V. M. vel Sanctum coram aliis prolatae.

Quod blasphemiae delictum merito ab Ecclesia criminibus ecclesiasticis adnumeratur. Etenim est gravissima contumelia ipsi Deo

(9) *Schmitz.*, Die Bussbuecher, p. 414, 637.

(10) Novella 77.

(11) Cfr. c. 8 Conc. Forl., a, 1286; c. 27 Conc. Ravenn., a. 1311; c. 3 Conc. Benevent., a. 1378.

(12) *Schmalzgr.*, h. t. n. 18 sq.

(13) De blasphemia *reali* cfr. *Suárez*, l. c. cap. 4, n. 3 sq.; *Bangen*, l. c. p. 108; *Regolam. pen. Gregor.* art. 78, 79, 80.

(14) De discrimine quoad poenas inter blasphemiam in Deum et B. V. et in Sanctum, cfr. Pii V, Const. cit. § 10.

(15) Cap. 2 X h. t.; *Regol. penale Gregor.* art. 73.

omnipotenti et infinite bono illata. Quae laesio divinae maiestatis certe non levius est vindicanda quam gravis laesio principis humani (16). Porro qui blasphematur in Deum et Christum, principale obiectum laudis, benedictionis, cultus ecclesiastici ipsumque Ecclesiae fundatorem contumeliis afficit; hinc optimo iure Ecclesia suam explicat potestatem coercitivam, cum huiusmodi publica contumelia in ipsam redundet. Tandem blasphemia publica creat scandalum, est occasio ruinae spiritualis, deprimit publicam religionis aestimationem atque ita subvertit fundamenta Ecclesiae et ipsius societatis civilis (17). Tutela igitur ordinis socialis et ecclesiastici et civilis omnino exigit, ut publica blasphemia etiam inter delicta ecclesiastica recenseatur.

420. Poenae blasphemiae. I. *Iure Codicis* punienda est arbitrariis poenis (18), praesertim in clericis, pro diversa gravitate et scandalo dato (can. 2323) (19).

II. *Iure praecedenti.* a) Poenitentiae, quae iuxta cap. 2, X, h. t. a blasphemis sub poena interdicti ab ingressu in Ecclesiam et denegatae sepulturae fuerunt suscipiendae, iam pridem non amplius erant in usu. Id quod multo magis obtinebat de mulcta pecuniaria per magistratum civilem ex eod. cap. 2, X, h. t. exigenda (20).

b) Severissimas vero poenas a Leone X l. c. in blasphemiam statutas et a Iulio III temperatas denuo emolliverat Pius V, immo teste Cardinali Albitio etiam Pii V poenae iam suo tempore in S. Officio non fuerunt in usu, sed pro qualitate blasphemiarum et personarum poenae arbitrariae erant infligendae (21): nonnullae vero

(16) *Levit.*, l. c. Novella 77.

(17) Cap. 2 X h. t. i. f.; De punitione etiam in foro civili, cfr. v. g. Cod. poen. Hisp. art. 586 iunct. sententiis Trib. Supr. apud *Gury-Ferreres*, t. I. n. 299 et apud *López Pelaez*, *El derecho español*, p. 100. De poenis vero severissimis in foro saeculari usque ad saec. XVIII inflictis fuse atque satis aequo iudicio disserit *Pertile*, *Storia del diritto penale* § 134.

(18) Censurae latae sententiae etiam iure praecedenti erant exclusae, cfr. *Suárez*, l. c. cap. 7 n. 2.

(19) De censuris ferendae sententiae iuris praeced. Cfr. c. 10 (Ps. Pius) C. XXII, q. 1, et praxim S. C. Inq. apud *Santi*, h. t. n. 5.

(20) Poenitentiae huius cap. 2 X h. t. in poenitentiali Mediolan. S. Caroli (cfr. *Schmitz*, l. c. p. 813) frustra renovatae fuerunt; *Giraldi*, l. c. P. I. sect. 860.

(21) *Giraldi*, l. c.; *Devoti*, l. c. § 3 not. 4. Poenae a Pio V sancitae erant; in laicos expresse blasphemantes in Deum et D. N. I. C. vel B. V. prima vice mulcta 25 ducatorum, secunda vice duplum, tertia vice 100, ducat. et exsilium;

poenae iamdiu a foro ecclesiastico erant omnino alienae v. g. perforatio linguae in laico tertia vice blasphemante, fustigatio clerici prima vice blasphemantis.

421. Procedura iudicialis in causis blasphemiae. Blasphemia simplex sive non haeretica, cum merito haberetur ut delictum mixti fori, et a iudice ecclesiastico et a iudice saeculari puniri potuit (22). Quare in hac causa *praeventioni* fuit locus. Blasphemia vero haeretica a solo iudice ecclesiastico erat diiudicanda (23) et idcirco in causis blasphemiae haereticae propter adiunctam haeresim et in causis blasphemiae realis ob suspicionem haereseos etiam tribunal Inquisitionis fit competens. Cfr. *Bangen* D. Roem-Curie, p. 108.

Et Leo quidem X l. c. (24) denuntiationem coram aliis blasphemantium sive apud iudicem ecclesiasticum sive saecularem praescripsit, atque adeo si plures blasphemantem audivissent, singulis onus illum accusandi imposuit, nisi ex omnium conventionem unus pro cunctis tali officio fungeretur, quae obligationes ex lege et sanctione canonica in foro externo non amplius urgeri possunt.

Scholion. Inter delicta religioni opposita, quae sub specie irreligiositatis comprehenduntur ipsique Deo immediate irreverentiam inferunt, recensenda est *tentatio Dei expressa et interpretativa* (25). Ad quam interpretativam Dei tentationem referenda est purgatio vulgaris (26). Quae licet in foro saeculari tempore medii aevi habuerit

quodsi fuerit plebeius solvendo impar, prima vice manibus post tergum ligatis ante fores eccl. est constituendus per diem integrum, secunda vice per urbem est fustigandus, tertia vice lingua est perforanda et mittendus in exsilium. Clericus vero blasphemus prima vice fructibus unius anni privandus, secunda vice beneficiis, tertia dignitatibus privatus, deponendus et in exsilium mittendus; quodsi clericus beneficio careat, prima vice pecuniaria vel corporali poena plectendus, altera vice in carcerem detrudendus et ad triremes mittendus. Blasphemia in Sanctos iudicis arbitrio, habita ratione criminis et personarum puniri iubetur. Quae poenae poenis fori saecularis multo erant suaviores; cfr. *Pertile*, l. c.

(22) Cap. 2 X h. t.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 23 sq.; *Regol. pen. Gregor.* art. 73 sq., 82.

(23) Cap. 18 de haeret. V, 2 in Sext.

(24) Iulius III cit. Const. (pro Romanis) in non denuntiantes severissimas poenas statuerat. Cfr. *Ferraris* l. c. art. 2 n. 18 sq.

(25) *Suárez*, l. c. cap. 1 n. 10, cap. 2.

(26) C. II, q. 5; Cpl. I, l. V, t. 30, de purgatione vulgari; Cpl. II, III, V, l. V, ead. rubr.; *Decret. Gregorii IX*, l. V, t. 35, de purgat. vulg.; *Schmalzgr.*,

vim legitimae probationis iudicialis (27), tamen lege divina et canonica (28) merito fuit proscripita et potius inter delicta ecclesiastica recensita (29). Sed de huiusmodi praxi purgationis vulgaris iam pridem antiquata, proluxa disquisitio practica utilitate caret, et solum habet momentum historicum.

§ 2. De periurio

Fontes; Decret. Grat. c. 12 D. 81 = c. 25. Apost.; c. 17, c. XXII, q. 1; c. 11, C. XXII, q. 4; c. 5, 6, 7, 8, 9, 10, C. XXII, q. 5 - Proprius titulus de periurio l. V non existit. Quare consulendus est in libro tertio tit. de iureiur. in Decret. Gregor. IX (II, 24), Bonif. VIII (II, 40), Clem. V (II, 9). - Gregor. XIII, Const. «*Romanus Pontifex*» 20 Nov. 1585. - Instr. Prag. § 92 (30).

Scriptores: Comment. iur. Decret. in l. II, t. 24. - S. Raymund., Summa lib. I, tit. 9 de iuram. et periurio. - Zech, l. c. tit. 18 de periurio; Devoti, l. c. tit. 12, de periurio; Vering, l. c. § 194; Thesaurus, l. c. v. Periurium; Ferraris, l. c. v. Iuramentum, art. 1, n. 13 sq., v. Poena, art. 2, n. 176. - Kober, D. Deposit. p. 606, 700, 720; Katz. Grund d. canon. Strafrechts. § 19; Hinschius, l. c. tom. V, p. 184-185, 701-703; Schiappoli, l. c. p. 862 sq.; Holweck, l. c. § 128, 197 (31).

h. t.; Suárez, l. c. cap. 3 n. 8 sq.; Zech, De iud. eccl. sect. I, t. 1 § 7, t. 26 § 309 sq.

(27) Walter, Deutsche Rechtsgeschichte § 668 sq.; Fournier, Les officialités au moyen âge, p. 263 sq.; Hildenbrand, Die purgatio canonica und vulgaris; Pertile, Storia del dir. ital. P. I, § 225 «*Dei sacramentali*», § 226, «*Dei giudizi di Dio*»; Wernz-Vidal, tom. VI, n. 713 sq.

(28) Nequit sane negari in Ecclesiis particularibus purgationem vulgarem fuisse admissam. Quodsi Hinschius, l. c. tom. V, p. 345, asserit per longum tempus mediæ aevi «*Ecclesiam aut etiam Rom. Pontifices*» non expresse saltem pro laicis reprobasse, sed potius approbasse purgationem vulgarem, confundit Ecclesiam universalem cum ecclesiis particularibus neque de Romano Pontifice vel de Ecclesia universali solidum affert argumentum, quo assertionem suam probet. Cfr. c. 7, § 1. (Alex. II, a. 1063) C. II, q. 5; c. 20 (Stephanus V) c. 22 (Nicol. I) C. II, q. 5.

(29) Cfr. capita t. 35, l. V; cap. 10 X, de excess. Prael. V, 31. Cfr. De Smedt, Le duel judiciaire et l'Eglise, in periodico *Etudes Religieuses*, t. XLIII, p. 337 sq. t. LXIV, p. 35 sq.

(30) Dig. XII, 2 de iureiur. sive voluntar, sive necess., sive iudiciali; Cod. II, 58 de iureiur., propter calumn. dando; Cod. IV, 1 reb. creditis et iureiur. At proprius tit. de periurio etiam in iure Romano non reperitur; Codice penale Ital. (a. 1930) art. 371; Cod. crim. Germ. § 153; Cod. crim. Gall. § 361 sq. Cod. cr. Hisp. art. 332 sq.; Regol. penale Gregor. XVI nihil habet de periurio, quia in statu pontificio causa ista spectabat ad forum ecclesiasticum.

(31) Ex Theologis cfr. v. gr. Suárez, l. c. tract. V, l. 3, ubi agit de periurio.

422. **Definitio.** Praeter blasphemiam et tentationem Dei maxime infidelitate in votis persolvendis et periurio ipsi Deo irreverentia inferitur. Periurium generatim definiri potest *dolosa iuramenti violatio*. Quare ad periurium non sufficit *qualiscunque culpa*, sed dolus requiritur, quo quis *scienter* mendacium iuramento firmet aut iuratam promissionem *studiose* non exsequatur. Porro cum ad periurium requiratur iuramenti violatio et iuramentum absque invocatione divini nominis non subsistat, facile patet, periurium non committi ab eo, qui fidem absque invocatione divini nominis, sed tantum cum clausula «*fide mea nobili vel sacerdotali*» datam dolose violat (32).

Divisio. Periurium simili quadam ratione dividi potest atque ipsum iusiurandum. Hinc distinguitur periurium *assertorium* et *promissorium*, *iudiciale* et *extraiudiciale*, *publicum* et *privatum*, *simplex* et *sollemne*, *scriptum* et *orale*. Discernendum quoque est saltem in ordine ad sanctionem poenalem periurium a iureiurando incauto (33). Neque omittenda est distinctio periurii *personalis* a *sollicitatione* alterius ad periurium sive effectu secuto sive non secuto (34), et periurii in causa criminali et periurii in causa civili (35).

423. **Notae historicae.** Periurium licet iam satis aperte iure divino naturali et positivo fuerit prohibitum, sacris quoque canonibus iam ex primis saeculis religionis christianae frequenter reprobatur (36). Minime vero Ecclesia eo progressa est, ut ipsum iuramenti usum condemnaret, sed utrumque iuramentum et assertorium et promissorium exclusis abusibus in suo foro recepit (37). Quodsi Ecclesia in Conciliis provincialibus contra periurium severa condidit decreta, non minore rigore in periuros utuntur libri poenitentiales (38). Gratianus ius antiquum iam constitutum satis complete in suum transtulit decretum (39), et quamvis in compilationibus authenticis proprius titulus de periurio desit, tamen capita singularia de periurio,

(32) Zehl, l. c. § 228.

(33) Suárez, l. c. tract. V, l. 3 cap. 5, cap. 20, n. 7.

(34) Cfr. c. 7, C. XXII, q. 5.

(35) Cap. 54 X, de testib. II, 20.

(36) Cfr. c. 25 Apost. = c. 12 D. 81; c. 7, Conc. Ilerd. (a. 524-546) = c. 11 C. XXII, q. 4; c. 17. Conc. Matiscon. I, a. 581, = c. 7, C. XXII, q. 5.

(37) Devoti, h. t. § 1.

(38) Schmitz, Die Bussbuecher, p. 443, 597, 497 et passim.

(39) Cfr. l. c. in Fontib.

haud levis momenti, ibidem non desunt (40). Concilia particularia inde a compilationibus authenticis novis statutis et poenis adiectis delictum periurii notarunt (41). Quare nulla fuit necessitas, ut de delicto adeo evidenti et ipsis legibus civilibus severissime punito novae in dies prodirent leges universales Ecclesiae (42).

424. Vis et ambitus periurii. Delictum periurii in foro ecclesiastico etiamsi maxime comprehendat dolosam violationem iuramenti *assertorii*, tamen etiam periurio *promissorio* constituitur (43). Periurium iudiciale praesertim in causa criminali (44) sane ceteris gravius existit magisque damnosum, nihilominus ex fontibus canonicis delictum ecclesiasticum periurii *non* restringitur ad solum periurium *iudiciale* (45); fontes enim canonici iuris communis huiusmodi limitationem non insinuant. Cfr. de iure partic. Instr. Prag. § 92. Sollicitatio quoque alterius ad periurium sive effectu secuto sive non secuto merito inter delicta ecclesiastica recensetur (46).

Periurium in iure canonico *principaliter* punitum tamquam delictum patratum contra reverentiam Deo debitam (47). Quod motivum, cui recentiores quidam iuristae (48) ob insufficientes rationes sese opponunt, nequaquam prohibet, quominus periurium etiam ob alias rationes *secundarias* ex ordine sociali petitas puniatur; laeditur enim periurio fides publica et dignitas tribunalium, ius partium (49).

Circa periurium *iudiciale* eiusque poenas conferendi sunt cc. 1743, § 3; 1755, § 3; necnon cc. 1757, § 2; 1795, § 2 quod periuri nequeant esse testes aut periti.

(40) Cfr. cap. 10 X, de iudic. II, I, de periurio clerici; cap. 10 X, de iureiur. II, 24, de viol. promissor. iuram.; cap. 12, pr. X, eod. de periurio Episcopi gravius puniendo.

(41) *Hinschius*, l. c. p. 185.

(42) *Gregor. XIII*, Const. cit. « *Romanus Pontifex* ».

(43) Cap. 10, 12 X de iureiur.

(44) 7, 54 X, de testib. II, 20; lib. II, tit. 7, de iuramento calumniae; de iurament. credulit. in caus. matrimonial. cfr. cap. 5, 7 X, de frig. IV, 15.

(45) Cfr. cit. cap. 7, 8, 10, 12, 15 X, de iureiur.; *Thesaurus*, l. c. n. 1; professio iurata fidei cath.; iuram. officii; *Suárez*, l. c. cap. 20 n. 11.

(46) Cfr. c. 7, C. XXII, q. 5 = c. 17, c. Conc. Matiscon.

(47) *Devoti*, l. c. § 1; *Schiappoli*, l. c. n. 246.

(48) *Rechtslex. v. Meineid*.

(49) Cfr. c. 1 C. XXII, q. 1.

425. Poenae periurii. I. *Iure Codicis* praeter ea quae dicta sunt de periurio iudicali, extraiudiciale periurium, sicut dictum est de blasphemia, puniendum est poenis arbitrariis, praesertim in clericis, quod valet tam de periurio assertorio quam de promissorio. *Iure praecedenti.* Poenae latae sententiae non fuerunt statutae. Severius etiam procedebatur contra clericos, qui propter periurium inde a suspensione ab officio et beneficio usque ad privationem officii et beneficii, immo etiam perpetuam depositionem a iudice ecclesiastico puniri potuerunt. Qua in varietate poenarum potissimum erat attendenda differentia inter periurium assertorium et promissorium, gravitas et circumstantia delicti et dignitas personae (50).

Infamia facti ex periurio in iudicio comprobato vel alias notorio (51) plerumque contrahitur, et consequenter periuri fiunt irregulares ex infamia etiam iure Codicis ad normam can. 987, 7°.

CAPUT XXXIV

De superstitione et sacrilegio

426. Illud in antecessum animadvertendum est, generali modo punibilem reddi quemlibet actum superstitiosum et quemlibet actum sacrilegum: « Qui superstitionem exercuerit vel sacrilegium perpetraverit, pro gravitate culpae ab Ordinario puniatur » (can. 2325). Cum variorum actuum diversa sit gravitas, solae poenae ferendae sententiae statuuntur, ad arbitrium Ordinarii diversae gravitati culpae proportionandae. Supposita cuiusvis actus sacrilegi vel superstitiosi punibilitate, in particulari Codex determinatos tantum actus enumerat cum respectiva poena; ideo in cit. canone additur clausula « salvus poenis iure statutis contra aliquos actus superstitiosos vel sacrilegos ».

Tum superstitione tum sacrilegium [opponuntur] virtuti religionis, quamvis diverso modo.

(50) Cap. 10 X. de iureiur.; *Suárez*, l. c. n. 21, 22; *Kober*, l. c. in literat.; *Zech*, l. c.; *Schiappoli*, l. c. n. 248.

(51) Cap. 17, X de tempor. ord. I, 11, iunct. cap. 7, 53, X de testib. II, 20; c. 7, C. XXII, q. 5; c. 9, C. III, q. 5; c. 17, C. VI, q. 1; *Suárez*, l. c. n. 7 sq.; *Thesaurus*, l. c., ubi etiam exponunt casus, quibus ipso facto infamia iuris incurri dicebatur, dispensatione non sola poenitentia tollenda.

§ 1. De actibus superstitiosis

Fontes: Decret. Grat. C. XXVI, q. 1-5 incl. - Cpl. I, l. V, t. 17 de sortilegiis; Cp. V, l. V, t. 9 de sortilegiis. - Decret. Gregor. IX, V, 21 de sortilegiis. - Innoc. VIII Const. « Summis » 5 Dec. 1484; Leo X Const. « Honestis » 15 Febr. 1521. Const. « Supernae » 5 Mail 1514 § 41; Sixt. V, Const. « Coeli et terrae » 5 Ian. 1586; Gregor. XV, Const. « Omnipotentis Dei » 20 Martii 1623; Urban. VIII, Const. « Inscrutabilis » 1 April. 1631; Decret. S. C. Inq. 5 Aug. 1745; Collectanea S. C. de Prop. F. n. 1607 sq. (1).

Scriptores: Commentat. iur. Decret. in h. t. - Zech, l. c. tit. 19, de sortilegiis; Ursaya, l. c. p. 143 sq.; De Luca, l. c. p. 155 sq.; Devoti, l. c. t. 13, de divinatione, tit. 14 de magia; Vering, l. c. § 193; Thesaurus, l. c. v. Poculum, cap. 2, 4, v. Superstitio; Ferraris, l. c. v. Superstitio; Muenchen, l. c. tom. II, p. 560. - Kober, D. Deposit. p. 633 sq. 714, 721, 792; Hinschius, l. c. tom. V, p. 160 sq.; p. VI, t. 397 sq., 694 sq.; Schiappoli, l. c. n. 326 sq.; Hollweck, l. c. § 109; Kraus, Reat-Encykl. vv. Amulete, Loos, Wahrsag; Kirchenlex. v. Hexen (sagae) sq.; Kirchl. Handlex. v. Hexenprocess (2).

427. Definitio. Superstitio (3) universim spectata est *delictum religioni oppositum per excessum*. Religioni vero oppositus est iste excessus, quia superstitione aut creaturae exhibetur cultus divinus, qui ipsi non debetur, aut Deo, cui perfectus cultus debetur, exhibetur indebito modo et circumstantiis non probatis.

Divisio. Superstitio dividitur: I. In *superstitionem indebiti modi* colendi Deum. II. In *superstitionem indebitae rei*, sive per *idololatriam*, qua loco Dei adoratur creatura, sive per *divinationem*, qua homo petit a creatura cognitionem occultorum, v. gr., per sortilegia, astrologiam, auguria, quae a solo Deo haberi potest, sive per *vanam observantiam*, qua a creatura, tamquam a Deo imploratur auxilium ad opus externum v. g. ad sanandos morbos mediis non proportionatis (4). Idololatriae actus a baptizato positus, saltem in foro externo, est apostasia, ideoque non est huius loci.

(1) Cod. Iust. l. IX, tit. 18 de maleficis et mathematicis et ceteris similibus.

(2) Ex Theol. cfr. S. Thom. l. c. 2, 2, q. 92 sq.; Lugo, de fide, d. 14 s. 3, d. 26, n. 23 sq.; Suárez, l. c. tract. III, 1, 2, de superstitione; Lehmkuhl, Theol. mor. I, n. 351-363; Ballerini-Palmieri, Opus. Theol. mor. t. II, p. 239 sq., 267 sq.; Vermeersch, Quaest. de relig. et piet., n. 170 sq.; Ferreres, Theol. mor., l. n. 350 sq., 361 sq.; Instit. II, n. 1109 sq.

(3) Schmalzgr., h. t. n. 2 sq.

(4) Suárez, l. c. n. 1, 2, 7 n. 1.

428. Notae historicae. Primis saeculis fideles cum crudelibus subiicerentur persecutionibus, non raro abiecta religione christiana saltem extrinsecus denuo Deos falsos coluerunt aut iudaicam vel ethnicam superstitionem post conversionem factam non penitus abiecerunt (5).

Hinc contra huiusmodi superstitionem inde a primis saeculis concilia ecclesiastica (6) severas poenas contituerunt. Neque abusus isti sublatis sunt, cum religio catholica, inter Francos aliosque populos germanicos magis magisque propagaretur; frequentissime enim occurrunt canones tum in Conciliis provincialibus (7) tum in libris poenitentialibus (8) quibus omnis generis superstitiones reprobandantur et poenitentiis poenisque castigantur. Ex his canonibus multi in Decretum Gratiani l. c. transierunt, cum in sola compilatione Gregorii IX, pauca reperiantur statuta ex antiquioribus compilationibus desumpta. In aliis collectionibus authenticis de hoc delicto specialis rubrica novaeque leges non existunt. Quae novae leges universales minus fuerunt necessariae, cum ageretur de re iam pridem prohibita et a Conciliis provincialibus severe punita (9).

Cum abusus ex saeculo decimo quarto ingravescerent, denuo novae prodierunt Constitutiones Sixti IV, Innoc. VIII, Alexandri VI, Leonis X, aliorumque Rom. Pontificum quae saltem ex parte reperiuntur collectae in libro septimo lib. V, tit. 12 de maleficis et incantatoribus. Quae leges pontificiae cum superstitiosa et crudeli procedura tribunalium saecularium contra sagas in non paucis regionibus Europae recepta nihil habent commune (10).

(5) Devoti, l. c. tit. 3 § 3; Kraus, l. c.

(6) Cfr. c. 34, 49, Conc. Illiber., a. 300-306; Conc. Laodic., 343-381; c. 23, Conc. Arelat., a. 443-452; c. 16 Conc. Venet., a. 470, et c. 42 Conc. Agath., a. 506, de sortibus sanctorum, cfr. Hefele, l. c. t. II, p. 595 et c. 6 XXVI, q. 5; c. 30 Conc. Aurel. I, a. 511, et c. 9, C. XXVI, q. 5.

(7) Cfr. c. 15, 16 Conc. Aurel. IV, a. 541, c. 16, Synod. I, S. Patric. a. 450-456; c. 3, 4, 5, Synod. Auscit., a. 585; c. 14, 15, Conc. Narbon., a. 589, c. 14, Conc. Roman., a. 624-625; c. 61, 62, Conc. Trull., a. 692; c. 2, Conc. Tolet. XVI, a. 693; c. 9, Conc. Roman., a. 743; capit. 6, 7, 21, 22, 23 Conc. mixt. Paderborn. sub Carol. M., a. 785.

(8) Schmitz, l. c. p. 457 sq.

(9) Hinschius, l. c.

(10) Cfr. Kirchenlex, l. c. de sagis et earum processu; Pertile, Storia del diritto penale § 194, p. 446 sq.; N. Paulus, Hexenwahn und Hexenprocesse, p. 67 sq.; Duhr, Gesch. der Jesuiten, t. I, p. 731 sq., t. II, 2 p. 481 sq.

Novae ortae sunt difficultates de ritibus superstitionis, cum in India et Iaponia et in Imperio Sinensi religio catholica propagari coepta esset (11). Denique nostro quoque saeculo contra ingruentes magnetismi et spiritismi superstitiones Ecclesiae fuit pugnandum (12).

I. De superstitione ex indebito modo

429. Vero Deo per cultum indebito modo exhibitum irreverentia infertur, si cultus ille sit *falsus*. Id quod duplici ratione fieri potest. Etenim cultus ille forte falsus est *ratione rei significatae* ut fieret in cultu Deo exhibitio per ritus iudaicos, qui significant Messiam *venturum* (13) aut ex *parte colentis*, si quis nomine Ecclesiae adhibet ritus ad colendum Deum contra ipsius institutum (14).

Indebito quoque modo Deus colitur per cultum, qui dicitur *superfluus*. Quam notam isti ritus merentur, qui iudicio proborum et sapientum hominum et imprimis Ecclesiae catholicae neque ad honorem Dei aut fovendam devotionem quidquam conferunt veluti si quis ad obtinendum certum effectum candelas flavi coloris adhibeat, aut missam audiat sacerdotis, cui nomen est Ioannes (15).

II. De divinatione

430. *Divinatio* hoc loco intelligitur *significatio sive cognitio occultorum ex pacto cum daemone*. Quod pactum cum daemone est explicitum si homo expressam habet voluntatem aliquid sciendi a daemone veluti per pythones (16); implicitum vero est, si quis pro cognitione rerum occultarum signum plane vanum adhibeat; quod

(11) Cfr. Collectanea S. C. de Prop. F. I. c. in font. praesertim *Bened. XIV*, Const. « *Ex quo singulari* » 11 Iul. 1742, de ritib. Sinens. et Const. « *Omnium* » 12 Sept. 1744, de ritib. Malabaricis.

(12) Collect. cit. n. 1743, 1754, decreta S. C. Inq.; *Wieser*, in Act. th. Oenip. tom. IV, p. 662 sq., tom V, p. 85 sq.; *Lehmkuhl*, *Ferreres*, *Vermeersch*, *Ballerini-Palmieri*, locis citat. et AA. apud ipsos allegati.

(13) Cfr. cap. unic. X de purif. post. part. III, 47; Collect. S. C. de Prop. F. n. 1702; n. 1757. decr. S. C. Inq. 20 Iun. 1866.

(14) *Benedict. XVI*, Const. « *Omnium* » § 14.

(15) Conc. Trid. Sess. XXII, decret. de observ. et evit. in celebr. miss. § Postremo.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 4 sq.

(16) *Schmalzgr.*, h. t. n. 8 ubi varii modi pacti expliciti, enumerantur. Cfr. quoque *Zech*, l. c.

cum neque ex natura rei neque a bono angelo neque a Deo vim illam significandi habeat, unice sperare potest fore, ut ex interventione daemone istam cognitionem consequatur.

Porro pactum implicitum duplici ratione fieri potest: *una* est, si cognitio rerum occultarum quaeritur ex consideratione alicuius dispositionis iam alias existentis in ipsis rebus, v. gr., ex siderum motu et situ eruuntur occulti eventus; *altera* est, si quis ex dispositione eorum, quae consulto facit, quaerit habere causam adipiscendae scientiae rerum occultarum velut ex projectione taxillorum (17). Olim divinatio exercebatur per astrologiam, auguria, sortes; hodie praesertim per spiritismum et hypnotismum.

III. De vana observantia

431. Cum divinatio ordinatur ad cognitionem rerum occultarum indebito modo obtinendam, *vana observantia* (18) tendit ad consequendum opus externum per media vana et inutilia a divina providentia minime ad hoc ordinata. Merito autem vana dicitur huiusmodi observantia, quoniam certe animae bonum non attingit, sed potius maximum malum, opus vero externum aut frustra exspectatur, aut si quis effectus habetur, est potius damnum in corporalibus et temporalibus quam commodum temporale.

Vana quoque observantia sicuti divinatio potest fieri expresso vel tacito pacto cum daemone: si ad mirabilia operanda tendit proprie *magia*, si ad damnum aliis inferendum *maleficium* vocatur.

Scholion. Quamvis *sortilegia* generatim superstitionibus sint adnumeranda, tamen non omnis usus sortium iure divino et canonico interdictus est. Distinguuntur enim sortes divisoriae, consultoriae, divinatoriae. Et sortes quidem divisoriae in concedendis officiis *ecclesiasticis* omnino prohibentur (19) (officia enim ecclesiastica

(17) Cap. 1, 2, X h. t.; *Schmalzgr.*, h. t. n. 67, 14 sq.

(18) Libr. IV, tit. 15 X, de frigidis et maleficiis; *Wernz*, t. IV, de matr. n. 343, not. 9; *Schmalzgr.*, h. t. n. 11, 12, 13, 49, 50.

(19) Cap. 3 X, h. t. c. 42 X, de elect. 1, 6; *Schmalzgr.*, h. t. n. 38, 39; *Santi*, tamen. in L. 1, tit. 6, n. 15, refert S. C. C. in causa Roman. 2 Maii 1857, decrevisse sustinendam electionem ad canonicatus per sortes ex unanimi consensu electorum factam, postquam in triplici repetito scrutinio aequalia suffragia duobus candidatis favissent, cum certa esset in casu utriusque candidati dignitas et ceteroquin non ageretur de beneficio qualificato quod formam canonicam electionis exigeret. Cfr. quoque *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 350.

dignioribus sunt conferenda); at in aliis quamplurimis casibus seclusa semper superstitione licite adhiberi possunt (20). Similiter sortes consultoriae, etiamsi regulariter illicitae sunt, tamen certis concurrentibus condicionibus extraordinarie non prohibentur. At sortes vere divinariae semper illicitae sunt habendae (21).

432. Poenae superstitionis. *Iure Codicis* ex can. 2325 delictum superstitionis poenis arbitrariis ferendae sententiae puniendum est, ubi determinatus actus speciatim sub determinata poena non fuerit prohibitus.

Iure praecedenti: I. Laici quidem censuris ferendae sententiae (22) aliisque poenis canonicis coerceri poterant (23).

II. Clerici si ista delicta superstitionis commississent, pro qualitate delicti aut puniebantur poenis arbitrariis Episcopi aut suspensione per annum et amplius, si Episcopo ita visum fuerit aut arbitrio Superiorum infamia notari potuerunt et si non desisterent deponi et ad tempus arbitrio Superioris praefiniendum in monasterium detrudi ac beneficiis et officiis privari (24). At degradatio cum huic delicto soli in iure expressis verbis non esset statuta, a iudice ecclesiastico decerni non poterat, nisi aliud delictum degradationi obnoxium concurreret (25). De presbyteris abutentibus sacrificio missae ad sortilegia cfr. cit. decr. S. C. Inq. 5 Aug 1745.

(20) *Schmalzgr.*, h. t. n. 25 sq.

(21) *Schmalzgr.* h. t. n. 35 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 349, 350.

(22) Cfr. *Suárez*, l. c. cap. 19, n. 2 sq.; *Thesaurus*, l. c. v. Superstitio n. IV.

(23) *Leo X*, cit. Const. « *Supernae* » § 41; c. sq. C. XXVI, q. 5; S. C. Inq. 4 Aug. 1556; *Schmalzgr.*, h. t. n. 48, 52; *Muenchen*, l. c. 564; *Suárez*, l. c. n. 12. - At poenitentiae, v. gr., cap. 1, X h. t. Decretal. aliisque locis statutae iamdiu non erant in usu (Instr. Prag. § 90, 91); multoque magis, quae veteres auctores indiscriminatim ex decreto Gratiani atque ex praxi suae aetatis de verberibus et cruciatibus vilium laicorum, de perpetuo carcere honestarum personarum, de stigmati impressione, de eiectione e dioecesi, de turpi dehonestatione proponebant (cfr. *Schmalzgrueber*, h. t. n. 48, 52) et in se non fuerunt satis solide probata iamdiu erant plane antiquata et a foro ecclesiastico aliena. De poenis in foro saeculari statutis cfr. *Pertile*, l. c. p. 446 sq.

(24) Conc. Trid. Sess. XXII, l. c.; S. C. Inq. in cit. Collect. S. C. de P. F. n. 1754, cap. 2 X h. t., *Leo X*, l. c. iunct. cap. 6 X de poenis V, 37; quae detrusio in monasterium iam erat intelligenda secundum praxim nunc receptam de exercitiis spiritualibus et domo correctionis; cfr. Instr. Prag. § 91.

(25) *Suárez*, l. c. *Schmalzgr.* h. t. n. 47; *Kober*, l. c. p. 797 sq.; *Thesaurus*, l. c. n. V; aliter *Muenchen*, l. c. 564 et *Schiappoli*, l. c. n. 241. Sed infamia iuris non legitime infertur ex c. 9 (Ps. Is.) C III, q. 5 nec ex c. 12, C. XXVI, q. 5.

Scholion. Delicta superstitionis veluti magiae, sortilegii, si coniuncta sint cum apostasia a fide catholica vel haeresi, in solo foro ecclesiastico competenter cognosci et definiri possunt. Quo in casu solo etiam Inquisitores fuerunt competentes iudices de divinationibus et sortilegiis (26), donec Sixtus V (27) illorum iurisdictionem ampliaret.

Quodsi ista delicta haeresim vel haereseos suspicionem non habeant admixtam, sunt mixti fori (28), nisi ratione personae, ubi iuxta sanctiones canonicas adhuc vigeat forum privilegiatum, solus iudex ecclesiasticus sit competens. Quare contra laicum etiam iudex ecclesiasticus propter istud delictum procedere potest, sed praeventioni per iudicem saecularem (29) est locus, qui maxime nostra aetate solummodo ratione fraudis vel iniuriae commissae in huiusmodi delinquentes procedere solet.

433. Abusus quoad reliquias. Superstitio falsi cultus est *falsas reliquias* colendas proponere. In quod delictum incidit: 1° qui *falsas reliquias conficit*; 2° aut eas *scienter vendat vel distribuatur* vel *publice fidelium venerationi exponat*.

Poena est excommunicatio l. s. Ordinario reservata (can. 2326). Non requiritur intentio interna superstitiosa, sed factum inspicitur deliberate positum: a secunda delicti figura excusat ignorantia etiam crassa (30).

(26) Cap. 8 § 4 de haeret. V, 2.

(27) Const. « *Coeli et terrae* » § 3, i. f.; *Suárez*, l. c. n. 11; *Bangen*, l. c. p. 107 sq.; *Vacandard*, L'Inquisition, p. 190 sq. non recte ex competentia data inquisitoribus ad cognoscendum de certis delictis v. gr. de superstitione, divinatione, sortilegio, usura, infert a theologis, canonistis, et ab ipsis RR. Pontificibus ampliatum fuisse conceptum haeresis, vel haeresi illa alia delicta esse aequiparata. Ceterum historice constat sub illis delictis, reapse haeresim haud raro latuisse.

(28) *Schmalzgr.* h. t. n. 48, 51; *Zech*, l. c. § 262.

(29) L. 1, 2, 5, 7, Cod. de maleficis IX, 18; *Specul. Saxon.* l. II, art. 13 § 7. Praesertim ex saeculo XIII iudices quoque saeculares in ista delicta inquirere coeperunt et potissimum ex saeculo XVI procedura in sagas vere abominabilis a iudicibus saecularibus in praxim deducta est (cfr. *Kirchenlex.*, v. Hexenprocess, *Duhr*, l. c.), quae nonnisi saeculo decimo octavo paulatim (cfr. circumspectum modum loquendi *Zechii*, l. c. § 78 sq., § 244 sq. de tortura et sortilegiis) abrogata est.

(30) Licet iam ab antiquitate christiana cavendum fuit ne falsae reliquiae invherentur, transferrentur aut venderentur (*Wernz-Vidal*, tom. IV, n. 485 sq.) nulla tamen poena iure communi erat statuta contra abusus legibus ecclesiasticis proscriptos, si excipias excommunicationem (const. Apost. Sedis, II, 15), nunc abrogatam contra extrahentes reliquias ex catacumbis.

§ 2 De sacrilegiis

(Lib. V. tit. 17 de raptor.)

Fontes: Decret. Grat. C. XVII, q. 4 et passim - Compil. antiq. et collect. insert. corp. i. c. proprium tit. «de sacrilegio» non habent sed sparsim de hoc delicto agunt v. g. l. V, tit. 17 X, de rapt. et l. III t. 49 X de imm. ecclesiar. — Benedict. XIV, Const. «Ab augustissimo» 5 Mart. 1744, cfr. quoque Sentis l. c. p. 124 de aliis Const.; Pii IX, Const. «Ap. Sedis» (31).

Scriptores: Comm. iur. Decretal. in cit. tit. (32); *Rolandus, Steph. Torn.* in C. XVII, q. 4; *S. Raymundus*, Summa, l. I, t. 13 de sacrilegiis. — *Zech*, l. c. tit. 19, de sacrilegiis; *Devoti*, l. c. tit. 11, de sacrilegio; *Vering*, l. c. § 195; *Thesaurus*, l. c. v. Sacrilegium; *Ferraris*, l. c. v. Sacrilegium; *Kraus*, l. c. v. Sacrilegium; *Ojetti*, l. c. v. Sacrilegium; *D'Annibale*, l. c. III, n. 13; *Hinschius*, l. c. t. V, p. 226 sq., 755 sq.; *Katz*, l. c. p. 71 sq.; *Ludwig*, in Archiv f. k. K. tom. 69, p. 165 sq.; *Schiappoli*, l. c. n. 255 sq.; *Hollweck*, l. c. § 110.

434. Connexio materiae. Post delicta ecclesiastica ipsi Deo immediate sive per defectum sive per excessum irreverentiam irrogantia, subsequuntur delicta, quibus immediate res creatae Deoque dedicatae iniuriose tractantur, sed mediate etiam Deo iniuria infertur. Quae delicta generali nomine sacrilegiorum comprehenduntur.

Definitio. Sacrilegium, licet sensu lato designare possit omnem violationem (33) iuris publici (legum) Ecclesiae vel omne delictum contra religionem et singulari modo adhibeatur de iniuriosa violatione humanitatis Christi vel eucharistiae (34), tamen sensu stricto est *violatio rei sacrae*. Qua in definitione verbum violationis denotat quamlibet iniuriosam et indignam tractationem rei sacrae; quare *simonia* a genere sacrilegii non excluditur. Res vero sacra intelligitur sensu latiore de qualibet re *creata* etiam de persona, quae ex dedicatione ad cultum *divinum* a *publica auctoritate* sive iure divino sive iure ecclesiastico facta, sancta sive sacra effecta est (35).

(31) Dig. XLVIII, 13 ad leg. Iul. peculatus et de sacrilegis et de residuis; Cod. IX, 29, de crimine sacrilegii; Regolam. pen. Greg. art. 74, 82 incl.

(32) Cfr. ex Theolog.: *S. Thomas*, l. c. 2, 2, q. 99; *Suárez*, De Relig. tract. III, lib. 3; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. II, n. 382 sq.; *Lehmkuhl*, l. c. I, n. 378 sq.; *Ferreres*, Theol. mor. I, n. 371 sq.; Inst. 1112 sq.; *Noldin*, De praeceptis n. 174 sq.

(33) Grat. dict. post. c. 29, XVII, q. 4; *S. Kaym.* l. c. § 1.

(34) *Suárez*, l. c. lib. IV, cap. 9, n. 2 sq., cap. 10 n. 3; lib. III, cap. 6 n. 1 sq.; *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 388; *D'Annibale*, l. c. n. 13 not. 2.

(35) Cap. 7 X de R. l. V. 41 iunct. summ.; *Suárez*, l. c. lib. III, cap. 1, n. 1 sq.; *Zech*, l. c. § 232; *Thesaurus*, l. c. cap. 1; *Lehmkuhl*, l. c. I, 378, qui

Divisio. Sacrilegium secundum obiecta principalia et praxim in Ecclesia receptum, non ex rigoroso quodam ordine logico (36), dividitur in *personale, locale, reale*, quatenus aut personae sacrae aut loco sacro aut alii cuidam rei sacrae iniuria sive irreverentia infertur.

435. Notae historicae. Delictum sacrilegii, quod vel ipsis antiquis paganis pro suis superstitionibus non fuit ignotum (ipsos enim christianos propter denegatum diis cultum sacrilegos dicebant) (37), statim inde a primis saeculis religionis christianae tum sacris canonibus (38) tum ipsis legibus Imperatorum christianorum l. c. fuit proscriptum. Et quamvis negari non possit, generali nomine sacrilegii quamplurima delicta fuisse comprehensa (39), tamen triplex illa species sacrilegii iam antiquis temporibus satis accurate distinguitur (40). Quodsi apud scriptores ecclesiasticos atque etiam apud Gratianum variae definitiones sacrilegii occurrunt, id ex lata et stricta notione huius delicti facilem admittit explicationem et citra ullum dubium quamplurima delicta ab antiquis scriptoribus recensita sub notione generica stricti sacrilegii subsumi possunt.

scite monet, non *quemlibet*, pro suo libitu res, quas mavult, e numero profanarum rerum eximere iisque characterem sanctitatis imprimere posse, sed publicam potestatem ad hoc requiri. Quodsi *Thesaurus*, l. c. in sensu theologico eam quoque vocat rem sacram, quae privata voluntate fuit cultui divino dedicata, eiusque violationem asserit esse sacrilegium, addit tamen secundum iura et poenas externi fori sacrilegium intelligi solum contra res *publice* i. e. ab auctoritate publica Deo dicatas. Insuper attendi debet num actio sit contra id, ad quod res quae violatur facta est sacra, v. gr., sacerdos ad caste vivendum, cui deputationi opponitur fornicatio, sed non opponitur furtum in eius privatis rebus commissum.

(36) *Suárez*, l. c. n. 5 sq. ubi scite monet potius quam ex parte rerum, quae sunt materia sacrilegii, divisio sacrilegii in suas species esset vel *ex parte sanctitatis* qua res constituitur in esse rei sacrae (v. gr. calix est res sacra vel quia constituitur in bonis Ecclesiae vel quia est consecratus), aut *ex parte modi violationis* (v. gr. conculcare imaginem vel illam furari); *Ballerini-Palmieri*, l. c. n. 383.

(37) *Kraus*, l. c.

(38) Cfr. c. 72, 73 Apost.; *Hefele*, l. c. t. I, p. 822 sq.; c. 14 Conc. Tolet. I, a. 400.

(39) Cfr. v. g. *S. August.* c. 35, C. XXIII, q. 5 loquitur de sacrilego schismate atque complura peccata dicit «sacrilegium vestrum»; c. 31, C. XVII, q. 4; *Hinschius*, l. c. tom. V, p. 226 sq., 161; *Schiappoli*, l. c. n. 255; Grat. dicta post. c. 29, 30, C. XVII, q. 4.

(40) *Kraus*, l. c. et can. 72, 73 Ap. et sq. can.

Quare ad coniecturas *Hinschius* (41) non est confugiendum, ut ratio reddatur, ob quam proprius quidam titulus de sacrilegio in compilationibus iuris Decretalium non reperiatur; complura enim delicta proprium titulum non habent et ob rationes practicas tantum principalis quaedam *species* sacrilegii i. e. *simonia* sub propria rubrica tractatur. Ultro tamen concedendum est, et antiquos et recentiores canonistas (42) recte egisse, si proprium titulum de sacrilegio pro more theologorum iuri quoque criminali Ecclesiae inseruerunt.

436. Vis et ambitus sacrilegii. Sacrilegium *personale*, ut constituatur, imprimis requirit personam sacram iuxta usum Ecclesiae i. e. per sacram ordinationem vel per statum religiosum vel quandam illius participationem.

Contra *personas sacras* sacrilegium committi potest: I. Per violentam iniunctionem manuum in clericos aliasque personas ecclesiasticas sive per violationem privilegii canonis; II. per violationem privilegii fori istarum personarum; III. per violationem immunitatis a tributis aliisque oneribus servilibus; IV. per fornicationes a persona vel cum persona sacra iuxta ambitum a iure canonico statutam.

Sacrilegium *locale* committitur: I. Per delicta in Ecclesia; quibus locus sacer polluitur; II. per actus profanos, quibus quis Ecclesia tamquam vulgari loco utitur; III. per violationem immunitatis loci sacri sive per furtum rei ab Ecclesia, cuius custodiae fuerat tradita sive per violentam effractionem vel spoliationem Ecclesiae; IV. per violentam abstractionem personae ex loco sacro, in quem illa tamquam in asylum confugit.

Sacrilegium *reale* constituitur: I. Per abusum sacramentorum, et sacramentalium; II. per profanationem vestimentorum et vasorum sacrorum; III. per indignam tractationem sacrarum reliquiarum et imaginum; IV. per abusum sacrae scripturae v. g. ad iocos cantusque lascivos; V. per defraudationem et furtum bonorum ecclesiasticorum.

437. Poenae sacrilegii. Omnes formae veri sacrilegii can. 2325 decernuntur puniendae poenis arbitrariis ab Ordinario pro gravitate culpae proportionandae. Ubi vero Codex de aliqua deter-

(41) L. c. p. 227 sq.

(42) Cfr. *Zech*, *Devoti*, *Vering*, l. c. in font.

minata specie sacrilegii cavet, applicanda est poena sive latae sive ferendae sententiae quam ius contra illud determinatum sacrilegii modum constituit.

Delicta sacrilegii, nisi cum haeresi vel haeresis suspicione sint coniuncta, generatim sunt *mixti fori* et praeventioni est locus (43).

438. Species quaedam *sacrilegii* est, quae rei sacrae irreverentiam infert, *ex indulgentiis questum facere*. Hoc delictum, quod etiam redolet simoniam, committit, qui ex intentione lucri et accepta pecunia indulgentias vel concedit, vel concessas promulgat, vel facultate delegata applicat, vel obiecta indulgentiis ditata plura vendit.

Poenae est *excommunicatio* l. s. simpliciter reservata. - Haec fuerat conservata in Const. Apost. Sedis (II, 11), et derivatur ex const. S. Pii V « *Quam plenum* » 2 Iun. 1570; ubi sub censura comprehendebantur questum facientes ex aliis gratiis in eadem Piana constitutione enumeratis. Cfr. *D'Annibale*, Comment. p. 91; *Hollweck* § 123.

439. Alteram speciem sacrilegii punit can. 2328: « *Qui cadavera vel sepulcra mortuorum ad furtum vel alium malum finem violaverit, interdicto personali puniatur, sit ipso facto infamis, et clericus praeterea deponatur* ». Sepulcra et cadavera in iis condita sunt profecto sacra loca, si agatur de sepultura fidelium, in loco sacro, ut debent condita. Lex nostra non facit distinctionem inter sepulcra et cadavera christianorum et aliorum. Certe apud Romanos sepulcra habebantur loca religiosa; qui conceptus etiam perseveravit in legislationibus modernis (44).

440. Mercimonium Missarum (can. 2324). Tertia species sacrilegii speciali poena puniti est stipendiis Missarum mercari et ex ipsis lucrum quaerere, quo facto gravis irreverentia rei sacrae inferitur et gravissimum scandalum datur atque adeo saepe ipsa iustitia violatur (45).

(43) Cap. 8 X de foro comp. II, 2; L. 10 C. de Episc. I, 3; Novella 123, cap. 31; Regul. pen. Gregor. a. 74 sq.; C. crim. Austr. § 122, 174, 175; C. It., a. 1930, a. 404; *Zech*, l. c. § 329; *Thesaurus*, l. c. cap. 1; *Pertile*, l. c. p. 439, 457 sq., de poenis olim in foro saec. statutis contra varia sacrilegia.

(44) Cfr. D. 47, 17; C. IX, 19; *Ludwig*, l. c. 172, 178; *Moulart*, De sepult. et coemeter. p. 71 sq.; C. Ger. § 168; Austr. § 306; Ital., 1930, a. 407-413; Gall. 360.

(45) Cfr. *Ferreres*, Messe manuali 3, Roma 1913, 37 sq., Inst. II, n. 1107. Theol. mor. 5, II, 472 sq.; *Noldin*, II, 151 sq.; *Arendt*, De laes. iustit. commutat. in missae manualis stipendio alteri celebranti diminuto.

In cc. 827, 828, 840 habentur praescripta canonica circa missarum stipendia, ubi generali modo prohibetur quaelibet *etiam species* negotiationis et mercaturae circa huiusmodi stipendia, quam iam Conc. Trident. sess. XXII, decr. de observ. et evitand. in celebrat. missar. curavit arcere. Successerunt constit. Pontificiae v. gr. Innoc. XII « *Superna* », Benedict. XIV « *Pro eximia* » et « *Ad militantis* », praesertim vero recentiora decreta « *Vigilanti* » 25 Maii 1893, et « *Ut debita* » 11 Maii 1904 (A. S. S. XVI, 55, XXXVI, 672).

Ex provocatione ad canones praecedentes, canon poenalis triplicem speciem facti poenis subiicit: 1° si pro celebratione missarum *mercatorio modo merces* dantur, quod non fit ab eo qui missam pro se postulat et loco stipendii dat rem valoris aequivalentis: nihil refert tamen num hoc fiat in commodum sacerdotis vel negotiatoris. - Item si in eundem finem Missarum stipes negotiatoribus traduntur; 2° si *minor numerus* missarum celebratur, quam stipendia etiam exigua acceptata fuerint; 3° si quis acceptas *stipes manuales* ad alios *non integras* mittit, qui missas celebraturi sunt, sed aliquid inde retinet, nisi aut id oblatores expresse permiserit aut certo constet excessum supra taxam diocesanam datum esse intuitu personae.

Poenae. Non renovatis poenis l. s. sive const. « *Apost. Sedis* » (II, 12) sive decr. *Ut debita* Pii X, quas experientia docuerat in praxi parum efficaces, Codex, fidens vigilantiae Ordinariorum, vel ut procedatur per poenas ferendae sententiae, quibus praescriptiones hac da re latae urgeantur, transgressores *iubet* « puniri ab Ordinariis », pro gravitate culpa, non exclusa, si res ferat, suspensione aut beneficii vel officii ecclesiastici privatione, vel, si de laicis agatur, excommunicatione. Transgressiones in hac materia facile cognosci poterunt et convenienter castigari, si accurate observentur cc. 842-844, prae oculis habitis iis, quae in decretis *Vigilanti* et *Ut debita* fuerunt praescripta. - Obligationes morales in hac materia speciali ratione enucleantur a DD. Theol. moralis.

441. Sacrilegium locale committitur ab eo qui *ecclesiam* vel *coemeterium* violaverit. Quae violatio ad normam cc. 1172, 1207, fit per homicidium, iniuriosam et gravem sanguinis effusionem, impios et sordidos usus, sepulturam infidelis vel excommunicati post sententiam, dummodo hi actus sint nedum certi, sed etiam notorii et in ipso loco sacro positi. *Wernz-Vidal* tom. IV n. 366 sq. 567.

Poenae in tale sacrilegium can. 2329 statuitur, interdictum ab ingressu Ecclesiae fer. sent. *aliaeque* congruae poenae arbitrio Ordinariorum.

442. Scholion. Iure praecedenti sermo erat de *incendio* et *violatione ecclesiarum*; quo nomine violationis intelligebatur *violenta ecclesiarum aliorumque locorum sacrorum effractio et spoliatio* (46). Quod duplex delictum frequenter fuit commissum tempore medii aevi, quo homines ad bella privata, caedes, incendia nimis prompti fuerunt, et idcirco in incendiarios et rapinatores ecclesiarum poenae quoque ecclesiasticae promulgandae fuerunt (47).

Iure *codicis* non sub respectu sacrilegii, sed sub respectu delicti mixti fori contra *proprietatem* considerantur canone 2354, et comprehenduntur sub formis *rapinae, furti qualificati vel non qualificati in re valde notabili, incendii vel malitiosae ac valde notabilis rerum destructionis*. Quae nunc in laicis, post damnationem fori saecularis, puniuntur « exclusione ab actibus legitimis lat. sent. et a quolibet munere in Ecclesia pariter lat. sent. », firmo, ut per se patet, onere reparandi damna: clericus vero in tribunali ecclesiastico puniendus est, pro diversa reatus gravitate, poenitentiis, censuris, privatione officii ac beneficii, dignitatis, et, si res ferat, etiam depositione (cit. can. 2354).

(46) Cfr. cap. 5, 6 X de iniur. V, 36.

(47) Ex canonibus antiquis: c. 8 (Gregor. V a. 998) C. XII, q. 2; c. 31 (c. 7, Conc. Raven. a. 877) c. 32 (c. 18, 19, Conc. Later. II, a. 1139) C. XVIII, q. 8; c. 17 Concil. Remen. (a. 1131); c. 15 Conc. Remen. (a. 1145). - *Schmitz*, l. c. p. 296 et alibi passim de antiquis poenitentiis. - *Schmalzgr.*, (V, 17) n. 82 sq., 101 sq.; *Zech*, § 318; *Muenchen*, p. 496 sq., 488 sq.; *Kober*, l. c. p. 788 sq.; *Thesaurus*, v. Incendium; *Pertile*, l. c. p. 631 sq., de punitione in foro saeculari

TITULUS XII.

DELICTA CONTRA AUCTORITATES, PERSONAS, RES ECCLESIASTICAS
(can. 2330 - 2349)

CAPUT XXXV

Specialia delicta contra auctoritates ecclesiasticas

443. I. In electione Romani Pontificis (1). Haec raro occurrunt, praesertim nostro tempore. Summatim sunt commemoranda. Totum negotium electionis R. Pontif., abrogatis anterioribus legibus, regitur const. Pii X. « *Vacante Sede Apost.* » 25 Dec. 1904, in qua novem delicta enumerantur: 1° abesse a scrutinio (C. n. 37); 2° ephemerides quotidianas vel periodicas extra conclave mittere (C. n. 50); 3° secretum conclavis violare (C. n. 51, 69); 4° secretum scrutini vel congregationum Cardinalium revelare etiam familiaribus vel conclavistis (C. n. 52); 5° simoniace eligere vel eligi (C. n. 79); 6° *veto* in qualibet forma etiam simplicis desiderii proponendi munus suscipere, illud, quacumque ratione cognitum, quolibet modo manifestare, sive ante conclave sive illo perdurante (C. n. 81); 7° praesumere, vivente R. P., de successoris electione *tractare* vel *suffragium polliceri* (C. n. 81); 8° *pacisci, convenire, promittere* vel aliam quamcumque obligationem assumere ut suffragium alicui detur vel non detur (C. n. 82); 9° delictum illius, qui litteras super negotiis quibuscumque confectas, quae a R. P. ante coronationem ipsius emanaverint, *audeat impugnare* (C. n. 88), quod ultimum delictum a quovis fideli perpetrari potest.

Poena. Enumerata delicta plectuntur excommunicatione l. s., a qua, praeterquam in mortis articulo, a solo Rom. Pontifice absolutio obtineri potest (2).

(1) De iure vigenti circa elect. R. P. huiusque iuris historica evolutione cfr. *Wernz-Vidal*, t. II, n. 408 sq.

(2) Attento tenore can. 2254, § 1 videtur absolutio dari posse etiam in casibus urgentioribus, modo recursus imponatur ad ipsam personam R. P. *Chelodi*, l. c. n. 68.

Delictum quoque habetur in *violatione clausurae conclavis*, quae punienda est poenis f. s. ad arbitrium futuri Pontificis; qui vero *clam* in conclavis ingressus fuerit, iam *ipso facto* omni honore, gradu, officio, beneficio privatur (C. n. 48, 49).

444. II. **Denegatae obedientiae** delictum habetur, cum quis legitimae auctoritati non solum non pareat, sed in eiusmodi adiunctis non pareat, ut, saltem implicite, ipsam auctoritatem non agnoscere vel contemnere videatur (3). Agitur autem de obedientia *canonica*, quae supponit superiorem ecclesiasticum *legitimum, competentem, licita imperantem*: quas circumstantias adesse praesumitur in favorem Superioris contra subditum etiam in casu dubio; praecipue namque canonicis ab omnibus fidelibus, praesertim vero a clericis, esse obtemperandum, indubitati iuris est. Simplex ommissio rei praecipuae, vel simplex actus prohibitus, non constituit illam *pertinacem inobedientiam* (can. 2331, § 1) punitam. Pertinacia requisita habetur *si iussa* iterata fuerint, vel data *monitio*, cuius subditus nullam habuerit rationem.

Poena. Punitur a) imprimis inobedientia in descriptis adiunctis erga Rom. Pontificem; b) erga *proprium Ordinarium* sive saecularem sive regularem ad normam can. 198. Poena est indeterminata, pro gravitate culpa determinanda, non exclusis censuris.

445. III. **Inobedientia qualificata.** Defectus subiectionis fit qualificatus, si accedat *conspiratio* aut subditorum ad inobedientiam *provocatio*. Conspiratio habetur cum plures conveniunt de obedientia deneganda vel de auctoritate subvertenda; provocatio vero ad inobedientiam consummatum delictum est, tametsi effectus intentus non fuerit subsecutus. - Punitur conspiratio contra auctoritatem Rom. Pontificis eiusve Legati vel proprii Ordinarii aut contra eorum legitima mandata, itemque provocatio subditorum ad inobedientiam erga easdem auctoritates.

Poenae can. 2331, § 2 sunt: 1° poenae indeterminatae, non exclusis censuris; 2° *pro clericis* privatio dignitatis, officii, muneris fer. sent.; 3° *pro religiosis* privatio vocis activae et passivae, officii fer. sent (4).

(3) De vi et ambitu obedientiae canonicae cfr. *Wernz-Vidal*, tom. II, n. 92 sq.

(4) Delictum conspiracy contra R. P., proprium Ordinarium saecularem vel regularem iure praecedenti erat punitum excommunicatione f. s. in *laicis*, in

446. IV. Appellatio ad Concilium (Can. 2332) (5). Gravissima iniuria *auctoritati* R. P. infertur per appellationem ad Concilium, cum appellatio sit provocatio ab inferiore iudice ad superiorem ut illius sententia reformetur, et R. Pontif. superiorem in terris non habeat (cfr. can. 218, 228). Sumitur autem hic appellatio in significatione ampliori et complectitur actum pontificiae potestatis sive legiferae sive iudicialis sive administrativae (*a legibus, decretis, mandatis*). Agitur autem de actibus stricte pontificiis, non de Actibus Sedis Apostolicae prout sub hac appellatione comprehenduntur etiam decreta et provisiones Curiae, nisi hae fuerint editae de speciali mandato Pontificis aut ab eodem fuerint in forma specifica confirmatae. Appellatio debet fieri ad Conc. *Oecumenicum*, praesens vel futurum et contra Pontificem viventem. - Delictum committitur ab appellante, sive sit persona physica (non manent exclusi neque Cardinales neque reges) vel a persona seu corpore morali: nihil autem refert quod appellatio incassum cesserit.

Poenae. 1^o) excommunicatio speciali modo reservata R. P. lat. sent. in omnes et singulos;

2^o) suspicio de haeresi;

3^o) interdictum speciali modo reservatum in personas morales; quod interdictum in eis qui ipsi causam dederunt est interdictum *personale*, in ceteros qui corpus morale constituunt est interdictum *dumtaxat* comune seu solam personam moralem ut talem afficiens.

Notum nimis est ex historia delictum hoc originem habuisse in controversiis doctrinalibus saec. XV exortis circa potestatem Rom. Pontificis et Concilii Oecumenici (6), quo tempore *theoria* sic dicta *conciliaris* late invaluit. Inde lata est excommunicatio contra abusum appellandi a Pio II, Iulio II et Gregorio XIII, quibus accessit Const. *Apost. Sedis* (I, 4 et VI, 1).

447. V. Recursus ad Statum contra Ecclesiam. Plena auctoritatis ecclesiasticae independentia per iniuriam de facto impediri vel coarctari facile potest per Statum, ubi hic illam independentiam aut

clericis vero, pro diversa casus gravitate, *depositione* atque erat casus infamiae. Cfr. *Thesaurus*, P. II, v. Conspiratio; *Hollweck*, § 145.

(5) Pius II, Const. « *Exsecrabilis* ». 18 Ian. 1459; Iulius II, C. « *Suscepti regiminis* » 1 Jul. 1509; Benedictus XIV, C. « *Altissimo* » 26 Iun. 1745; Pius IX, C. « *Apostolicae Sedis* » 12 Oct. 1869, I, 4; VI, 1.

(6) *Wernz-Vidal*, tom. II, n. 456 sq.; *D'Annibale*, Comment. n. 47. 216.

non agnoscit, prout debet, aut non protegit vel non curat. A fidelibus varia ratione contra talem independentiam peccari potest: in Codice haec delicta specifica in tali materia puniuntur:

A. *Violatio libertatis* litterarum et actorum S. Sedis. Infligitur can. 2333 *excommunicatio* lat. sent. Sedi Apostolicae speciali modo reservata in « recurrentes ad laicam potestatem ad impediendum litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis profecta (comprehenduntur Nuntii, Internuntii, Delegati - can. 267), eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos ad quos pertinent litterae vel acta, sive alios laedentes aut perterrefacientes » (7).

Tribus modis hoc delictum committitur: 1^o) Per factum *recursus* ad laicum magistratum sive supremum sive subordinatum, ut is potestate sua publica abutens acta pontificia iam edita impediat.

2^o) *Prohibentes* i. e. ipsi magistratus laici, qui talium actuum promulgationem vel executionem impediunt, sive ad alterius recursus sive ex sese, sive *directe* pes se ipsos aut per alias interpositas personas, efficiendo ne quae necessaria sunt ad effectum promulgationis vel executionis perfici possint, sive *indirecte* interdicendo ne partibus tradantur aut ipsae partes traditis utantur. Indirecte prohibere ii etiam dicendi sunt, qui hoc a laica potestate postulant.

3^o) *Laedentes* aut *perterrefacientes*, ex eodem pravo fine, eos ad quos litterae vel acta pertinent, sive mittentem sive accipientem sive inter utrumque mediatorem, sive eorum necessarios. Laesionem sive intelligas quodcumque grave damnum bonis *corporis* illatum; perterrefacere erit, animum obtinentis atrocibus minis frangere. Ex formula legis videtur requiri tamquam elementum obiectivum delicti, ut effectus secutus fuerit (8).

Historice delictum originem ducit ex usu iuris, quod dictum est *placitum* vel *placet regium*; qui prius praxi ipsa inductus est, deinde per novam iniuriam transformata abusiva praxis in praetensum, quo per abusum potestatis principes civiles promulgationem litterarum apostolicarum non permittebant, antequam ipsi censuissent nullum in eis suae potestatis detrimentum afferri. Cui errori proximi

(7) Cfr. fontes cit. ad canonem 2333, in particulari C. *Apost. Sedis*, Series, I n. 8.

(8) Cfr. comment. *Apost. Sedis* v. gr. *D'Annibale* n. 54 sq.; *Hollweck* § 131 et comment. novi iuris velut *Cappello*, De cens. n. 246 sq.; *Matth. a Coronata* IV, n. 1337 sq.

sunt sic dictum ius *exsequatur* et ius *appellationis* ab abusu; quos errores sollemniter damnavit Pius IX in Syllabo prop. 28, 41, 49. - Praecesserant quoad damnationem regium placiti eiusque punitio- nem Iulius II, Leo X et Clemens VII (9); et quoad damnationem appellationis ab abusu Innocentius VIII et Gregorius XIII (10); et subsequuta est excommunicatio retenta in Const. *Apostol. Sedis*, I, 8.

Si hodie in plerisque legibus civilibus modernis nec *placet* nec *recursus* expresse continetur, plures tamen non desunt dispositiones, quibus Ecclesiae independentiae variis modis noceri potest (11).

B. *Promulgatio legis, mandati aut decreti* contra libertatem aut iura Ecclesiae. - Eadem excommunicatione lat. sent. speciali modo reservata can. 2334 plectit eos, qui leges, mandata, decreta edunt contra libertatem et iura Ecclesiae.

Leges hodie ut plurimum eduntur concursu comitorum, senatus et principis; lege promulgata, omnes, quorum suffragiis lex probata est, rei sunt. - Mandata vero et decreta etiam ab auctoritate inferiori edi possunt; mandata ut plurimum singulis, decreta universis feruntur auctoritati obnoxii. - Respiciuntur *edentes* non *exsequentes*; ideo poena non tenentur ex hoc capite officiales qui leges urgent neque iudices qui eas applicant, de quorum morali imputabilitate consulendi sunt theologiae moralis doctores.

Libertas et iura Ecclesiae amplissime intelligenda sunt, iura spiritalia et temporalia, fundamentalia et ex fundamentalibus derivata, iura quoque quae historica dicuntur, in quantum ipsis Ecclesia expresse vel tacite non renuntiaverit.

Clerici, praeter excommunicationem, plectendi sunt poena suspensionis vel privationis ipsius beneficii, officii, dignitatis, pensionis aut muneris, si qua forte in ecclesia habent. *Religiosi* vero puniendi sunt privatione officii et vocis activae et passivae aliisque poenis ad normam constitutionum proprii instituti (can. 2336).

C. *Impedire exercitium iurisdictionis ecclesiasticae* est etiam delictum contra auctoritates ecclesiasticas iurisdictione praeditas et punitur eadem poena qua delictum praecedens eodem can. 2334.

(9) Excommunicationem in bulla *In coena Domini* inseruit Iulius II (a. 1511); Leo X C. «*In supremo*» 1519; Clemens VII C. «*Romanus Pontifex*» a. 1533.

(10) Innocent. VIII C. «*Officii nostri*» 149; Gregor. XIII censuram inseruit bullae *In coena D.*

(11) Cfr. *Ferreres*, Instit. II, n. 537 de sic dictis «*recursos de fuerza*» in Hispania.

Delictum habetur in impediendo directe vel indirecte exercitio iurisdictionis eccl. utriuslibet fori per recursum ad quamlibet laicalem potestatem. Per delictum praecedens coercetur intrusio auctoritatis laicalis in res Ecclesiae per leges, mandata et decreta; hoc alio delicto coercetur abusus huiusmodi legum seu mandatorum in damnum Ecclesiae. - Illud patrant qui impediunt directe sua potestate laica abutentes et qui impediunt indirecte per recursum factum ad civilem auctoritatem ad hoc ut haec impediat i. e. obsistat ei, penes quem est iurisdictionis ecclesiastica, ne ea uti incipiat vel pergat aut actum iurisdictionis iam positum antequam effectum habeat cogat retractare, ubi intentus effectus obtineatur.

Sub *iurisdictione* comprehenditur quaelibet ecclesiastica potestas, quae ordinis non est, sive legifera, sive iudicialis, sive coercitiva itemque potestas docendi et administrandi.

448. **Coniuratio permanens contra Ecclesiam vel Statum. - Secta massonica.** Contra *Ecclesiam* et etiam contra *legitimas auctoritates civiles* machinantur nonnullae sectae, praesertim secta massonica. *Nomen dare* huiusmodi sectis est concursum praebere ad mala ad quae patrandae ipsa secta instituta et organizata fuit vel ex propriis statutis tendit. Can. 2335 censura excommunicationis Sedi Apost. simpliciter reservatae percellit «*nomen dantes sectae massonicae* aliisve eiusdem generis associationibus, quae *contra Ecclesiam* vel *legitimas civiles potestates machinantur*». *Nomen dare* est associationem sub censura prohibitam ingredi seu eius membrum fieri.

A. **Historia.** Sectae massonicae adscripti pluries a RR. PP. excommunicati sunt. Primus censuram in eos tulit Clemens XII, C. «*Providas*» «*In eminenti*» 28 Apr. 1738; deinde Benedict. XIV, C. «*Providas*» 18 Maii 1751; Leo XII, C. «*Quo graviora*» 13 Mart. 1825; Pius VIII litt. encycl. «*Traditi*» 24 Maii 1829 et Pius IX, «*Apost. Sedis*», (II, 4): quam poenam innovavit Leo XIII, C. «*Humanum genus*» 20 Apr. 1884. Qua censura ut prohibita censerentur societates, non iam erat necesse ut finem suum clam prosequerentur aut a suis asseclis iuramentum servandi secretum exigerent (S. C. Inq., 10 Maii 1884).

Carbonarios excommunicavit Pius VII, C. «*Ecclesiam*» 15 September 1821 et Leo XII, C. «*Quo graviora*» 13 Mart. 1825.

Aliae quoque associationes damnatae aut prohibitae sunt variis S. Sedis decretis.

B. **Ius Codicis.** Supposita supra citata declaratione S. O. ut incuratur censura solum debet respici, num societas, de qua agitur, aut *contra Ecclesiam* aut contra legitimas civiles potestates machinetur, seu *palam* id faciat seu *clandestine* sive alium quoque finem habeat vel dicat se habere, v. gr., philanthropicum, culturalem, etc., sive non.

Machinari dicenda est illa societas, quae ex proprio fine rebellem et subversivam activitatem exercet aut fovet sive propria membrorum actione sive propagatione doctrinae subversivae, quae ore vel scripto, *data opera fiat* in illum finem aut evertendi Ecclesiam i. e. ipsius doctrinam, auctoritates qua tales, iura, aut civilem legitimam potestatem. In his habetur associatio eiusdem generis cum secta massonica, cuius directe vel indirectae filiae dici possunt ac debent, cum massonica secta illas omnes foveat atque ad perversum proprium finem utatur vel ut totidem instrumenta suae activitatis plerumque occultae adhibeat, haud raro ex illo etiam fine ut civilem approbationem vel tolerantiam in propriis instrumentis in diversis statibus obtineat (12).

Ad dignoscendum num aliqua secta vel associatio sit recensenda inter damnatas sub censura, praeter quam ex ipsorum adscriptorum notitia, respiciendi sunt libri, statuta, codices associationis, et tandem attendendae sunt declarationes auctoritatis ecclesiasticae.

(12) Cfr. Const. Leonis XIII «*Humanus genus*» ubi expresse notatur, varias esse hominum sectas «*quae quamquam nomine, ritu, forma, origine differentes, cum tamen communionem quadam propositi summarumque sententiarum similitudine inter se contineantur, re congruunt cum secta massonum, quae cuiusdam est instar centri unde abeunt et quo redeant universae*».

Quoad ipsam vero sectam massonicam PP. Conc. Plen. Americae Latinae sapienter in memoriam revocarunt fidelibus quod etiam pro aliis locis valere debet: «*Et quoniam plurimis in regionibus nostris, impiorum machinationes et fallaciae eo tendunt, ut saluberrima contra pestem societatum clandestinarum decreta et mandata Apostolica inania faciant, sub ementito praetextu, a Pio IX et Leone XIII pluries damnato, sc. non eandem esse naturam sectae massonicae in omnibus nationibus, sed eam quae alibi periculosa est et omnino proscribenda, alicubi innocuam esse et honestam, quia, aiunt, diversa sunt dogmata, fines, actiones: sedulo caveant animarum pastores, ut tam perniciosus error, tam audax praetensio, a patre mendacii excogitata ut incautos decipiat, penitus eliminetur. Ea enim est rei natura et gravitas talisque Apostolicarum Constitutionum tenor, ut minime dubitari possit, quin voluerint laudati PP. eisdem obligari omnes et singulos christifideles, nullo habito locorum, temporum, nationum vel rituum discrimine*». Idem decrevit Concil. Manilanum n. 185. Quare nomen dare sectae, quae se declarat sectam massonicam delictum constituit et poenis contra sectam latis obnoxium est.

Iamvero a S. Sede, aliquae societates seu coalitiones damnatae sunt sub censura nostri canonis, sc. praeter massonicam et carbonariam:

a) Societas *fenianorum* (secta americana et hibernica) decr. S. Officii 12 Jan. 1870.

b) Societates nihilistae et anarchistae ex ipsa ipsarum natura, et a fortiori modernae societates bolscevisticae.

c) Idem, hodie praesertim, dicendum est de factionibus communisticis, ex ipsorum doctrinis, quae etiam fidei sunt oppositae. De factione socialista res non certo constat, praecise ob diversum modum et finem quo coeunt.

Quoad prohibitas de quibus non adeo constat num hoc canone comprehendantur, cum non prohibita fuerint *sub censura*:

1°) Societates *biblicae* pluries a RR. PP. damnatae.

2°) Tres americanae societates operariorum: a) *Socci singulares* (Odd fellows); b) *Filii temperantiae* (Sons of temperance); c) *Equites Pyrthiae* (Knights of Pyrthia's) S. O. 20 Aug. 1894.

3°) Societas «*Independent order of good templars*» (Guttempler-Orden) S. O. 19 Aug. 1893.

4°) Societates, quibus propositum est *promovere usum comburendi hominum cadavera* S. O. 19 Maii 1886, ubi censura dicitur incurri, si agatur de associat. sectae massonicae *filiali*.

5°) Generatim prohibita habendae sunt, quae a sectatoribus suis exigunt iuramentum servandi secretum et praestandi omnimodam obedientiam occultis ducibus. Ipsum iuramentum sua generalitate est illicitum sicut promissio obedientiae quae extendatur ad illicita.

6°) Pariter damnatae sunt *societates theosophicae* (13), *societates iuvenum virorum christianorum, iuvenum mulierum christianarum* (14).

C. **Poenae.** a) Excommunicatio simpliciter S. S. reservata (15); b) In *clericos* et *religiosos* praeterea ceterae poenae, quae dictae sunt de praecedente delicto sub C.

(13) Cfr. S. Offic. 18 Iul. 1919 in A. A. S. XI, 317.

(14) Y. M. C. A. = *Young men Christian Association* pro viris; Y. W. C. A. = *Young women Christian Association* pro feminis. Cf. S. O. 5 Nov. 1920 in A. A. S. XII, 595.

(15) Iure praecedenti ex Const. *Apost. Sedis* (II, 4) excommunicatio plectebat etiam eos, qui eisdem sectis favorem quemcumque praestarent, et praeterea «*eorum*»

Praeterea clerici et religiosi debent denuntiari S. C. S. Officii (can. 2336).

D. Quoad *reconciliationem* et *absolutionem* eorum qui sectae damnatae adscripti sunt, in facultatibus ad hoc concessis solet S. Sedes has condiciones exigere: *a*) ut qui absolvendus est associationi prohibita nuntium mittat omnemque cum eius membris communicationem abrumpat (sectam abiuret); *b*) ut libros, manuscripta ac signa sectam respicientia, si quae retineat, in confessarii manus tradat ad Ordinarium quamprimum caute transmittenda, vel si iustae gravesque causae id postulent, comburenda; *c*) ut occultos associationis duces, si absque gravi incommodo fieri possit, Ordinario denuntiet (16). Quae tertia obligatio, nostris diebus fere inutilis ad sectam evertendam, in can. 2445 non amplius urgetur sub censura.

Ultimum documentum quod respicit criterium Stae. Sedis in danda ab hac censura absolutione est Const. « *Si unquam* » pro iubilaeo a. 1925 die 15 Iul. 1924, ubi n. IV, edicitur: « Pariter ne absolvant (ex facultatibus acceptis) eos, qui sectis vetitis massonicis aliisque id genus nomen dederint, etiamsi occulti sint, nisi scandalum reparaverint et a quavis cooperatione vel favore suae cuiusque sectae praestando cessaverint; ecclesiasticos et religiosos quos sectae adscriptos noverint, ad normam can. 2336, § 2 denuntiaverint; libros, manuscripta et signa, quae eandem sectam respiciant, quotiescunque, adhuc retinent, absolventi tradiderint, ad S. Officium quamprimum caute transmittenda, aut saltem, si iustae gravesque causae id postulant, destruenda; impositis praeterea pro modo culparum gravi poenitentia salutari et frequenti sacramentali confessione » (A. A. S. XVI, 309).

449. VII. **Delictum impeditae iurisdictionis** per parochum vel sacerdotem; quod committitur excitatis popularibus turbis. Duplex modus delicti committendi respicitur can. 2337: *a*) delictum *parochi* qui « *ausus fuerit* turbas ciere, publicas pro se subscriptiones promovere, populum sermonibus aut scriptis excitare aliaque

occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint ». — Haec altera obligatio censura munita, non est relata in Codice, salva separata obligatione denuntiandi clericos et religiosos. Quod ad cooperationem per praestitum sectae favorem, si cooperatio fuerit efficax aut necessaria provisum est per canonem generalem 2231.

(16) S. Officium 5 Iul. 1837; 22 Iuni 1838.

similia agere » in eum finem ut Superiorem ecclesiasticum impediatur, quominus in se vel etiam in alios iurisdictionem exercent ut ipsius decretum aliquod executioni mandetur; *b*) delictum *sacerdotis* cuiusvis, tametsi parochus non sit, qui eadem adhibeat media ad impediendum ingressum in paroeciam parochi aut oeconomii legitime nominati.

Praecesserat quoad primum decr. « *Maxima cura* » 20 Aug. 1910 (A. A. S. II, 636) ubi in c. 18, § 1, circa amotionem parochorum consideratur ille illegitimus modus impediendi iurisdictionalem actum Episcopi. Per alteram delicti formam completur efficax tutela praestita iurisdictioni Ordinariorum; insuper extenditur tutela ad alios casus exercitii iurisdictionis etiam extra amotionem administrativam parochorum.

Poenae decernitur *indeterminata*, arbitrio Ordinarii pro gravitate culpae determinanda, *non exclusa suspensione*.

450. **Contemptus censurarum** sive explicitus sive implicitus et legum de censuris latorum est etiam delictum quod variis modis redundat in contemptum et iniuriam auctoritatis ecclesiasticae. Varias autem sunt eius formae.

A) **Usurpata potestas absolvendi**; quae usurpatio fit ab eo, qui *absolvere praesumpserit*, sine facultate, ab excommunicatione lat. sent. specialissimo vel speciali modo Ap. Sedi reservata (can. 2338, § 1). Reus delicti fit is, qui *sciens volens reapse absolvit*, praeter casus permissos (articuli mortis, casus urgentioris). Ob particulam praesumpserit excusare poterit a poena tum gravis metus tum ignorantia quae non sit affectata.

Poenae est excommunicatio lat. sent. S. Sed. simplic. reservata (17).

B) **Communicantes in crimine criminoso** cum vitando (18) hac ratione, quod tali excommunicato vitando impendatur quodvis *auxilium* vel *favor* in delicto propter quod excommunicatus fuit. Non agitur de auxilio vel favore praestito ad committendum delictum, quae reguntur Regulis de cooperatione in can. 2209 et 2231; sed supponitur delictum patratum, excommunicationem incursum et delinquentem declaratum esse vitandum.

(17) Etiam hoc delictum et poena desumpta sunt ex C. Ap. Sed. n. 13.

(18) Est loquutio, qua idem delictum designatum fuit in C. Ap. Sed. n. 29, et inde etiam desumpta poena.

In sensu huius canonis *auxilium* praebet is, qui sciens aliquem esse excommunicatum, ob delictum iam consummatum et perfectum, sed tractum habens successivum, illi idoneis mediis subvenit, ut aut in sua contumacia perseveret, aut ut perdurent et augeantur pravi sceleris effectus. — *Favor* praestatur ab eo, qui delinquenti punito commodum aliquod materiale vel morale procurat propter delictum admissum. — In utroque casu requiritur quod agatur de *vitando* (can. 2338, § 2).

Poena est excommunicatio lat. sent. simplic. S. Sedi reservata.

C) **Communicatio in divinis cum vitando.** Hoc delictum committunt « *clerici scienter et sponte in divinis cum vitando communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes* » (can. 2238, § 2). Etiam delictum hocce et poena desumpta sunt ex Const. *Apost. Sedis* (II, 17).

Divina officia intelligenda ad normam can. 2256. 1° « *functiones potestatis ordinis quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt* ».

Tam communicatio quam receptio in his functionibus cultus divini significat aliquam participationem *activam* illius quocum communicatur aut qui recipitur: quare delictum committitur et ab eo qui aliquid sacri facit simul cum vitando et ab eo qui admittit seu permittit, cum impedire posset et deberet, vitandum talem functionem sacram peragere; non autem habetur delictum si vitandus *passive* assistens non repellatur.

Ex clausula *scienter et sponte* excusantur a poena ignorantes et coacti (19).

Poena eadem est ac in delicto praecedenti: Exc. reservata.

D) « *Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis*, - item: « *admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam*, » (can. 2338, § 3).

Scienter celebrare in loco interdicto et *admittere* prohibitos ad celebrandum est delictum quod *a solis clericis* committi potest, quia solus ille proprie dicitur admittere, cuius est *ex officio* permittere vel prohibere. - *Facere celebrari* etiam a laicis inique praestari potest v. gr. ab aliqua auctoritate politica, militari, municipali aut a laico potente.

(19) Quidquid sit de iure praecedenti, iure Codicis non admiserim Episcopos non comprehendi ob generalitatem can. 2227, § 2.

Quoad primam delicti figuram violationis interdicti localis, excipiuntur, ut patet, dies et casus in quibus ipsum ius celebrationem permittit. Quoad alteram figuram, firmatur principium quod ab aliis censurae observantia a censuratis exigere non possit (saltem extra casus notorios) nisi praecesserit sententia saltem declaratoria (cfr. can. 2232).

Etiam hoc delictum cum relativa poena desumpta sunt ex C. *Apost. Sed.* n. 47.

Poena est, *interdictum ab ingressu Ecclesiae* l. s. tamdiu duraturum « *donec arbitrio eius cuius sententiam contempserunt congruenter satisfecerint*, » - Interdictum videtur habere durationem determinatam ideoque non habere rationem censurae, sed poenae vindictivae quae sine absoluteione cesset, posita condicione i. e. praestita satisfactione. Hoc ipsum tamen non est evidens, si attendatur can. 2248, § 1, 2, ubi absoluteio censurae (et consequens cessatio poenae) dicitur *debita* post praestitam satisfactionem. Putarem potius debere dici censuram, quae absoluteione indigeat, et clausulam de praestita satisfactione, esse generalem condicionem requisitam *recessus a contumacia*, quae hic ponitur expresse, quia iudicium reservatur Superiori, cuius sententia contempta est. Ob eandem rationem dicerem esse censuram *reservatam*, cum necesse sit ad Superiorem recurrere ut satisfactionem determinet.

Delictum sub C et D possunt dici delicta *frustratae iurisdictionis*, cum impediuntur eius effectus.

E) « *Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti*, » (can. 2338, § 4). Haec praescriptio potius est declaratio effectus interdicti, quando hoc fertur in locum vel in communitatem seu collegium: haec duo interdicta sunt talis naturae, ut effectum sentiant etiam innocentes; at innocentes non sunt *personaliter* interdicti; huiusmodi interdictum personale lat. sent. incurritur ab iis, sive unus sive plures, qui causam dederunt interdicto per suum proprium personale delictum. Cfr. interdictum Collegii vel Capituli contra R. P. ad Concilium appellantis (can. 2332), quoad eos qui ad appellationem consensum dederunt vel negarunt.

A taliter interdicto personaliter ob causam datam interdicto locali vel personali generali committitur delictum violatae censurae, si ab eo ponatur actus illi vetitus, qui est personaliter interdictus,

suspectis ex iuris praescripto. Cuius suspicionis iuridicae fundamentum est, quod ob tale factum et claves Ecclesiae et suffragia et sacramenta contemnere videntur, ideoque merito in suspicionem veniunt quod male de illis sentiant (can. 2340, § 1).

Iure quoque praecedenti huiusmodi effectus insordescendae fuit admissus (23) et confirmatus est a Conc. Tridentino sess. 25, cap. 3 de ref. «contra eum, tamquam de haeresi suspectum procedi possit». Ex qua suspicionem indici poterat canonica purgatio per iuramentum, quam si suspectus subire nolisset et post citationem adhuc per annum in contumacia perseverasset, poenis haereticorum puniri poterat (24); porro insordescendae habebatur ut probatio delicti seu causae, ob quam lata fuerat excommunicatio, dum insordescens per annum fictione iuris haberetur pro convicto seu confesso (25).

B. Insordescendae in censura suspensionis de iure habetur, si clericus in ea per semestre perseveraverit. In huiusmodi insordescendae hoc modo procedendum est: 1° graviter *monendus* est ut a contumacia recedat; 2° si non obstante monitione per alium mensem in contumacia perseverat, reus efficitur et privari debet beneficiis aut officiis, si qua in Ecclesia forte habeat (can. 2340, § 2) (26).

CAPUT XXXVI

Delicta contra personas ecclesiasticas

I. Violatio privilegii fori

453. Ad immunitatem personalem clericorum, quae partim iure divino partim canonicis sanctionibus est constituta, pertinet praesertim *privilegium fori* et *privilegium canonis* per quae dignitati status clericalis consulitur et inde etiam decori et reverentiae debitae auctoritati, qua ipsi soli ut plurimum investuntur. De utroque privile-

(23) Cfr. c. 36, 37 C. XI, q. 3; cap. 13, X, de haeret. V, 7; cap. 13, X, de poen. V, 37; cap. 7 de haeret. V, 2 in VI; Conc. Trident. sess. 25 cap. 5 de ref. Suárez, De cens. disp. XVII sect. I, n. 1 sq.; Kober, D. Kirchenb. p. 433 sq.; Schmalzgr. V, 39 n. 195 sq.; Reiffenst., V, 39 n. 74 sq.; Thesaurus, De poen. eccl. II, v. Insordescendae; Ballerini-Palmieri VII, n. 240.

(24) Cap. 7 de haeret. V, 2 in VI; Schmalzgr. I. c. n. 195.

(25) Cfr. c. 36, 37 C. XI, q. 3; Suárez I. c. n. 9; Schmalzgr. I. c. n. 196; Hollweck I. c. § 50.

(26) De iure praecedenti cfr. Hollweck I. c. § 67.

gio confer disputata in tom. II, n. 73 sq. 76 sq. et uberius quoad privilegium fori tom. VI n. 29 sq. Quibus suppositis hoc loco solum agendum de poenalibus sanctionibus contra utriusque privilegii violatores (1).

Privilegium fori in hoc est situm quod «clerici in omnibus causis, sive contentiosis sive criminalibus, apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent». Quod privilegium non viget «ubi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit». (can. 120, § 1) (2). Porro prohibitio trahendi clericum ad forum saeculare non est *absoluta* sed urget quoties ad id legitima venia impetrata non fuerit: a quo autem venia pro diverso clericorum gradu impetrari debeat definit cit. can. 120, § 2.

Delictum ergo committit, qui venia a legitima auctoritate non impetrata, ausus fuerit *trahere ad iudicem laicum* aliquem clericum; *trahere* autem ad iudicem intelligitur tamquam *reum*, non tamquam testem (3). Poenam non incurrit, neque ipse iudex neque ipsius ministri qui legis imperio adiguntur. Quoad *iudicem* intelligitur is, qui tali munere fungitur sive in foro contentioso sive in foro criminali, non alia publica auctoritas civilis, quae et in quantum non polleat aut exerceat iurisdictionem contentiosam (4). Trahi debet clericus suo nomine et in propria persona; non in suis decretis vel actibus, quod esset delictum canonis 2234; non in quantum clericus procuratorem aut tutorem agit laici vel rei laicalis aut entis iuridici, quod foro privilegiato non gaudet, administratorem (5). *Consummatum* habetur delictum independentem a sententia iudicis laici.

(1) Pro indicatione fontium, sufficiat remittere ad fontes sub hoc can. 2341 et sub can. 120 in ipso Codice suppositos.

(2) Nonnullis locis aliter provisum est per concordata; in aliis foro privilegiato aliqua ratione admittitur esse derogatum consuetudine. Cfr. Wernz-Vidal, tom. II, n. 77, not. 4, 5. De vi consuetudinis cfr. Wernz, Ius Decret. VI, n. 336 not. 26. Cfr. in particulari a. 8 Concordati cum Italia.

(3) Idem significat *convenire* adhibitum in can. 120. Cfr. doctores post Motu proprio Pii X «*Quantavis*» 9 Octobr. 1911, velut Vermeersch, Periodica De Religiosis tom. 6, p. 107 sq.; Ferreres, «*Razón y Fe*» tom. 32 p. 100 sq. contra «*Il Monitore*» vol. 23 p. 503 sq., vol. 24 p. 4; Wernz, Ius Decret. VI, n. 336 not. 24, 25. Chelodi, De personis n. 111, De poenis, n. 74, et Matth. a Coronata sensum in textu propos. sequuntur.

(4) Nonnulla saltem ex tribunalibus sic dictis administrativis vera polleat potestate iudiciali velut in Italia *Il Consiglio di Stato* et similia in aliis locis. De iudice *Conciliatore* in Italia cfr. Matth. a Coronata I. c. p. 409.

(5) Ita nunc satis communiter v. gr. Chelodi I. c. n. 74; Matth. a Coronata, I. c. n. 1973; Noldin-Schönegger, I. c. n. 68, 6; D'Annibale, Comment. n. 66,

Delictum pro dignitate aut auctoritate personarum, tres habet gravitatis gradus, quibus constituitur diversa poena: a) gravissimum est trahere Cardinales, Legatos Sedis Apostolicae, Officiales maiores Rom. Curiae *ob negotia ad horum Officialium munus pertinentia*, Ordinarium proprium — et punitur excommunicatione lat. sent. *Sedi Apost.* speciali modo reservata. — b) Succedit in gravitate trahere alium Eiscopum etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum *nullius*, vel aliquem ex supremis religionum iuris pontificii Superioribus — et punitur excommunicatione lat. sent. *Sedi Apost.* simpliciter reservata. — c) Qui vero, non obtenta ab Ordinario loci licentia, trahat aliam personam privilegio fori fruentem, si id faciens sit *clericus* incurrit suspensionem ab officio lat. sent. Ordinario reservatam; si sit *laicus* congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario est puniendus (can. 2341) (6).

II. Violatio privilegii canonis

454. Hoc privilegium status clericalis asseritur can. 119, asseritur autem forma positiva praescribendo fidelibus reverentiam erga clericos et tamquam speciali modo oppositam debitae reverentiae assignat *iniuriam realem* clericis illatam, quam delictum sacrilegii

(6) Meretur in hanc rem afferri: a) decisio S. C. P. F. (C. G.) in Collect. (2^a) n. 1663: «Volendo un ecclesiastico cedere i suoi diritti ad un laico in una questione contro un prete, deve domandare la venia del Vescovo, e, se la lite è contro un Vescovo, alla S. Sede; che se esso non lo fa e non l'ottiene, rimane soggetto alle disposizioni emanate contro i preti recorrenti *ad iudices laicos* e si considera come operante *in fraudem legis*» (6 Sept. 1886). — b) Eadem S. C. 17 Maii 1886 (Collect. n. 1653): «Declarat S. C. numquam sese fore admissuram recursum vel appellationem sacerdotum qui ad iudices laicos trahere ausi fuerint vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia Apost. Sedis, sive in causa ecclesiastica sive non, nisi prius recursum ad civile tribunal interpositum deseruerint». — c) S. O. in Litt. encycl. 23 Ian. 1886 (Collect. n. 1652) postquam declaraverat vocem *Cogentes* in Const. *Apost. Sedis*, non afficere nisi legislatores et alias auctoritates cogentes (hoc ius in ius rigidius Codicis mutatum est) quoad personas privatas declaraverat: «Si quis ausus fuerit trahere ad iudicem seu iudices laicos vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia S. Sedis, *in potestate eorumdem Ordinariorum erit*, in eum, *praesertim si fuerit clericus*, animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino iudicaverint». Vix autem admitti potest in aliquo loco *legitima* consuetudine derogatum fuisse privilegio fori, si qui ad iudicem laicum clericum trahit sit ipse clericus. Cfr. in hanc rem Concilium Baltimorese III, n. 84.

appellat. Privilegium hoc proinde est immunitas clericorum ab iniuriis realibus sacrilegii personalis reatum habentibus, quod sollemni ratione punitum fuit can. 15 Conc. Lateran. II (Innocentius II, a. 1139) poena excommunicationis, quae dicta est *excommunicatio canonis* et inde immunitas tali sanctione protecta *privilegium canonis*. Cfr. *Wernz-Vidal* tom. II, n. 73 sq. ubi fontes et historica privilegii evolutio traditur.

In can. 2343 ubi ponitur poena, declaratur delictum perpetrari ab eo qui «violentas manus in personam clerici iniecerit» loquutione etiam retenta in *C. Apost. Sedis* (II, 15). — *Violentas*, nimirum (ex ira, odio, vindicta), *manus iniicere* significat modum iniuriosum, quo in personam, non *verbis*, sed *re* fit iniuria. «In personam vero iniuria fieri intelligitur seu laedatur *corpus*, seu *libertas*, seu *dignitas*. *Corpus*, ut ecce si clericum veneno sustuleris, vel persecutus eum fueris, ut in praiceps rueret, vel ex equo decideret, et corruit, decedit; item si lapidem vel telum in eum ieceris; *libertas* cum traditur in carcerem, aliumve locum, privatum quoque; *dignitas* quoties vis adhibetur, velut si rhedam sistas, qua vehitur, aut equum quo insidet; si aliquid, nullius licet pretii, ei detraxeris, veluti crumenam, pileum, baculum; vel quid aliud contumeliosum in ipsum admiseris, ut puta si sputo, pulvere, luto eum foedaveris, si vestes, quibus indutus erat, conscideris etc.» (*D'Annibale*, Comm. in *Apost. Sedis* n. 199). *Violentia* procedit ex ira, odio, vindicta; hoc significabat loquutio olim adhibita si quis *suadente* diabolo etc. Quare poena cessat, «si quis clericum percutit laicum putans, vel ioco aut corrigendi gratia, vel ex subitanea ira, iustae defensionis causa, vel (ex iuris aequitate) cum uxore, vel matre, vel sorore (non item cum aliis) turpiter inventum, quamvis letali non careat» (*D'Annibale* l. c. n. 110).

In *personam clerici* cuiuscumque, qui clericalia privilegia non amiserit: in hac re praeterea vox habet latam significationem et praeter tonsuratos comprehendit cunctos utriusque sexus religiosos noviciis non exclusis, et sodales societatum vitae communis (7).

Quoad *poenas* etiam hic fit distributio in varios gradus, pro gradu dignitatis personarum, quibus realis iniuria irrogatur, cum ex

(7) Cfr. cc. 567, 614, 680; *Wernz-Vidal* tom. II, n. 75; *Noldin-Schönegger*, De poenis n. 90 sq.; *Chelodi* n. 75; *Matth. a Coronata* IV, n. 1985.

can. 2207 iniuriae irrogatae gravitas crescat ex dignitate personae quae delicto offenditur.

a) Si contra Rom. Pontificem: 1°) excommunicatio l. s. *specialissimo* modo reservata; qua fit *ipso iure vitandus* (et est unicus casus, quo, ad normam can. 2258, condicio vitandi inducitur *ipso iure*, independenter a qualibet sententia); 2°) infamia iuris l. s.; 3°) clericus est degradandus.

b) Si contra personam Cardinalis vel Legati R. P.: 1°) excommunicatio l. s. *speciali modo* reservata; 2°) infamia iuris l. s.; 3°) privatio cuiusvis beneficii, officii, dignitatis, pensionis, muneris fer. sent.

c) Si contra personam Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis, incurritur excommunicatio l. s. speciali modo reservata.

d) Si contra aliam personam privilegiatam, incurritur excommunicatio Ordinario proprio reservata, a quo etiam aliae poenae infligi possunt.

III. Iniuria verbalis contra determinatas personas ecclesiasticas

Fontes: Decret. Grat. D. 46; C. XXIV, q. 3; C. V, c. 1; C. XV, q. 1. — Compil. II, lib. V, tit. 11, de clerico maled.; Cpl. V, l. V, tit. 15, de iniuriis. — Decretal. Gregor. IX, V, 36 de iniuriis, V, 26 de maledicis; Decretal. Bonif. VIII, l. V, t. 8 (8).

Scriptores: Commentator. iur. Decr. in cit. tit. — Zech l. c. tit. 21 de iniuriis. Muenchen l. c. p. 565 sq.; De Luca l. c. n. 279 sq.; Thesaurus l. c. v. Iniuria, Libelli famosi; Ferraris l. c. v. Iniuria, Libellus fam. — Hinschius l. c. t. V, p. 204, 811 sq.; Schiappoli l. c. n. 313 sq.; Hollweck l. c. § 191 sq.; Pertile l. c. p. 615 sq. — Commentatores Codicis (9).

455. *Iniuria verbalis* fieri potest, sicut aliae iniuriae, non solum contra auctoritates et personas ecclesiasticas, sed etiam contra alias personas sive privatas sive publicas. Et de facto in citatis duabus rubricis iuris Decretalium de iniuriis agebatur utramque personarum classem respicientibus. Codex separatis locis respicit personas eccle-

(8) Inst. IV, de iniuriis; Dig. XLVII, 10, de iniur. et fam. libell.; Cod. IX, 35, de iniur. 36 de fam. lib.; Regul. pen. Greg. art. 153 sq. (delle ingiurie); Cod. crim. Ital. art. 393 sq.; Cod. crim. Germ. § 185 sq.; Cod. crim. Hisp. art. 467 sq.; Berner l. c. 377 sq.

(9) Cfr. ex Theologis: S. Thomas l. c. q. 72 sq.; Lehmkuhl l. c. t. I, n. 1175 sq.; Ballerini-Palmieri l. c. tom. II, n. 1067 sq.

siasticas *determinatas* (can. 2344) quarum iniuriae etiam in contemptum auctoritatis vergunt, et iniurias in quaslibet personas irrogatas sive ecclesiasticas sive saeculares (can. 2355). Si hae personae laicae sunt, quae iniuriam irrogant, hodie praesertim, facilius et efficacius recurritur ad tribunal laicale; pro nostro foro praesertim in considerationem venire debent quae inferuntur in personas fori privilegio gaudentes.

Definitio et divisio. *Iniuria* quamvis generatim denotet quidquid non iure fit, vel etiam damnum culpa datum tamen in rubrica huius tituli intelligitur *dolosa laesio honoris alieni* (10).

Iniuria dividitur (11): I. Ratione *modi*, in *realem*, qua quis re vel facto honorem alienum laedit, et in *verbalem*, quae fit verbis in dedecus alterius prolatis; et *convicium* dicitur, si verba illa viva voce proferuntur, si vero scriptis, *libellus famosus* appellatur. - II. Ratione *excessus*, in *levem* et *atrocem* attentata qualitate personae laedentis et laesae atque considerata gravitate facti tum in se tum in circumstantiis loci et temporis. - III. Ratione *obiecti* in *detractionem*, qua defectus verus, sed occultus iniuste publicatur, et in *calumniam*, quae consistit in publicatione defectus falsi. In utroque casu vera habetur diffamatio proximi. Quod si detractio vel calumnia proferantur illo *praesente*, in quem dirigitur, praeter reatum diffamationis, etiam simul *contumelia* habetur (12).

Inde patet iniuriam triplici modo fieri posse, scilicet *verbis* cum quis sive absenti sive praesenti defectum sive moris sive naturae obiicit; *scriptis*, si libellus aliudve scriptum ad ludibrium, contemptum, infamiam alterius ordinatum divulgatur; *factis*, si positivis actibus vel omissionibus alterius probrum vel contemptum vel famae diminutionem procuret (13), v. gr. paschillis, imagine ad ludibrium depicta, quae etiam est modus loquendi (verbum ore, scripto, pictura prolatum) - Quodsi in *facto* contineatur iniuria realis contra clericum, est quaestio de violato canonis privilegio (14).

(10) Schmalzgr. tit. de iniur. n. 1 sq.

(11) Schmalzgr. l. c. n. 14 sq.; Hollweck l. c. § 192 not. 1.

(12) S. Thomas l. c.; Lehmkuhl l. c.

(13) Cap. 15, X, de excess. prael. V, 31.

(14) De iniuriis hominibus iam mortuis illatis cfr. Ballerini-Palmieri tom. II, n. 1097, ubi ex Lugo discutit num historiographis aliquid plus liceat quam ceteris hominibus.

456. Notae historice. I. Cum homines haud raro linguas suas custodire nesciant et passione quoque ducti in convicia prorumpant, mirum non est quod iam inde a primis saeculis prohibitioni divinae huius vitii accesserit sanctio poenalis Ecclesiae catholicae (15). Quod delictum, cum maxime clericos dedebeat, antiquis iam temporibus speciali ratione *in clericis* fuit punitum (16). Gratianus antiquos istos canones in suum decretum transtulit, ut patet ex citationibus allatis. Etiam in iure Decretalium non desunt statuta contra iniurias verbales (17), multoque magis iure particulari calumniatores gravibus poenis fuerunt subiecti (18). Speciali rigore auctores pasquillorum et libellorum famosorum castigati sunt; etenim certi pasquilli et libelli famosi generalibus regulis Indicis fuerunt (19) proscripti, cum aliorum libellorum famosorum auctores ex c. 1 (cap. Augilr.) c. 2 (S. Greg. M.), c. 3 C. V. q. 1 excommunicandi et flagellandi fuerunt (20). Praesertim vero in Statu pontificio Pius V Const. «*Rom. Pontificis*» 17 Mart. 1572, et Gregor. XIII Const. «*Ea est*» 1 Sept. 1572 severis legibus calumniatores compescere studuerunt et in calumniatores audaces Romanorum Pontificum complures sententiae capitales latae sunt (21).

II. Semper quidem consulendum fuit ut iniuriae *leves* aut ex levitate et inconsideratione prolatae, etiam a supremo Principe magnanimiter (cfr. c. 27 C. XXIII, q. 4) condonarentur, tamen optimo iure *atroces* et *audaces calumniatores* in foro quoque ecclesiastico severe puniri iussi sunt. Quare qui condemnatus fuisset ex actione iniuriarum, infamiam iuris incurrebat (22), et consequenter irregularitatem. Clerici autem in depressionem officii Rom. Pontificis verba iniuriosa proferentes poenis arbitrariis a competente iudice ecclesiastico castigati fuerunt. Cfr. cap. 1. X. de maled. Id quod proportionem servata valuit etiam de iniuriis Episcopis aliisque Praelatis

(15) Cfr. c. 3 Conc. Illiber. (a. 300-306) = c. 3, C. V, q. 1.

(16) Cfr. c. 5 (Stat. Eccles. antiqu.) D. 46 c. 2 (S. Greg. M.), c. 1 (cap. Augilr.) C. V, q. 1; c. 7 (S. Isid.), c. 1 (cap. Angilr.) C. V, q. 6.

(17) Cap. 1, X, de maled. (Clem. III, a. 1187-1191); cap. 23, X (Innoc. III, a. 1212) de sent. II, 27.

(18) Cfr. c. 11, Conc. Tarracon. (a. 1239); *Hinschius* l. c. tom. V, p. 204.

(19) Cfr. *Arendt*, De libris prohibitis, p. 148 sq.; *Hollweck* c. § 194, not. 1, 2.

(20) Cfr. *Pertile* l. c. p. 623 sq. de severis poenis fori saecularis.

(21) *Ferraris* l. c. Libell. f.; *Thesaurus* l. c. v. Lib. Fam.; *Reiffenst* (V, 36); *Schiappoli* l. c. n. 313, 314.

(22) Cap. 23, X, de sentent. et re (II, 27); *Thesaurus* l. c. v. Iniur. cap. 1.

ecclesiasticis illatis (23). Speciatim *regulares*, qui Praelatis ecclesiasticis detraherent, per duos menses iis subiiciendi fuerunt poenis, quae, secundum eorum regulam pro gravibus criminibus eis consuevissent imponi (24). Clericus maledicus in personas privatas et praesertim in sacerdotes ex c. 5 (Stat. ant. Eccles.) D. 46 cogendus erat ad postulandam veniam; si nollet, degradari i. e. suspendi debuit neque umquam absque satisfactione ad officium revocandus erat. Quae tamen poenae, cum iure tantum *particulari* niterentur, in praxi receptae non erant et recursus fiebat ad poenas arbitrarias.

Etiam severae poenae statuae in iniuriam qualificatam *libelli famosi*, quae partim ab aula recesserant, veluti flagellatio, partim iure mere particulari nitebantur, et poenis arbitrariis locum cesserant. Poenae autem severissimae a Pio V et Gregorio XIII l. c. in auctores libellorum famosorum statuae v. g. infamia ipso facto incurrenda, in sola ditione pontificia vigeabant et iamdiu praxi novisque legibus supervenientibus ablatae vel modificatae videbantur (25).

457. Iure Codicis. A. Primo considerantur iniuriae, quae vergunt in contemptum ipsius *auctoritatis*: tales sunt quae diriguntur contra R. Pontificem, Cardinalem, Delegatum R. Pontificis, Congregationes et Tribunalia Curiae Romanae eorumque officiales maiores, Ordinarium, etiamsi non ipsum munus sed persona in iniuriis inferendis respiciatur: ubi enim persona contemptui exponitur ipsius muneris auctoritas detrimentum patitur. Haec autem fieri possunt sive publicis ephemeridibus, sive contionibus, sive libellis, et hoc sive directe, sive etiam *indirecte* efficiendo ut ab aliis actio prohibita committatur, quo sibi cavet verus iniuriarum machinator, ut latere possit. Indirectus etiam modus est, si privata colloquia, epistolae, satyrae, primo inter amicos et notos divulgantur et deinde procuratur ut in publicum prodeant; non autem dum manent privatae notitiae.

B. Alia forma delicti committendi, est excitare simultates vel odia contra earundum personarum acta, decreta, decisiones, sententias, quod plerumque fit per detractiones, calumnias, mendacia, divulgatione falsi rumoris.

(23) *Schmalzgr.* tit. de maled. n. 10; cap. 1 de poenis V, 9 in Sext.

(24) Cap. 1 § 1 de privil. V, 7 in Clem.; *Schmalzgr.* tit. de maled. n. 11.

(25) Cfr. *Pertile* l. c. p. 623 sq. de severis poenis fori saecularis.

Licet autem delictum iniuriae sit actionis privatae, in casu, cum publici boni intersit, actionis publicae est, et Ordinarius non solum ad instantiam partis, sed etiam ex officio procedere debet et cogere iniuriarum auctores, etiam per censuras, ad satisfactionem praestandam. - Insuper delictum punire debet *congruis poenis* vel *poenitentis* proportionandis gravitati culpae et scandali reparationi (can. 234, iunct. can. 1618, 1938).

C. Etiam contra alias personas publica potestate destitutas, ordinis sive ecclesiastici sive saecularis physicas vel iuridicas et praesertim a clericis, qui privilegiato foro gaudent, per verbales iniurias honor et bona fama impeti potest v. gr. *contumeliis* aut conviciis, *detractationibus* seu revelationibus qualitatis vel facti ignominiosi veri sed occulti, *calumniis* seu appositione ignominiae falsae. Irrogari autem possunt iisdem modis supra enumeratis, verbis, scriptis, imaginibus etc.

Omnis iniuria verbalis ex can. 2355 est delictum: quodsi agitur de laico delinquente cum sit delictum mixti fori, plerumque satisfactio et ubi res ferat punitio poterit efficacius obtineri apud saeculare tribunal, quamvis ob necessitatem tuendi dignitatem status clericalis vel religiosi iniuria in clericos et religiosos etiam ex officio puniri possit (can. 1938). Clerici delinquentes, ob privilegium fori, deferendi sunt ad tribunal ecclesiasticum

Causas, quae ex ipso iure naturali permittunt revelationem *veritatis*, occultae famae alterius nocivam, docent theologi morales v. gr. *Noldin* t. II, n. 650, uti pariter loquitur de iure in famam *mortuis* competente n. 643, 3, itemque de his quae licent *historiographis* n. 653 et scriptoribus *ephemeridum* n. 652. - *Lugo* disp. 14 n. 87 sq.; *Lehmkuhl* I, n. 1426; *Ballerini-Palmieri* II, n. 1097.

Illud autem pro causis ad forum ecclesiasticum delatis animadvertendum est, *probationem veritatis*, si haec detractori feliciter in iudicio succedat, non est causa ab imputabilitate eximens, licet eximat a graviore imputabilitate calumniae. Licet autem consilium evangelicum remittendi iniurias ad omnes fideles pertineat, peculiari tamen ratione respicit clericos et religiosos.

Quodsi causa iniuriarum vel diffamationis, sive ex officio sive ad querelam partis laesae instituenda sit, *poenis infligendis* sub duplici ratione locus esse potest: 1° si causa *civiliter* instituatur ad reparationem iniuriarum et damnorum inde forte provenientium, ad quam iudex reum cogere potest *intimatis poenis, censuris non exclusis*;

2° si causa instituatur *criminaliter*, ad poenas arbitrio iudicis determinatas reus damnari potest, non exclusis quoad clericos *suspensione* aut *remotione* ab officio et beneficio (can. 2355) (26).

IV. Violatio clausurae

458. Ad canones poenales, quibus puniuntur delicta contra personas ecclesiasticas hoc sensu refertur, quod clausura pro religiosis, licet sit statuta in custodiam castitatis religiosae et ad consulendum tranquillitati et paci et profectui spirituali personarum in monasteriis degentium, propter annexas poenas contra violatores ad immunitates ecclesiasticas commode reduci potest.

Origo obligationis clausurae, quoad *regulares*, licet sit antiquissima, ab initio tamen clausura *virorum* magis *regulis* monasticis et consuetudine fuit praeformata, quam scriptis legibus *universalibus* poenisque canonicis fuit statuta et sancita (27). Sed cum tempore reformationis graves abusus ex neglecta clausura quoad admissionem feminarum irrepissent, Pius V Const. « *Regularium* » 24 Oct. 1566 et Const. « *Decet* » 16 Jul. 1570 universalem legem, reprobatis praetextibus et allegatis privilegiis, promulgavit, quas ratas habuit, auctis etiam poenis Gregorius XIII C. « *Ubi gratiae* » 13 Iunii 1575 et Clem. VIII C. « *Nullus* » § 18 et maiore adhuc rigore Bened. XIV C. « *Regularis* » 3 Ian. 1742, donec Pius IX, non sublatis aliis poenis, excommunicationem retinuit in C. *Apost. Sedis* (II, 20).

Pariter quoad moniales, licet iam a saec. IV per Concilia particularia reperiat praescripta (28), pleno tamen vigore et lege *uni-*

(26) Actio iniuriarum cessat: I. Expressa vel tacita *condonatione*; II. *Satisfactione* legitime praestita; III. *retorsione* iniuriae in eadem specie et ad sui defensionem (can. 2218, § 3); IV. *praescriptione* annua (can. 1702, 1703); V. morte alterutrius sive iniuriantis sive iniuriati ante litem contestatam. *Schmalzgr.* tit. de iniur. n. 41, 42, 48.

(27) Cfr. de *egressu* religiosorum: C. Chalced. (a. 451) c. 4 = c. 12. C. XVI, q. 1 et c. 10 C. XVIII, q. 7; cap. 7, X, de offic. ord. I, 31; cap. 1 § 5 de stat. monach. III, 10 in Clem. — de *ingressu* feminarum: Reg. S. Basil. apud *Migne* P. G. XXI, 933, 1155; *Novell.* 125, cap. 54 = c. 22 C. XVIII, q. 2; S. Gregor. I. IV epist. 42; c. 10 Conc. Antissid. (a. 670); c. 3, C. Caesaraug. (a. 691); c. 20 C. Nicaen. II (a. 787). *Hollweck*, p. 228.

(28) Cfr. v. gr. c. 33 Conc. Carthag. (a. 397); c. 38 Conc. Epaon. (a. 519); c. 19 Conc. Aurel. V (a. 549); c. 3 Conc. Lugd. III (a. 583); c. 46, 47 Conc. Trull. (a. 693); c. 13 Conc. Mogunt. (a. 813); c. 26, 27 Conc. Later. II (a. 1139) = c. 25

versali Bonifacius VIII cap. unic. de stat. regul. III, 16 in VI^o prima vice illam instituit; quam ampliavit Conc. Trident. adiecta excommunic. poena (sess. XXV, cap. 5 de regul.); hanc promovere studuerunt Pius V, Gregorius XIII, Gregorius XV et Benedictus XIV (29). Pius vero IX excommun. retinuit in *C. Apost. Sedis* (II, 6).

Iure Codicis. Clausura quae protegitur lege poenali can. 2342 est clausura quae dicitur *papalis*, regularium et nominalium, qui in ordine votorum sollemnum degunt; qua afficitur integra domus habitata cum hortis et viridariis, excluso templo cum accessoriis, collocutorio et hospicio advenarum (30). Porro lex clausurae interdicat: *a) in regularium virorum septa ingressum vel admissionem omnium omnino mulierum; b) intra septa monialium ingressum vel admissionem virorum ac mulierum; c) egressum cuiusvis monialis.* Ingressus est prohibitus sine speciali indulto: exceptiones recensentur can. 600, can. 598, § 2; idem dicatur de egressu (c. 601).

Delictum sub *a)* notatum committunt mulieres *ingredientes*, Superiores alique feminam etiam infantem *introducetes vel admittentes*.

Quoad *b)* delictum committunt omnes utriusque sexus fideles illegittime *ingredientes*; illos ab intra vel ab extra *introducetes; admittentes* seu *non impediens* ingressum. Si a poena lat. sent. eximuntur *impuberes*, haec tamen tenet introducetes vel admittentes (can. 2230).

Quoad *c)* delictum committit monialis, ex satis communi interpretatione vota sollemnia professa (31), quae a monasterio sine indulto S. Sedis egrediatur, etiam ad breve tempus, excepto casu imminentis periculi mortis aut alias gravissimi damni ad normam canonis 601.

Poenae: I. quoad tres modos: *a), b), c)*, violandi clausuram excommunicatio lat. sent. simpliciter reservata. — II. quoad clericos violantes clausuram monialium, praeterea *suspensio* fer. sent. — III. quoad religiosos introducetes vel admittentes mulieres in clausuram, *privatio officii et vocis activae et passivae* fer. sent.

C. XVIII, q. 2; c. 11 Conc. Later. III (a. 1179) = cap. 8, X, de vit. et hon. III, 1; *Hollweck* p. 221 sq.

(29) Pius V, Const. «*Circa*», Const. «*Decori*» (1566, 1570); Gregor. X, Const. «*Dubiis*» (1581); Gregor. XV, Const. «*Inscrutabili*» (1622); Benedict. XIV, Const. «*Cum sacr. virg.*» (1741); *Hollweck* § 149.

(30) Cfr. cc. 598, § 1, 606, 601. — *Wernz-Vidal*, t. III, n. 374, not. 6, 379.

(31) Alia est quaestio de peccato quoad novicias, postulantes et etiam ex plurium sententia quoad moniales simpliciter professas.

CAPUT XXXVII

Delicta contra res ecclesiasticas

459. I. **Usurpatio bonorum ecclesiasticorum** (can. 2345-2346). Praeter auctoritates aliasque personas ecclesiasticas, specialem protectionem poenalem merentur bona ecclesiastica, quae ipsa experientia docet facilius quam bona publica Status aut personarum privatarum spoliationibus et usurpationibus esse obnoxia.

Bona ecclesiastica temporalia can. 1497 dicuntur, quae vel ad Ecclesiam universam et ad Apostolicam Sedem vel ad aliam in Ecclesia personam moralem pertinent, mobilia, et immobilia, corporalia et incorporalia seu iura utilia quaecumque (1). Talia non sunt licet religiosum seu pium finem habeant cappellaniae laicales, patrimonium ordinationis, bona piae foundationis auctoritate ecclesiastica in ens iuridicum non erectae (2). *Fructus* et *reditus*, in quantum percipiuntur ex Ecclesiae bonis vel iuribus a persona physica vel morali in Ecclesiae bonis comprehenduntur, quatenus ius ad illos est ius ecclesiasticum.

460. Actiones, quae duplici canone citato poena percelluntur sunt:

a) Usurpare, quod de eo dicitur qui rem a domino occupat ut sibi appropriet eaque utatur ut sua. Declaratio S. O. 9 Mart. 1870 apud *Pennacchi*, (Comm. in *Apost. Sedis*, I, 368), quod nomine *usurpantis* non veniat *fur*, est data de alia censura, in qua agebatur de defensione domini temporalis ad Sedem Apost. pertinentis (*C. Apost. Sedis*, I, 12) et etiam de usurpatione iurisdictionis spiritualis (*C. Apost. Sedis* II, 11), et nimis evidens est iurisdictionem sive spiritualem sive temporalem *furto* auferri non posse, sed usurpari posse. Iure autem Codicis censura plectuntur usurpantes bona *aut* iura; bonorum autem nomine intelliguntur bona ecclesiastica sive corporalia mobilia et immobilia sive incorporalia seu iura ad eadem bona; iura vero tamquam res distincta a bonis etiam iura iurisdictionalia

(1) Can. 1479. Cfr. *Wernz-Vidal*, tom. IV, n. 736 sq.

(2) *Wernz-Vidal* l. c. n. 781; *Hollweck* l. c. § 156; *Chelodi* l. c. n. 78 ubi cum aliis etiam excludit *iamdiu* Ecclesiae subtracta, in quibus Ecclesia praesumitur iuri suo renuntiasse.

et similia complectitur. Pariter est manifestum bona immobilia et bona *incorporalia furto* auferri non posse (3), *usurpari* posse. Canon autem videtur intelligendum et de bonis temporalibus et iuribus ad illa, et de aliis iuribus, v. gr. de iurisdictione *etiam temporali* in iis in quibus adhuc illam retinet Rom. Pontifex, quorum violatio *sacrilegium* est cum sit coniunctum spirituali utilitati Ecclesiae, ut recte docet Suárez, De leg. I. IV, cap. 10. n. 3: cuius Status pontificii *subiectum iuris* est *Ecclesia Romana* sive *Sancta Sedes Apostolica*, quatenus cum his coniunctus est *primatus iurisdictionis* in universam Ecclesiam.

b) *Detinere* est rem ab alio usurpatam, quocumque titulo acquisitam, uti propriam possidere et domino non restituere.

c) *In proprios usus convertere* non solum potest id facere qui usurpavit vel qui rem usurpatam detinet, sed alii quoque qui non sunt usurpantes vel detinentes, v. gr., conductores praedii usurpati (4).

(3) Manifestum et in canonibus 2345 et 2346 comprehendi sanctiones constitutionis Apost. Sedis (I, 11, 12) et Conc. Tridentini (sess. XXII, cap. 2 de ref.) verbis tamen, praesertim quoad Const. Ap. Sedis, prorsus immutatis. Quare interpretes iuris praecedentis adeundi quidem sunt, sed non omnes eorum sententiae sunt iure novo recipiendae. Plerumque novi iuris interpretes canonem 2345 interpretantur quasi ad instar censurae Apost. Sedis (I, 12) ageretur de protegendis iuribus politicis Status Pontificii; haec quoque iura praesentis Status pontif. proteguntur, sed separatim proteguntur etiam temporalia bona ecclesiastica ad Ecclesiam Romanam pertinentia; dicitur « bona aut iura » dum in C. Apost. Sed. dicebatur « bona seu iura ». Cfr. *Chelodi*, n. 78.

Porro furtum non esse rerum immobilium et iurium incorporeorum est res manifesta, sive assumatur notio romana « Contrectatio rei fraudulosa lucri faciendi gratia vel ipsius rei vel etiam usus eius possessionisve » *Paulus* L. 1 § 3 D. 42, 2, sive notio Sti Thomae (2, 2, q. 66, art. 2) « Occulta acceptio (ablatio) rei alienae », cui merito a pluribus additur *corporalis* et *mobilis*. Porro *Schmalzgr.* (V, 18) de furtis, n. 3, « in rebus immobilibus, ut sunt agri, et incorporalibus, ut sunt iura, actiones, servitutes, furtum proprie committi non potest (*Ulpianus* l. 25 D. 47, 2), quia talia nequeunt attractari vel auferri, ideoque dicuntur potius vi vel dolo *occupari*, *usurpari* aut *retineri*, quam furto surripi » et n. 17 « Non committitur furtum in re corporali *immobili*; explosa enim est sententia existimantium, etiam fundi locive furtum fieri, tametsi enim res huiusmodi immobiles tangi possint, non tamen possunt de loco in locum moveri ». Similia *Pirhing* eod. tit. n. 5; *Reiffenstuel* ibid. n. 8, 9; *Lessius*, De iust. l. 2, cap. 12, n. 4. — Vicissim *usurpare* est vocabulum genericum. Cfr. *Hollweck*. § 185, not. 1. Qua ratione ventum sit ad cit. iurisconsulti Pauli furti definitionem erudite prosequitur *Ferrini Cont. Diritto pen. rom.* n. 147 sq., 151 sq.; *Regol. pen. Gregor.* art. 335 sq.; *C. crim. Ital.* (a. 1930), a. 624, 631; *Germ.* § 242 sq.; *Galliae* art. 379 sq.

(4) *Gennari*, Consultazioni (Romae 1902) I, Conc. VI.

d) *Impedire ne fructus percipiantur* ab habentibus ius, praestari potest etiam ab iis, qui nec sunt eorum fures aut usurpatores vel convertentes in proprios usus, velut per destructionem vel sequestrationem.

Quos actus nihil interest num quis ponat per se vel per alios, publica auctoritate vel auctoritate privata etiam iniustis legibus innixa.

461. Pro duplice canone hoc loco comprehenso (2345, 2346) distinguenda sunt: A) bona et iura *Ecclesiae Romanae*; B) bona et iura alterius ecclesiae vel personae moralis ecclesiasticae. - Pro a) plectuntur usurpantes et detinentes per se vel per alios et delictum est gravius tum ob dignitatem personae laesae, tum quia damnum est magis universale, cum bona et iura illa non soli Ecclesiae Romanae subserviant, sed pertinent etiam ad consulendum bono et commodo universalis Ecclesiae. Quoad b) plectuntur praesumentes per se vel per alios bona in proprios usus convertere, usurpare aut impedire ne eorundem fructus seu redditus ab iis, ad quos pertinent, percipiuntur.

Poenae. Pro delicto sub A) *excommunicatio* lat. sent. *speciali modo* reservata. - Insuper pro *clericis* delinquentibus privatio dignitatis officii, beneficii, pensionis, et *inhabilitas* ad eadem, fer. sent.

Pro delicto sub B) *excommunicatio* lat. sent. *simpliciter reservata*. - Praeterea: pro *patrono* delincente privatio iurispatronatus - pro delincente *clerico*, etiam tantum consentiente, *privatio* omnium beneficiorum fer. sent.; *inhabilitas* ad alia f. s.; *suspensio ab ordine* ad modum poenae vindicativae fer. sent. duratura ad arbitrium Ordinarii.

Excommunicatio perdurat quamdiu bona ipsa integre restituta non fuerint et impedimentum positum non fuerit amotum. Seria promissio non sufficit, ut possit quis absolvi, si tamen restitutio sit possibilis; in actuali impossibilitate sufficit seria promissio restituendi cum primum poterit.

Pro casu gravis difficultatis non confundendae cum impossibilitate, patet recursus ad *compositionem* a Sancta Sede obtinendam (5).

(5) De huiusmodi compositione egregie agit *Gennari* Consultazioni I, Const. 2 sq. — Pro Gallia circa compositiones vel condonationes ultimae usurpationis cfr. *Facultates concessas Ordinariis* 21 Sept. 1907 (A. A. S., II, 602); *Indultum* cfr. *Facultates concessas Ordinariis* 21 Sept. 1907 (A. A. S., II, 602); *Epist. Secretarii* Status 24 Sept. 1907 in *Anal. eccles.* a. 1908 p. 48 sq.; *S. Poenitent.* 16 Ian. 1909 (A. A. S., I, 239); *S. C. C.* apud *Monitore eccl.* t. 25, p. 61 sq.

Porro haud raro S. Sedes in Concordatis cum variis nationibus solita est condonationes plus minusve completas usurpatorum bonorum concedere sive ob speratas utilitates in causam religionis ex Concordato obventuras, sive ut conscientiarum tranquillitati prospiciat, sive gubernantium precibus motus. Quae condonatio etiam continetur in Concordato cum Italia 7 Iunii 1929 (A. A. S. vol. 21) a. 28, hoc pacto: « Ut conscientiarum tranquillitati consulat, S. Sedes omnibus iis qui, post eversionem patrimonii ecclesiastici legibus italicis factam, bona ecclesiastica possideant, plenam concedet condonationem. - Quem ad finem S. Sedes Ordinariis oportunas tradet instructiones » (6).

462. II. Illegitima alienatio bonorum ecclesiasticorum.

Brevissimae notiones praemittendae, iam alibi explanatae (*Wernz-Vidal*, tom. IV, n. 759 sq.). Res ecclesiasticae quae in bonum Ecclesiae eiusque finis subservire debent, non sunt talis condicionis ut absolute alienari non possint sed specialem accipiunt protectionem ut cum Ecclesiae damno non alienentur, in quem finem prohibentur alienari nisi servatis quibusdam condicionibus. Qua speciali protectione indigent bona et res, quae non a proprio domino, sed ab administratoribus rei alienae alienari contingant, et tales sunt rerum seu bonorum ecclesiasticorum administratores. Inter praecipuas condiciones illa est recensenda, ut alienatio non fiat sine deliberata et ponderata *licentia* legitimi Superioris. Hanc respicit canon poenalis 2347 dum provocat ad cc. 534, § 1 et 1532, in quibus et necessitas licentiae urgetur et declaratur a quo Superiore obtineri debeat.

Canones praedicti statuunt, quoad administratores in genere, esse *loci Ordinarium*, si rei pretium mille libellas non superet, *audito* praeterea administrationis Consilio et accedente consensu eorum quorum interest: quodsi rei pretium inter mille libellas et triginta libellarum milia contineatur licentia pariter obtinenda est *a loci Ordinario*, accedente tamen consensu tum Capituli Cathedralis, tum Consilii administrationis, tum eorum quorum interest: tamen ad alienandam rem pretiosam aut cuius valor triginta millia libellarum superet, requiritur licentia *Sedis Apostolicae*. - Quod vero attinet *ad religiosorum bona* in can. 534 requiritur eadem licentia *Sedis Apostolicae*; in iisdem casibus in quibus requiritur pro aliis administratoribus;

(6) Data in hanc rem fuit *Instructio S. Poenit. Apost.* 12 Maii 1929, quam publicavit *Apollinaris*, II, 423 sq.; cfr. quoque *Matth. a Coronata*, IV, p. 447.

in aliis bonis minoris valoris, requiritur licentia *in scriptis* data respectivi *Superioris religiosi* ad normam Constitutionum, praehabito *consensu* Capituli seu Consilii *secretis suffragiis* manifestato; illud praeterea additur, quod, quoad *moniales* et sorores *iuris dioecesani*, accedat necesse est *consensus* Ordinarii loci et Superioris regularis si huic monialium monasterium sit subiectum. De neglectis aliis formalitatibus ad alienationem requisitis, in canone poenali 2347 non est sermo; ideo ipsarum neglectus erit peccatum sed non delictum. At praeter illegitime sine licentia alienantem, percellitur *consensum* praebens.

Verbum *alienare* in sensu proprio huius vocis, est dominium transferre, quod fit per venditionem, donationem, permutationem, dando in solutionem vel concedendo in emphyteusim; non fit per contractum commodati vel locationis, nec concedendo mutuum aut rem supponendo hypothecae, licet forte aliqui ex his actibus iure praecedenti comprehenderentur sub delicto alienationis; lege enim poenali nova, nisi contraria adsit in lege declaratio, verba intelligenda sunt in sensu proprio; nemo autem dixerit rem alienare eum, qui ipsam in commodatum vel locationem tradit. Etiam iure Codicis sollemnitates ad alienationem requisitae praescribuntur servari et servandae sunt non solum in alienatione vera, sed etiam in quolibet contractu, quo condicio Ecclesiae peior fieri possit (can. 1553), ad praecavendum ne hoc accidat; nemo tamen dixerit per *quemlibet* contractum rem alienari, et ipsi contractus, per quos condicio Ecclesiae peior fieri possit, in pluribus casibus melior fiet, nec tamen sollemnitates omittendae sunt (7).

Quaenam dicuntur res *pretiosae* seu *notabilem* valorem habentes, artis, historiae vel materiae causae, suo loco declaratum est (*Wernz-Vidal*, tom. IV, n. 762). Videlicet ex parte materiae tuto videtur posse teneri, cum satis communi sententia, requiri *notabilem* valorem saltem mille libellarum (8).

(7) Legislator profecto obligat ad observandas sollemnitates praescriptas, non exclusa necessitate licentiae, etiam *extra veram alienationem* (can. 1533, ad quem non provocat canon poenalis 2342). Separatim deinde agit de commodato (can. 1537), separatim de locatione (can. 1541), separatim de oppignoratione et hypotheca; quae non confunduntur cum alienatione. Canon 1531 loquitur de pecunia ex alienatione acquisita; can. 1534 loquitur de actione reali contra possessorem rei invalide alienatae, quae non explicantur de alienatione impropria.

(8) Cfr. *Noldin-Schönegger* l. c. n. 100; *Chelodi* l. c. n. 79; *Eichmann*, Das Strafrecht d. CIC, § 54; *Cappello*, De cens. n. 410; *Caviglioli*, De cens. l. c. in

463. Gradus in delicto assignatur triplex :

a) Si sine debita licentia alienetur res minoris valoris, quam mille libell. - *Poena est indeterminata* prudenti arbitrio Ordinarii decernenda.

b) Si agatur de re, cuius pretium sit infra triginta millia libellarum. - *Poena est*: 1^o) quoad patronum, *privatio* iurispatronatus (9); 2^o) quoad administratorem, *privatio* muneris administratoris; 3^o) quoad Superiorem et Oeconomum *religiosum privatio* sui officii et *inhabilitas* ad cetera officia, praeter alias congruas poenas a Superioribus infligendas; 4^o) quoad Ordinarium et alios clericos, officium, beneficium, dignitatem munus in Ecclesia obtinentes, *mulcta* in dupla quantitate damni Ecclesiae vel causae piae illati, in harum favorem applicanda (10); 5^o) quoad ceteros clericos *suspensio* arbitrio Ordinarii.

Omnes hae poenae sunt ferendae sententiae, etiam mulcta: licet enim verbum *solvant* videatur esse poena lat. sent. cum immediate imponatur *obligatio* solvendi; tamen, cum aestimatio damni illati eiusque dupli, non possit relinqui arbitrariae aestimationi sive partis nocentis sive ecclesiae seu personae moralis damnificatae, ex natura rei requiritur interventus iudicis rem definiens et ad mulctam *determinatam* damnantis. Illa damnatio ad duplum, licet canon non determinet expresse cuius rei duplum imponi debeat, ex natura rei debet intelligi duplum *damni illati*, non valoris seu pretii rei alienatae; secus, cum alienatio sit invalida, ecclesia seu persona moralis dicesceret ex turpi facto seu delicto et alliceretur ad delictum pro-

CIC, n. 176; *Matth. a Coronata* l. c. p. 450. Nec desunt, qui ex parte materiae requirant, ut res pretiosa dicatur, ut pretium excedat libell. 30.000 v. gr. *Caviglioli* l. c. n. 174, cui sententia probabilitatem non negat *Matth. a Coronata* l. c. p. 451.

Etiam alienari valide non possunt sine beneplacito apostolico reliquiae et imagines pretiosae, nec reliquiae aut imagines quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorantur (cfr. can. 1281, § 1) neque donaria votiva quaecumque ex declar. S. C. C. 12 Iul. 1919. Quae autem ratione *cultus*, non ob pretium quod habeant ratione artis, historiae, materiae, sine beneplacito apostolico alienari vetantur, si praetermisso beneplacito Apost. alienentur non videtur haberi *delictum* can. 2347, 3^o; quod manifestum apparet in reliquiis, quae pretio aestimabiles non sunt, quod vero attinet ad donaria evidenter sub censura cadit alienatio in ea quantitate aut talis pretii unde fiunt res oeconomice pretiosae. *Chelodi* l. c. n. 79; *Matth. a Coronata* p. 450 et alii.

(9) Patronus reus erit delicti, si ipse alienat aut *necessarium* praestet consensum in alienationem ab alio factam.

(10) Pariter administrator et ceteri sub n. 4 enumerati delinquere possunt aut alienando aut consensum *necessarium* illegitime dando.

curandum: ergo damnificans debet reparare damnum (obligatio civilis); in poenam delicti punitur mulcta in quantitate determinata ex duplo damni i. e. post reparatum damnum, tantumdem solvat in poenam (11). Quae damnatio ad duplum, si fiat contra plures delictum patrans, intelligenda videtur ad normam can. 2211.

c) Si agatur de *alienatione*, ad quam requiritur beneplacitum apostolicum (ad normam can. 534, § 1 et can. 1532), eo *scienter* praetermisso, praeter alias poenas sub a) et b) arbitrio Ordinarii infligendas, incurritur *ipso facto* excommunicatio nemini reservata. Quam censuram incurrunt *omnes quovis modo rei*, sive *dando*, sive *recipiendo*, sive *consensum praebendo*, i. e. non solum alienantes et consensum ad alienationem praebentes, sed etiam rem illegitime alienatam in dominium *recipientes*, non exclusis Episcopis. Ad eam tamen incurrendam requiritur ut non adsit *probabilis* ignorantia, qua aut nesciatur agi de bonis ecclesiasticis aut ignoretur necessitas beneplaciti apostolici. Porro quoad tres casus requiritur *praesumptio* seu plena facti imputabilitas ad normam can. 2229, § 2 (12).

464. Nullitas alienationis et obligatio reparandi damna.

Uicumque licentia aut consensus est ad valorem requisitus (cfr. can. 1532 iunct. can. 538 et 1530, § 1, n. 3), si sine tali licentia vel consensu alienatio facta fuerit, actus attentatae alienationis effectu caret utpote invalidus (13).

Consequenter exoritur: 1^o) obligatio restituendi bona illegitime et invalide acquisita; et ad hoc contra bonorum detentorem Eccle-

(11) *Chelodi* l. c. Aliter rem explicant v. gr. *Eichmann* l. c. p. 174, cui consentire videtur *Matth. a Coronata* l. c. p. 455.

(12) Ad incurrendas poenas alienatio videtur debere esse *perfecta* ex utraque parte, non mere *inchoata* quae *de se* non transferat dominium, v. gr. ubi venditio non perficitur nisi rei traditione, ante traditionem non incurritur poena. Si alienatio fieret *sub reservatione beneplaciti apostolici*, ex plurium doctorum sententia, poena non incurritur, si ita fiat alienatio ut executioni mandari non debeat, nisi postquam licentia apostolica advenerit, interim enim res adhuc manet in dominio venditoris.

(13) In iure Decretalium (cap. 1, 3, X, de iis, quae fiunt etc. III, 10), alienatio facta sine consensu Capituli, ibi requisito, per subsequentem rathabitionem convalidari potuit: ad cuius praecedentis iuris normam etiam iure Codicis invalida alienatio per rathabitionem eorum, quorum consensus *necessarius* praetermissus fuit, videtur posse convalidari, excluso casu, quo iusta desit causa aut alienatio in manifestum ecclesiae damnum vergat.

siae competit *actio realis* salvo emptori *iure regressus* contra male alienantem: quae actio competit: *a*) ipsi alienanti; *b*) eius Superiori; *c*) utriusque successori; *d*) cuilibet clerico illi ecclesiae adscripto, quae damnum passa est (can. 1534) (14). - 2^o) obligatio reparandi damna forte illata; ad quam reparationem exigendam competit Ecclesiae *actio personalis* contra alienantem eiusque heredes (cit. can. 1534) quae obligatio urgeri potest per censuras.

465. III. **Neglecta adimpletio legati vel donationis ad causam piam.** Lex ecclesiastica (can. 1514) gravem imponit obligationem diligentissime implendi pias fidelium voluntates suas facultates in pias causas donantium vel reliquentium sive per actum inter vivos sive testamento, etiam per fiduciam; quae obligatio est etiam obligatio iustitiae ex parte illius, qui donationem acceptavit, cum ea cum modo intelligitur esse facta. - Quae obligatio duplici modo violari potest: 1^o) si quis bona per legatum aut alium piae donationis modum acceptat, ut ea sibi appropriet et in propriam utilitatem convertit, quo casu, licet non esset usurpator bonorum ecclesiasticorum, cum ea bona ecclesiastica non fiant nisi cum in Ecclesiae possessionem venerint, delictum tamen committeret impediendi ne eorum redditus ab iis perciperentur, ad quos de iure pertinent, ideoque incurreret poenas can. 2346. 2^o) alius modus legem violandi, est *neglectus* obligationis implendi commissum et acceptatum onus devolvendi ad piam causam legatum vel donationem; et haec negligentia punitur c. 2348. *Poena* debet ordinari ad cogendum infidelem donatarium ad implendam memoratam obligationem; ad hoc autem cogi potest et debet, cum aliis poenis, tum etiam censuris fer. sent.

Causa pia illa est, quae finem intendit aut spiritualem (qualis esset Missarum celebratio) aut temporalem pietatis vel caritatis ope Ecclesiae attingendum, velut sublevatio pauperum, infirmorum, catholica iuventutis educatio in scholis vel clericorum in Seminario, etc. (15).

466. IV. **Recusatio debitarum praestationum** (can. 2349). Quenam sint praestationes legitime debitae satis declaratur per provocationem ad can. 436, § 1 et ad can. 1507, in quibus sermo est

(14) Iure Decretal. *quibusvis ecclesiasticis personis* licebat *vocem contradictionis offerre* (can. 6, X, III, 13), *Schmalzgr.* in hunc tit. n. 151 sq.; quae locutio *denuntiationem* significat, etiam nunc ex natura rei permissam.

(15) Cfr. cc. 1544, 1513 sq., 1489, 1490.

de *praestationibus* et *iuribus stolae* parrocho debitīs et de taxīs Ordinario solvendis ob varios iurisdictionis actus. Qui ea recusant, prout fuerint sive lege sive consuetudine definita, puniri possunt arbitrio Ordinarii, donec satisfecerint.

CAPUT XXXVIII

De delictis contra vitam, proprietatem, bonam famam ac bonos mores

467. Titulus XIV lib. V notat complura delicta, quae maxima ex parte sunt mixti fori, eo quod religiosam societatem et civilem ordinem perturbant; quae licet in Codicibus poenalibus civilis societatis apte puniuntur, ob respectum religiosum non possunt ab Ecclesia penitus praetermitti. Iam ab antiquo utraque potestas in talia delicta proprias suas poenas constituerat, admissio tamen principio quod ratio haberetur praeventio. Cfr. datam explicationem can. 2198. Mutatis relationibus inter Ecclesiam et Statum et inde etiam populorum moribus, in novo Codice congruenter facta est distinctio inter delicta commissa a *clericis* et delicta commissa a *laicis*; hos puniendos relinquit potestati saeculari, illorum punitionem sibi vindicat Ecclesia simul cum foro privilegiato: sed cum de facto ipsi quoque clerici poenas saeculares non effugiant, ad normam can. 2223, § 3, 2^o, huius facti rationem habere debet iudex ecclesiasticus iuxta principium « ne bis in idem », salva tamen debita reparatione scandali fidelibus dati, praesertim a clericis, quorum delicta sunt fidelibus maxime nociva. Utrique rei consulunt Codicis praescripta.

§ 1. De homicidio

(Lib. V, tit. 12, de hom. vol. et cas. (1); tit. 10, de his qui fil. occid. (2); tit. 11 de inf. et lang. exposit. (3). — Codicis cc. 2350-2351)

Fontes: Decret. Grat. C. XV, q. 1 sq.; C. XXIII, q. 5; c. 23 D. I, de poenit. — Cpl. I, l. V, t. 10 de homic. volunt. vel cas. t. 9 de his qui fil. occ.; Cpl. II, l. V, iid. tit.; Cpl. III, l. V, t. 7 de homicidio; Cpl. IV, l. V, t. 6 de hom. vol. seu

(1) Dig. XLVIII, 8, ad leg. Corn. de sicar. et venef.

(2) Cod. IX, 17, de his, qui parentes vel liber. occider.

(3) Cod. VIII, 51, de inf. expositis. — Regolam. pen. Greg. art. 275-327; cod. crim. Ital. art. 364-392; nuovo Cod. a. 575 sq.; cod. crim. Germ. §§ 211-233.

cas.; Cpl. V, l. V, t. 6, d. hom. vol. vel casu aliq. facto. — Decret. Greg. IX, l. c.; Decret. Bonif. VIII, l. V, t. 3, de homicidio; Const. Clem. V, l. V, t. 4, de homic. vol. vel cas. — Conc. Trid. sess. XIV, cap. 7 de ref., sess. XXIV, cap. 6 de ref. — Decret. Clem. P. VIII, ed. Sentis p. 168, 176; Sixt. V, Const. «*Effrenatam*» 29 Oct. 1588, iunct. Gregor. XIV, Const. «*Sedes Apostolica*» 31 Maii 1591. — Lib. Sept. l. V, t. 8, de homicidis et bannitis. — Pii IX, Const. «*Apost. Sedis*».

Scriptores: Comment. iur. Decret. in cit. tit. (4); S. Raymund. l. c. l. II, t. 1 de homicidio (5). — Zech l. c. t. 26 de homicid. simpl., tit. 27 de quibusd. specieb. homicid. qualif.; Vering l. c. § 197. — Muenchen l. c. p. 364 sq.; Hollweck l. c. § 162, 163; Ojetti, Synops. v. Homicidium; Thesaurus l. c. v. Homicidium; Ferraris l. c. v. Homicida; Schmitz l. c. in indic. v. Mord; Geiger in Archiv f. k. K. t. 61, p. 225 sq. — Phillips l. c. t. I, p. 589 sq.; Hinschius l. c. tom. V, p. 176 sq., 793 sq.; Schiappoli l. c. n. 282 sq.; Pertile, Storia del Dir. penale § 200. — Chelodi n. 80, 82; Matth. a Coronata n. 2015 sq.

Conexio materiae. Post delicta in Deum et in Ecclesiam eiusque auctoritatem commissa, inter delicta, quibus hominum privatorum iura violantur, profecto *homicidium* et cetera delicta contra vitam primum locum obtinent, cum ipsa vita, hominis bonum adeo pretiosum et quamplurimorum iurium fundamentum, omnino destruat.

468. Definitio. Homicidium est violenta (non naturalis) occisio, ademptio vitae, exanimatio *hominis* vivi (etiam foetus animati) ab *homine* (non a bruto vel a fulmine) facta. Quod homicidium ut etiam rationem veri delicti habeat, «*dolo malo*» et cum effectu i. e. morte secuta factum sit oportet (6).

Divisio. Dividi potest homicidium universim spectatum: I. In *voluntarium*, quo intenditur occisio aut directe et in se aut indirecte ponendo causam ita propinquam, ut ex ea morali certitudine mors sequatur, et in *casuale* sive involuntarium, quod sequitur praeter directam vel indirectam intentionem occisoris. Quod homicidium voluntarium denuo subdividitur in *iustum*, quod nulla lege prohibetur, et *iniustum*, quod lege divina vel humana prohibetur.

Porro homicidium *iustum* potest esse *defensivum*, quod committitur aut a privato, ut se suasque res defendat, servato tamen mo-

(4) Veteres canonistae velut Schmalzgr., Zech aliique nimis multa in se parum apta et plane antiquata ex iure romano et aliis iuribus civilibus inserunt.

(5) Ex Theolog. S. Thomas l. c. 2, 2, q. 122, art. 6; Lugo, De iust. et iur. disp. X; Muenchen l. c. p. 364; Maschat h. t. n. 1.

(6) Cfr. cap. 1, 6 h. t. Decretal.; cap. 1 h. t. in VI; Schmalzgr. n. 1, 2, 10 sq.; Muenchen l. c. p. 362 sq.

deramine inculptae tutelae, aut ab auctoritate publica in iusto bello ad tuenda iura sua, et *punitivum*, quo in iudicio criminali, capitalium delictorum reis ab auctoritate publica poena mortis infligitur.

Tandem homicidium *iniustum* distinguitur in *simplex*, quod voluntarie fit, sed absque deliberatione caedem praecedente et in *praemeditatum*, quod fit non solum voluntarie, sed ex deliberato proposito occidendi per intervallum caedem praecedente. Quodsi homicidio praemeditato specialis quaedam malitia accedat velut in parricidio, assassinio, habetur homicidium *qualificatum*. Cfr. Regul. pen. Greg. art. 276. Casuale vero homicidium dividitur in *mere casuale*, quod caret omni culpa occisoris, et in *culposum*, quod sane absque directa vel indirecta intentione occidendi est factum, sed culpa non caret propter omissam debitam diligentiam in praecavendo homicidio. - II. Hinc breviter homicidium dividi potest in *necessarium*, *dolosum*, *culposum*, *casuale* (7).

469. Notae historicae. Homicidium in antiqua Ecclesia fuit unum ex tribus capitalibus delictis (8) ideoque gravissimis poenitentis publicis fuit subiectum (9). Multo magis Ecclesia (10) homicidium coercere debuit inter populos occidentales aevi, qui adeo prompti fuerunt ad arma capienda. Hinc mirum non est, quod ad tuendos clericos contra iniustas aggressiones etiam speciales canones conditi fuerunt (11), et cum homicidium sit crimen mixtum cuius coercitio maxime spectat ad forum saeculare, facile intelligitur, cur Ecclesia in isto delicto coercendo maxime poenas sibi proprias et in primis irregularitatem attenderit. Leges quoque antiquae in subdecreto Gratiani et in Decretalibus Gregorii IX contentae in subsequentibus collectionibus non nisi paucis legibus fuerunt augendae et potius ad casus praticos applicandae novisque poenis (12) ur-

(7) Zech l. c. § 322; Regul. pen. Greg. art. 290 sq.

(8) Schmitz. D. Bussbuedrer p. 13, 23, 27; Kober l. c. p. 594 sq.; Hinschius l. c. t. IV, p. 694 sq. pro suo modo protestantico.

(9) Cfr. c. 5, 6, 63 Conc. Illiber. (a. 300-306); c. 21, 22, 23 Conc. Ancy. (a. 314); c. 65 Apostol.; Schmitz l. c. p. 247 sq., 252 sq.

(10) Cfr. c. 37 Conc. Agath. (a. 506); c. 52, 53, 54, Conc. Tribur. (a. 895); Hinschius l. c. tom. V, p. 176 sq.

(11) Cfr. c. 26 Conc. Wormat. (a. 868); c. 5 Conc. Tribur. (a. 895) c. 24, 29, C. XXIV, q. 4; cap. 12, X, de poenis V, 37; Kober l. c. p. 794; Hinschius l. c. p. 178 sq.

(12) Cap. 5, de poenis V, 9, in Sext.; cap. 1, de poenis V, 8, in Clem.

gendae. Id quod potissimum obtinuit in delictis assassinii (13), latrocinii (14), abortus (15). Maior autem rigor Sixti V in poenis infligendis contra procurantes abortum a Gregorio XIV ad moderatos terminos iuris communis reductus est. Item ius asyli, ne esset homicidis favorabile, Gregorius XIV et Benedictus XIII, arctioribus circumscripserunt limitibus (16). Denique Pius IX. in Const. «*Apost. Sedis*» idem homicidium qualificatum abortus potius severiori quadam censura castigandum esse decrevit, relictis poenis *vindicativis* in suo vigore secundum disciplinam eo tempore vigentem.

I. De homicidio doloso et culposo

470. Homicidium ut constituat reatum veri delicti homicidii *dolosi* (17), tamquam a *subiecto activo* debet esse patratum ab homine sive privata sive publica auctoritate praedito, sed iure occidendi destituto (18) eiusque *obiectum* sit oportet homo vivus; sed omnis homo vivus comprehenditur, etiam servus vel foetus animatus vel infans nondum natus vel monstrositate difformis (19). Ex parte vero *actus* requiritur, ut occisio sive exanimatio sit vere intenta sive directe et in se sive indirecte in causa ita proxima, ut morali certitudine mors necessario sequatur (20). Denique ut poena in iure

(13) Cap. 1 h. t. in Sext.

(14) Urban. V, Const. «*Apostolatus*» a. 1369; Gregor. XI, Const. «*Excom.*» a. 1372; *Hinschius* l. c. p. 179.

(15) Sist. V l. c.

(16) *Sentis* l. c. p. 129 sq.; *Zech* l. c. § 58; *Schmalzgr.* h. t. n. 197, 202, l. III, t. 49. Cfr. Gregorii XIV, Const. «*Cum alias*» 24 Maii 1591; Benedict. XIII, Const. «*Ex quo divina*» 6 id. Iunii 1725; Benedict. XIV, Const. «*Officii nostri*» 15 Mart. 1749 (1750).

(17) Homicidium voluntarium et iustum sive in bello iusto sive in legitima defensione privata, cum non sit delictum, hoc loco in considerationem non venit. Cfr. *Schmalzgr.* h. t. n. 22 sq.

(18) C. 5, 11, 12, C. XV, q. 1; *Muenchen* l. c. p. 364 sq.

(19) Cfr. c. 20, X, h. t. V, 12; *Muenchen* l. c. p. 366 sq., ubi recte reicit laxas sententias recentiorum iuristarum non paucorum de permissa occisione monstrorum infantium. *Hollweck* l. c. § 162, not. 2; *Wernz* l. c. tom. II, n. 144, not. 396 iunct.; *Antonelli*, Medic. pastor. (ed. 3) tom. I, n. 307 sq., tom. II, n. 399 sq., ubi ostendit, quidquid a muliere editur, quamcumque formam externam prae se ferat, esse foetum *humanum*, nisi certe agatur de mola inanimata; *Ferreres*, La muerte real y la muerte aparente (4^a ed.) p. 15 sq. Cfr. de occisione innocentium: *Bucceroni*, Theol. mor. t. I, p. 246 sq.

(20) Cap. 1, 6, § 1, X, h. t.; *Schmalzgr.* h. t. n. 10.

statutae incurrantur, actus effectu secuto *consummatus* sit necesse est per mortem vere secutam (21), nisi lege aliter cautum fuerit, vel solum attentatum homicidium certis poenis esse castigandum, attentis generalibus principiis cc. 2213, 2235 (22). Delictum vero *culposi* homicidii ea ratione tantum differt ab homicidio doloso, quod occisor neque directam neque indirectam habeat intentionem occidendi, attamen ex praecedente aliqua *negligentia* fit causa mortis alicuius hominis, veluti si in loco publico ab hominibus frequentato expedit sclopetum (23). Cfr. cc. 2199, 2293.

Poena canonica in delictum homicidii adhuc manet pro omnibus *irregularitas* ex delicto ad modum poenae et privatio iurispatronatus (can. 985 et 1470): quod valet de quolibet homicidio *doloso*, excluso homicidio mere culposo (24).

Insuper *laicus*, qui fuerit *legitime* damnatus ob delictum homicidii *ipso iure* exclusus habendus est ab actibus legitimis ecclesiasticis, et a quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat, firmo onere reparandi damna (can. 2354, § 1). Poenam in iudicio laicali in homicidam latam Ecclesia in suo foro agnoscit, et aliam poenam sui fori adiungit in expiationem etiam coram coetu fidelium debitam. Quae poena canonica est latae sententiae, sed non immediate sequitur delictum sed legitimam damnationem, quae cum solet esse notoria, non videtur exigere sententiam declaratoriam (can. 2232, § 1); prudenter tamen dabitur antequam executioni mandetur, ut etiam constet titulus exclusionis. *Clericus* vero reus homicidii culpabilis est degradandus (can. 2254, § 2).

II. Mutilatio et vulneratio

471. *Mutilatio* vel *vulneratio gravis* et alia quaevis gravis *violenta*, quae iure Decretalium non considerabantur ut delicta specifica (25), sed comprehendebantur sub generica ratione iniuriae

(21) R. I, 15, 49, in Sext.; *Schmalzgr.* h. t. n. 11 sq.

(22) Cap. 1, § 2, h. t. in Sext.; Reg. pen. Greg. art. 83, 88, art. 275 sq.

(23) *Schmalzgr.* h. t. n. 8, 207 sq.; cap. 7, 8, 25, X, h. t.; Regol. pen. Greg. art. 290 sq.

(24) Iure praecedenti, praeter irregularitatem, incurrebatur infamia, aliae quoque poenae arbitrariae. Cfr. *Wernz*, Ius Decretal. VI, n. 366; *Hollweck* l. c. § 162; *Schmalzgr.* h. t. n. 146 iunct.; *Zech* l. c. § 336 et Instr. Prag. § 92.

(25) Cfr. *Schmalzgr.* h. t. de homicidio n. 155 sq.; *Muenchen* l. c. p. 247; *Hollweck* l. c. § 166, 167. Cfr. cap. 3 de homic. in VI; cap. unic. eod. in Element.

realis, in Codice speciatim considerantur inter delicta mixti fori, quae in laicis puniuntur post damnationem fori saecularis, in clericis (ob forum privilegiatum) propriis fori ecclesiastici poenis, ut supra dictum est de homicidio. Can. 2254 (26).

§ 2. De procuratione abortus (27)

472. Procuratio abortus, quae aliter ab aliis definitur, v. g. foetus immaturi eiectio vel dolosa eiectio foetus ex utero matris, constituit delictum *dolosi* homicidii (28), si foetus humanus *vere animatus* (29) ante tempus a natura ad parturiendum praestitutum dolose interficitur sive per occisionem in utero matris, quam sequitur eiectio foetus, sive per ipsam violentam eiectionem foetus immaturi cum morte coniunctam (30).

Quare delictum abortus non committitur per partum *acceleratum*, quo prolis iam vitalis (id quod fit circiter inde a fine septimi mensis gestationis) partus ad praecavenda maiora pericula per artis medicinae remedia *aliquantum* anticipatur.

Nefandum hoc scelus quod olim apud ethnicos, graecos et romanos valde commune fuit (31), apud hebraeos rarissimum existit ac multo magis inter christianos iam late diffusa religione christiana toto medio aevo, licet occulti abortus non defuerint, at semper habitum est ut delictum, cui Ecclesia per suas leges poenales constanter obstitit; artificialis vero abortus non fuit receptus multo mi-

(26) Damnatus in foro saeculari iam habebatur infamis; se vel alios mutilans fiebat irregularis.

(27) Lib. V, tit. 10, X, de his qui fil. occ.; Regul. pen. Greg. art. 310 sq. Cfr. de iure Romano: *Muenchen* l. c. p. 414 sq.; *Ferrini* l. c. n. 317; *Heidenreich* in casum alterum Const. Pii IX 12 Oct. 1869, Moguntiae 1890; *Noldin-Schöneegger*, De poenis eccl. n. 92; *Vermeersch-Creusen*, III, 551; *Chelodi* n. 80; *Matth. a Coronata*, IV, 2015 sq.

(28) De abortu saltem culposo cfr. cap. 20, X, de homicid.

(29) Cfr. c. 8 (S. August.) C. XXXII, q. 2; cap. 20, X, de homic.; Prop. 34, 35, damn. ab Innoc. XI, 2 Mart. 1679.

(30) Cfr. c. 20, C. II, q. 5; cap. 5, X, de homicid.; *Caramelli* l. c. p. 494 sq.; *Schmalzgr.* tit. cit. n. 28.

(31) Plato et Aristoteles abortum commendare non erubuerunt; Hippocrates etiam plures modos illum procurandi docuit; Seneca, Iuvenalis, Ovidius testes sunt frequentissimi illius abusus apud Romanos. Cfr. *Heidenreich*, Dissert. in casum alterum Const. Pii IX, Moguntiae 1890, p. 4, 6; *Eschbach*, Disput. physiolog.-theolog. Parisiis 1884, disp. 3.

nus publice commendatus, sed vel ipsi medici illiciteitatem abortus directe intenti sive ut finis, sive ut medii, concorditer proclamabant. At inde a saec. 18 in Anglia post *Cooper*, qui abortus liceitatem adhuc dubitanter proponebat, deinde saec. 19 etiam in Germania et Gallia sub influxu praesertim materialismi passim inter medicos dominantis, ea idearum perversio inducta est, ut tandem Academia Bruxellensis a. 1853 et Parisiensis a. 1863 declarare non erubuerint *officium* esse medici artis suae auxilium praestandi ad abortum procurandum, si mater ob difficilem gestationem vita periclitaretur (32). Hinc tandem ob morum depravationem in dies crebrescentem, ob coniventiam vel debilitatem iudicum in applicandis legibus haud raro insufficientibus, lues illa in immensum propagata est (33), licet ex progressu scientiae certum sit vix umquam necessariam esse ad procurandam matris salutem graviditatis interruptionem per foetus eiectionem (34). Quodsi novi modi defendendi abortum et novae praxes foetum occidendi excogitatae sunt, Ecclesia non defuit officio suo inculcandi observantiam iuris naturalis et damnandi doctrinas et praxes illi oppositas (35).

Ex variis responsis S. Officii constat « tuto doceri non posse licitam esse quamcumque operationem directe occisivam foetus, etiamsi hoc necessarium foret ad matrem salvandam »; proinde *cra- niotomiam* vel *cephalotripsiam* non licere nec abortum quocumque casu directe procuratum. S. Officium 28-31, Maii 1899, 19 Aug. 1899, 24 Iulii 1895. Cfr. *Analecta eccl.* t. III, p. 483. At abortum *indirecte* tantum procurare seu melius *permittere*, subministrando matri morbo gravi laboranti remedia ad sanitatem matris *de se* ordinata, ex quibus *per accidens* forte sequatur abortus, ex causa proportionata et in defectu aliorum mediorum non est illicitum. Qua da re consulendi sunt moralistae. Cff. Card. *Gennari*, Consultazioni canon. I, p. 354 sq.

(32) *Eschbach* l. c. p. 312 sq.

(33) *Boule*, La responsabilité du médecin... in Nouvelle Rev. Théol., 1911 p. 599 sq.; *Coppens*, Catholic Encyclopedia, New York 1907 sq., v. Abortion t. I, p. 48, 49. Argumenta seu potius sophismata, quibus suam cooperationem coherere tentant medici, refutata iuveniuntur apud *Heidenreich* l. c. p. 45 sq.; *Eschbach* l. c. p. 349 sq.; *Boule* l. c. p. 607 sq.; *Beugnet*, Dict. de Théol. cath., Avortement t. I, p. 2648 sq.; *Capellmann*, La médecine pastorale, Paris 1907, p. 25 sq. atque eiusdem auct. dissert. de occisione foetus, Aquisgranæ 1875.

(34) *Lavrand*, Le médecin chrétien, Paris 1901, apud *Besson*, Dict. Apologét. de la Foi cath. v. Féticide thérapeutique t. I, col. 1910; *Coppens* l. c. p. 47.

(35) *Denzinger-Bannwart*, Enchirid. n. 1184 sq.

Poenae abortus (36). In iure Codicis (can. 2360, § 1) statuta est excommunicatio latae sententiae Ordinario reservata, clerici vero praeterea sunt deponendi. - Insuper incurritur irregularitas ex delicto ab omnibus qui humani foetus abortum procuraverunt (can. 985, 4°).

Poenam incurrunt, matre non excepta (37), verum abortum procurantes foetus immaturi i. e. primis 180 diebus post conceptionem. - *Procurantes* habentur qui *directe* et *studiose* et *ex industria*, sive actione *physica* sive *moralis* v. gr. mandato, iussione, minis in abortum concurrunt. Cooperatores reliqui iure Codicis tractandi sunt ad normam cc. 2231, 2309, ubi cooperatores efficaces et necessarii eadem ac principalis auctor poena plectuntur. Poenae incurruntur *effectu sequuto*, nulla facta distinctione inter foetum animatum et non animatum; quare veteres controversiae de tempore animationis non amplius respiciendae sunt (38).

Plures quidem DD. censuram incurrere negant ab iis, quos, priusquam effectus sequatur, procurati abortus poenitet, sive per veram poenitentiam independentem a confessione, sive cum adiecta confessione quam nonnulli requirunt. Horum doctorum sententiae accedere non possum, nec admittere allegatam rationem quod in tali casu, cum incurrenda esset censura, delinquens non amplius est contumax. Peccatum in casu cum prava et contumaci voluntate commissum fuit, ut supponitur; huius peccati poena est censura, non est poena peccati perseverantis et nondum remissi; nec poeni-

(36) *De iure antiquo*: ante Sixt. V, cfr. c. 63, 68, Conc. Illiberit. (a. 300-306); c. 21, Conc. Ancyr. (a. 314); c. 2, Conc. Ilerd. (a. 521-546); cit. can. ex Grat. et Decretal.; et de antiquis theoriis de vivificatione cfr. c. 8 (S. Aug.), c. 10 (S. Hier.) C. XXXII, q. 2; *Muenchen* l. c. p. 415 sq.; *Caramelli* l. c. p. 496 sq. — Post Sixti V Const. «*Effrenatam*» 29 Oct. 1588 et correctoriam Const. Gregorii XIV «*Sedes Apost.*» 31 Maii 1691, § 2, qui directe vel indirecte procurassent abortum et complices per consilium vel auxilium incurrerent poenas in veros homicidas latas, sed considerabatur abortus foetus *animati*, nondum dirempta controversia de tempore animationis foetus, quam vide apud *Heidenreich* l. c. p. 12 sq. Quam distinctionem sustulit Pius IX in Const. *Apost. Sedis* quoad excommunicationem Ordinariis reservatam. Cfr. *Thesaurus* v. Abortus; *Schmalzgr.* c. tit. n. 30 sq.; *Muenchen* p. 416 sq.; *Kober* l. c. 596, 760 sq.; *Hilarius a Sexten* l. c. p. 219.

(37) Matrem, iure praecedenti, excusabant plures DD.; controversiam diremit Codex, matrem poenae subiiciens.

(38) De illis antiquis theoriis circa tempus animationis foetus ac de hodierna veriori doctrina cfr. *Heidenreich* l. c. p. 12 sq.; *Antonelli*, *Medic. pastoralis*, part. I c. 10.

tentia subsequens impedit quominus causa abortus suum producat effectum. Cfr. can. 2299, § 5.

Scholion. Qui foeticidium per craniotomiam, embryotomiam, aut aliud simile medium patrent, homicidium committunt et poenas homicidii profecto contrahunt. Plures tamen DD. ante et post Codicem, negant in tali casu committi abortum et poenas incurrere canonis 2350, § 1. Quorum DD. opinioni pariter accedere non possum. Profecto, si ponatur in definitione abortus quod sit eiectio foetus immaturi *et vivi*, qui extra uterum matris vivere non possit, occisio foetus intra uterum matris ut inde iam mortuus extrahatur, non erit habenda ut abortus. Pariter abortum non patrat, qui foetum *certo* mortuum ab utero matris extrahit. At qui occidit foetum in utero matris ut illum extrahat, nihil differt ab eo qui foetum occidit per extractionem, quam necessario sequi debeat mors; immo maior est malitia in occisione quae fit directe in utero quam in *permissione* mortis foetus, quae permittitur per extractionem quin directe intendatur. Malitia abortus venit ex morte foetus etiam mere permessa seu non directe intenta, quamvis cognoscatur directe et necessario conexa cum actione quae ponitur circa foetum; quae profecto habetur in directe intenta occisione, licet haec sicut prior, ordinetur ad eundem finem. Tale foeticidium re et intentione est verus abortus.

Nec lex, etiam poenalis, quae percelleret delictum eiectionis foetus vivi (qui extra uterum baptizari potest) et non percelleret occisionem in utero ut extrahatur mortuus (ac proinde sine possibilitate baptismi) esset rationalis et aequa, quae, *in eadem specie* delicti, minus delictum puniret, graviore relicto impunito. Porro talis lex aperta relinqueret viam committendi illud delictum gravius ad evitandam poenam delicti levioris, in eadem specie delicti; quod etiam in lege poenali, praesertim ecclesiastica, admitti non potest. Huc autem spectabant decisiones S. Officii, attentis circumstantiis casuum ipsi propositorum (Collectanea. II, n. 1618) (39).

473. Homicidium qualificatum. Iure praecedenti speciatim considerabantur plures species delicti homicidii *qualificati*, de quibus in Codice non occurrit mentio, quae qualitas augens delicti gravita-

(39) Cfr. *Matth. a Coronata* l. c. n. 2015, pag. 460 et iam suo tempore *Goepfert* in *Theologisch-praktische Quartalschrift* (a. 1886) p. 373.

si quis casu vel ex amentia (50) sibi mortem infert, ab isto delicto immunis est. Mentis autem alienatio non praesumitur (can. 2200, § 2) sed probanda est medicorum testimonio aliisque mediis; si tamen de statu mentis aut de causa mortis (num casu vel voluntarie acciderit) dubium manet, infelici homini favendum est. At qui ob desperationem vel iracundiam sibi manus infert reus homicidii est habendus, nisi probetur impetum passionis sufficientem mentis deliberationem abstulisse.

Poenae suicidii: a) Si ex attentato suicidio mors secuta est, reus est privandus sepultura ecclesiastica, nisi ante mortem aliqua signa poenitentiae dederit (can. 2350, 1240, § 1).

Si superstes fuerit, poenae ferendae sententiae sunt:

a) remotio ab actibus legitimis;

b) quoad clericum insuper suspensio temporanea ad arbitrium Ordinarii et privatio beneficii et officii, quibus adnexa sit cura animarum interni vel externi fori (51).

§ 4. De duello (52)

(Lib. V, tit. 14 de clericis pugn. in duello, tit. 13, de torneamentis, tit. 15, de sagittar. (53).

Fontes: Decret. Grat. c. 22 (Nicol. I) C. II, q. 5. — Cpl. I, l. V, t. 11, de torn., t. 12, d. cl. p. in d., tit. 19, de sagittar.; Cpl. II, l. V, t. 7, 8, iid. rubr. — Decret. Greg. IX, l. c.; Extrav. Ioann. XXII, tit. 9 de torneam. — Conc. Trid.

iur. nat. t. II, n. 39 sq. De incremento suicidiorum ultimo saec. cfr. *Krose*, Der Selbstmord im 19. Jahrhundert, Freiburg 1906. Cuius lugendi incrementi causae, praeter eas quae amentiae et dementiae casus auxerunt, praesertim sunt praecox et intensa vitae sexualis excitatio unde energia moralis debilitatur; voluptatum omnium inexplebilis sitis, cui succedit desperatio, si attingi non possunt aut non amplius satiant; paupertatis et infortuniorum incrementum, ubi simul imminuta fide in Deum et vitam aeternam et amissa inde christiana resignatione non amplius valent homines huius vitae mala patienter tolerare. Cfr. *Vanden Heeren* in Catholic Encyclopedia v. Suicide t. XIV, p. 327 sq.

(50) Cap. 11 X, de sepult. III 28, c. 5, 6, C. XV, q. 1 de homicidiis a furiosis factis.

(51) De poenis antiqui iuris cfr. *Thesaurus* l. c. v. manus sibi inferens *Hollweck* l. c. § 164.

(52) Cfr. *S. Raymundus* l. c.; Decret. Clem. P. VIII, l. c.; Lib. Sept. lib. V, tit. 17. de duello et duellum permittentib.

(53) Regol. pen. Greg. art. 296 sq.; cod. crim. Ital. art. 237 sq., nuovo cod. poen. a. 394 sq. cod. crim. German. § 201 sq.; cod. crim. Hisp. art. 439 sq. — Cfr. *Gelli*, Codice cavalleresco, Hoepli; *Borciani*, Le offese all'onore (Torino 1927) p. 294 sq.

Sess. XXV, cap. 19 de ref. — Decretal. Clem. Pont. VIII ed. Sentis p. 169 sq., lib. V, tit. 10, de pugnantis in duello; Pii IV, Const. «*Ea quae a praed.*» 13 Novemb. 1560, ubi confirmat Iul. II, Leon X, Clem. VII, Constitutiones contra duellantes; Gregor. XIII Const. «*Ad tollendum*» 5 Dec. 1582; Clem. VIII Const. «*Illius vices*» 17 Aug. 1592; Bened. XIV Const. «*Detestabilem*» 10 Nov. 1752; Pii IX Const. «*Apost. Sed.*» — Leon. XIII Encycl. «*Pastoralis officii*» 12 Sept. 1891 ad Ep. Germ. et Austr. de prava duellor. consuet. — S. C. C. in caus. Wratisl. 9 Aug. 1890, in *Act. S. Sed.* vol. XXIII, p. 234 sq.; S. C. Inq. 28 Maii 1884 l. c. vol. XVII p. 601. — Codicis can. 2351.

Scriptores: Comm. in cit. tit. iur. Decr. — *S. Raymundus*, Summa lib. II, tit. 3 de duello, tit. 2 de torneam., tit. 4 de sag. et ballist. — *Zech* l. c. tit. 28 de duello: *Vering* l. c. § 197; *Muenchen* l. c. p. 422 sq.; *De Luca* l. c. n. 233 sq.; *Thesaurus* l. c. v. Duellum; *Ferraris* l. c. v. Duellum; *Ojetti* l. c. v. eod. (54) — *Hinschius* l. c. tom. V, p. 182 sq. 799 sq. demptis parum fundatis assertionibus; *Schiappoli* l. c. n. 297 sq.; *Hollweck* l. c. § 165; *Piat. Mont.* l. c. t. II. p. 551 sq. — *Chelodi* l. c. n. 80; *Cappello*, De cens. n. 345 sq.; *Matth. a Coronata*, Inst. IV, 2020 sq.

Conexio materiae. Duellum merito sub titulo de delictis contra vitam subsumitur, tamen ob rei gravitatem pro more compilationis authenticae Gregorii IX, codicum criminalium scriptorumque canonicorum et legalium et propter exclusam haud raro in duello directam vel indirectam intentionem occidendi vel vere mutilandi, sub propria rubrica tractari convenienter potest, cum speciale habeat interesse ecclesiasticum.

475. Definitio et divisio. *Duellum*, quod privata auctoritate suscipitur et constituit delictum ecclesiasticum, est *singulare certamen ex condicto armis lethalibus initum cum periculo occisionis vel mutilationis vel vulneris* (55).

Duellum modo definitum, praetermisso duello publico, quod publica auctoritate suscipitur, potest dividi: I. in *sollemne*, quod fit cum patrinis aliisque sollemnitatibus et regulis secundum codicem legalem duellantium requisitis, et in *simplex*, quod vel patrinis vel saltem sellemnitatibus caret. — II. In *lethale*, in quo gravia vulnera intenduntur; et in *non lethale*, quo ex industria aut pacto a gravi vulnere cavetur. — III In duellum vindex honoris, quod ad vindicandum honorem (ut plerumque fit) provocatur et in duellum vindex

(54) Cfr. de duello Theologos et Philosophos catholicos v. g. *D'Annibale*, *Ballerini-Palmieri*, *Bucceroni*, *Lehmkuhl*, *Cathrein*, *Meyer* aliosque; ex iuristis v. g. *Berner* l. c. p. 394 sq.; *Pertile*, Storia del diritto pen. p. 507 sq.

(55) *Zech* l. c. § 361; *Ballerini-Palmieri* l. c. t. II p. 656; *D'Annibale* l. c. P. II n. 288; *Lehmkuhl* l. c. tom. I, n. 850; *Acta S. Sed.* vol. XXIII, p. 237 sq.

lato. Severius iure praecedenti duellantes, si in ipso loco conflictus decederent, etiam signis poenitentiae ante obitum datis (75), immo etiamsi extra locum (76) conflictus decessissent et ante mortem non incerta poenitentiae signa dedissent et a censuris et a peccatis fuissent absoluti, *sepultura ecclesiastica* ante omnem sententiam iudicis privati manebant, sublata Episcopis et Ordinariis locorum super hac poena interpretandi et dispensandi facultate (77).

Speciales poenae in clericos duellantes cap. 1, 2 X. h. t. statuae et per supervenientes Constitutiones Rom. Pontificum in graviores poenas commutatae i. e. in *privationem* beneficiorum iam obtentorum et in *inhabilitatem* ad nova ipso facto incurrendam (78), sublata Episcopis dispensandi facultate, non fuerunt in Codice innovatae. Adeo abnorme esset in clerico hoc delictum, ut legislator specialem mentionem de clericis non duxerit faciendam. Aliae quoque poenae duellantibus iure antiquo statuae partim ob defectum materiae et personarum partim ob immutatam Ecclesiae disciplinam vi iuridica iam carebant (79).

480. Scholion I. In Decretalibus libro V titulus 13 (80) aderat *de torneamentis*, qui continet materiam prorsus antiquatam solisque disquisitionibus historicis (81) et theoreticis aptam (82). Plane quoque

(75) Conc. Trid. l. c.; cfr. cap. 1, 2, X, de torneam. V, 13; Pius V, in cap. unic. de taurorum... agit. V, 18, in Lib. Sept.; Rituale Rom. tit. VI, c. 2, n. 4.

(76) Bened. XIV, cit. Const. § 9, ita auxit rigorem Conc. Trid. insistens vestigiis Ritualis Rom. a Paulo V editi.

(77) *Thesaurus* l. c. cap. 1 n. 1; *Kober* l. c. p. 723, 726. Notat tamen *Santi* l. c. l. III, tit. 38, n. 23 alicubi consuetudinem invaluisse, ut sepultura eccl. donentur duellantes, si ante mortem verae poenitentiae signa dederint. Quam consuetudinem in Gallia vigere asserit *Many*, De locis sacr. n. 220 allegans *Goussset*, *Icard*, *Craisson*; eam tamen reiicit *Moulart*, De sepult. p. 281.

(78) Cfr. Pii IV, cit. Const. § 4; *Thesaurus* l. c. n. 2, 3; *Schmalzgr.* t. h. n. 37, 41, 53, 54.

(79) *Schmalzgr.* h. t. n. 37, 41; *Thesaurus* l. c. cap. 2 cum notis Giraldi.

(80) Cap. 1, X, h. t. = c. 20, Conc. Later. III (a. 1179); cap. 2, X, h. t. = Alex. III Decretal. (a. 1159-1181).

(81) Cfr. primas prohibitiones factas c. 9 Conc. Clarimont. (a. 1130); c. 14 Conc. Later. II (a. 1139); Innoc. III i. f. Conc. Later. IV (a. 1215); insuper c. 17. Conc. Lugd. I (a. 1245), denique Extravag. Ioann. XXII, tit. 9, cap. unic., quo Clem. V Const. revocata est. Cfr. *Schmalzgr.* h. t. 13 n. 2 sq.; *Thesaurus* l. c. v. Ludos cap. 3.

(82) Quae prohibitiones factae sunt ob pericula vitae et animarum et ad promovendas expeditiones in terram sanctam. Cfr. cap. 1, 2, X, h. t.; cit. cap. in Extravag. Ioann. XXII.

videtur omittendus, insertus secundum ordinem in Libro Septimo adoptatum proprius quidam titulus (l. V, tit. 18) « de taurorum et aliorum animalium agitatione et pugna » (83). Etenim extra Hispaniam e nonnulla loca Galliae et Americae disputationes canonicae de agitatione taurorum, atque censuris nunc a Pio XI sublatis, nullam habent practicam utilitatem (84).

Scholion II. Pariter lib. V, tit. 15, cap. unic. *de sagittariis* (85), quo Innocentius II in Conc. Later. II (a. 1139) c. 29 « *mortiferam et Deo odibilem* » artem sagittariorum et ballistariorum adversus christianos sub anathemate exercere vetat (86), firmis remanentibus iuris naturalis sanctionibus de bello iniusto vel iusto C. XXIII, q. 2, suppeditat iuris statutum plane obsoletum et iamdiu vix ullius practici momenti. Cfr. c. 18. Conc. Later. IV (a. 1515); *Hefele* l. c. t. VI, p. 702. Quare illud caput uberem subministrat materiam disquirendi *de praerogativis R. Pontificis, in ethnarchiam christianam vel ius internationale*; sed usum sclopetorum et tormentorum bellicorum nostra aetate certe non impedit (cfr. Manuel del la guerre edit. ab Institut de droit internat. a. 1881) multoque minus sagittarum et ballistarum. Cfr. *Martin*, Collect. doc. Conc. Vat. p. 103 sq.: postulata in conc. Vat. proposita; Conventio Petropolitana 29 Nov. 1868; Conferentia Bruxell. a. 1874.

(83) Cfr. *Schmalzgr.* h. t. n. 10, 11; *Thesaurus* l. c. v. Ludos cap. 2; *Santi* h. t. n. 6 de moderatione poenarum a Pio V, ob istam agitationem inflictarum per Gregorium XIII et Clem. VIII et Pium IX facta.

(84) S. Poenit. 19 Sept. 1893, (Act. S. Sed. vol. XXVI, p. 447) quoad agitationem taurorum in Hispania declaravit, tolerari posse, ut in loco propinquo sacro vel saltem decenti, non in ipso circo oleum sacrum asservetur, at non posse tolerari, quod sacerdos etiam *vi consuetudinis* circo adsit. Multo magis illa assistentia clericorum est illicita, ubi iure particulari est prohibita ut factum est a Conc. Plen. Americ. Lat. n. 650, a Conc. Vallisoletano I, p. 5, tit. 1 n. 11, Burgeni p. 4, tit. 23, n. 2, Manilano n. 794. Cfr. *Gury-Ferreres* l. c. II, n. 98; *Villada*, Casus I. p. 344; *Manjón*, Derecho eclesiást. II, n. 1108.

(85) Quod cap. *Muenchen* l. c. p. 428, non recte interpretatur; item *Schmalzgr.* h. t. n. 2 aliqua plane aliena cum *Delrio* huic capiti inserit. Cfr. *Zech* l. c. § 376; *Hinschius* l. c. tom. V, p. 183.

(86) Cfr. Urban. II in Synod. Later. c. 7 (a. 1097).

CAPUT XXXIX

Delicta contra libertatem

481. Duo in Codice respiciuntur, coactio adhibita ad suscipiendum statum clericalem vel religiosum et raptus praesertim mulierum.

I. Graviter laeditur personalis libertas in iis, quae spectant ad amplectendum statum vitae praesertim perpetuum et graves ac non communes obligationes inducentem. Talis est status religiosus et clericalis, sicut etiam status matrimonialis, cui opponitur raptus matrimonii ineundi causa patratu.

Contra coactionem olim non infrequenter adhibitam *in mulieres*, aut a moraliter constringentibus ad ingressum in statum religiosum aut ab illo ingressu impediendum excommunicationem tulit Conc. Trid. sess. XXV cap. 18 de regul.

Pariter Ecclesia constanter tutata est libertatem ingressus in statum clericalem, imprimis contra Episcopos invitum ordinantes (1); deinde vero libertati ab aliis externis coactionibus consuluit per varia scrutinia ante ordinationem iam ab antiquo tempore praescripta (2), quibus accessit ultimum scrutinium a S. C. de Sacr. praescriptum praecipua quadam ratione in ordine ad plenam libertatem qua candidatus ad ordines accedit, deinde congrua ratione extensum ad religiosos ad sacerdotium vocatos (3).

Iure Codicis, ommissa censura Tridentina contra *impedientes* ingressum vel professionem in religione, can. poenalis 2352 percipit coactionem adhibitam ad susceptionem status perfectioris sive *clericalis* sive *religiosi*. « *Excommunicatio nemini reservata* ipso facto plectuntur omnes, *qualibet etiam dignitate fulgentes*, qui *quoquo modo* cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam ».

(1) Cfr. c. 1, D. 74 = Conc. Aurelian. a. 538; e. 7 ead.; c. 23 C. 25, q. 2.

(2) Cfr. *Wernz-Vidal* tom. IV, n. 268.

(3) S. C. Sacr. 27 Dic. 1930 (A. A. S. 23, 120 sq.); S. C. Relig. in A. A. S. 24, 74 sq.

Coactio intelligitur facta, cum voluntati reluctanti incutitur gravis metus, quovis modo id fiat, sive vi, sive minis, sive iurgiis, sive fraude adhibita, vel precibus importunis praesertim continuatis, quae vere sint causa efficax invitae voluntatis; fit autem aut per se aut per alios v. gr. per coniunctos, qui id praestant in gratiam alterius.

Licet ingressus ad statum clericalem fiat per receptionem primae tonsurae, quoniam huiusmodi ingressus non est definitivus, videtur in delicto comprehendi coactio ad alios ordines, praesertim maiores (4). Ita etiam ingressus in religionem quamlibet intelligitur, sive Ordo sit, sive Congregatio, clericalis vel laicalis, iuris pontificii vel dioecesani, sive in noviciatum, sive ad professionem temporaneam sive ad perpetuam. Quare in utroque casu delicta et respectiva poena multiplicantur (5).

482. **Delictum raptus.** Ita delictum can. 2352 circumscribitur: « *Qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa rapuerit mulierem nolentem vi aut dolo, vel mulierem minoris aetatis consentientem quidem sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus* », committit delictum speciale raptus mulieris, quod directe ab Ecclesia poenis canonicis coercetur, praescindendo a coercitione fori saecularis (6).

Quae contra delictum raptus antiquis canonibus et legibus etiam saecularibus constitutae fuerunt poenae, sive patratum fuisset intuitu matrimonii sive libidinis causa, ubi de impedimento raptus (tom. V, n. 309) anticipatae sunt. Praesertim vero attendendum erat Conc. Trident., a quo raptus intuitu matrimonii patratu, praeter impedi-

(4) Ita plures contra alios, ex quorum diverso modo sentiendi res non evaderet certa. Porro qui recepit tonsuram vel minores ordines coacte, liber est ut egrediatur a statu clericali, et, nisi ab invito transeat in volentem, de facto egrediatur; qui ergo cogit ut non egressum definitivum et perpetuum, ideoque cogit ad ingressum et quidem ad ingressum definitivum et perpetuum, ideoque censuram non effugit, atque idem dicatur de eo qui libens volens ad minores ordines promotus est, si ab aliquo cogatur ut procedat ad maiores, quibus ipse vult renuntiare.

(5) Nefas profecto est (can. 971) quemquam ad statum clericalem canonicè idoneum ab eodem avertere; sed actio prohibita non ponitur inter delicta poenis obnoxia.

(6) Cfr. § 8 Inst. (IV, 18); L. 5 § 2 D. de leg. Iul. de vi publ. 48, 6; Cod. IX, 13 de raptu virg.; Regol. pen. Gregor. a. 178, 180; Cod. crim. Ital. (a. 1930) a. 523-525; Germ. § 236-238; Austriae § 96, 97; Hispan. a. 340 sq.; Galliae a. 334, 355 sq. - *Pertile* l. c. V, p. 514 sq.; 530 sq.

mentum dirimens ipsum matrimonium, tamquam delictum fuit percussus excommunicatione lat. sent. quae tenebat raptorem et omnes illi consilium, auxilium, favorem praebentes, qui praeterea haberi debebant ut perpetuo *infames* omniumque dignitatum *incapaces*, et si *clerici* fuissent erant *deponendi*, praeter obligationem raptori impositam mulierem raptam *arbitrio iudicis dotandi* (7). Raptus vero *personarum* ad libidinem explendam vel ad alium pravum scopum patratus, sub sanctione Tridentina non erat comprehensus; sed postquam plures iuris antiqui poenae ab usu fori ecclesiastici recesserant, (8) laicus per *sententiam ferendam* excommunicari, et clericus deponi potuit.

Iure Codicis, ut apparet ex transcripto canone, *delictum* raptus, quoad substantiam consistens in *violenta abductione mulieris de loco tuto ad locum non tutum*, complectitur tum *raptum violentiae*, cui proprie competit notio data, tum *raptum seductionis*, quo *potius in parentes* violentia exercetur, dum mulier consentiens equidem sed minor, insciis et contradicentibus parentibus aut tutoribus, abducitur. Nihil autem interest finis, sive matrimonii ineundi sive libidinis explendae causa: nihil pariter interest condicio mulieris, utrum sit virgo aut vidua, honesta vel corrupta. Violenta seu coacta *detentio*, licet quoad matrimonii impedimentum raptui seu abductioni aequiparetur, non cadit sub poenam can. 2352.

Poenae est: 1^o) exclusio ab actibus legitimis ecclesiasticis lat. sent.; 2^o) aliae *insuper* poenae indeterminatae arbitrio iudicis infligendae.

Etiam hoc delictum est mixti fori; sed quod attinet ad impedimentum matrimoniale raptus, hoc pro fidelibus pertinet ad exclusivam Ecclesiae competentiam.

Raptus impuberum alterius sexus, de quo agit sequens can. 2354, a praecedenti raptu differt, quia alio fine quam matrimonii aut libidinis explendae causae intelligitur fieri (9).

(7) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 6, de refor. matr.

(8) V. gr. poena reductionis raptoris in servitutem, applicatio bonorum raptoris eiusque et eius complicum in favorem monasterii, cuius monialis rapta fuit. Cfr. *Schmalzgr.* V, 17, n. 17 sq.

(9) Extra finem matrimonii aut libidinis raptus dicebatur *plagium*, si persona praesertim libera violenter auferebatur v. gr. ut in servitutem redigeretur (cfr. Dig. 48, 15 de lege Flav. de plagiariis; Cod. IX, 20 ad leg. Flav. de plag.). Cap. 1, X, de furtis V, 18. «Qui furatur hominem et vendiderit morte moriatur»; confr. quoque cap. 3, 4 X de raptor. V, 17. Cfr. *Schiappoli* l. c. n. 328; *Muenchen* l. c. p. 489 sq. - Nostra aetate potius aliae species raptus hominum fuerunt

Poenae ex cit. can. 2354 sunt: a) quoad *laicum* exclusio lat. sent. ab actibus legitimis ecclesiasticis et a quovis munere in Ecclesia si damnatus legitime fuerit de hoc delicto; b) clericus puniri debet poenitentiis, censuris, privatione officii ac beneficii, dignitatis usque ad ipsam depositionem, si res ferat (can. 2354, § 2).

Ad idem caput reducitur ac eodem modo puniendum est delictum venditionis hominis in servitutem vel alium pravum finem, de quo facit mentionem can. 2354. Ubi evidenter comprehenditur commercium mulierum et minorum ad lenocinium (Tratta di donne e minori).

CAPUT XL

Delicta mixti fori contra bona fortunae (1)

I. Furtum - rapina - incendium

483. *Contra bona fortunae* haec enumerantur delicta can. 2354 «*Laicus qui fuerit legitime damnatus ob delictum..... usurae, rapinae, furti qualificati vel non qualificati in re valde notabili, incendii vel malitiosae ac valde notabilis rerum destructionis, gravis vulnerationis*

proscribendae (cfr. Cod. crim. Germ. § 234 sq.; Ital. (a. 1930) a. 535 sq. 600 sq.), licet in aliis regionibus v. gr. Africae, delictum plagii ex fine redigendi in servitutem nondum plene cessasse videatur.

(1) De huiusmodi delictis cfr. Decret. Grat. c. 45 D. 50; c. 12 D. 81; c. 3 sq. C. XIV, q. 5 et alibi incidenter de furto; c. 31, 32; C. XIII, q. 2 et alibi incidenter de raptu; c. 2 D. 33, c. 4, 8, D. 47; c. 1 sq.; C. XIV q. 3; c. 10 sq. C. XIV, q. 4 et alibi incidenter de usura. - Decretal. Gregor. IX L. 5, tit. 18, de furt. tit. 17 de raptor., t. 19 de usur., t. 32 de novi oper., t. 36 de ini. et damn. - furt. tit. 17 de raptor., t. 19 de usur., t. 32 de novi oper., t. 36 de ini. et damn. d.; Const. Clem. Decret. Bonif. VIII, l. V, t. 5 de usur., t. 8 de iniur et damn. d.; Const. Clem. V, l. V, t. 5 de usuris; Extravg. com. l. V, t. 5 de furtis. - Leo X. in Conc. Later. V Const. «*Inter multiplices*» 4 Maii 1515, iunct. *Hefele* l. c. t. VIII p. 645 de mont. piet. - Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 6 de ref. matr. (de rapt.); Pii V de mont. piet. - Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 6 de ref. matr. (de rapt.); Pii V Const. «*In eam*» 28 Januar 1571; Bened. XIV Const. «*Vix pervenit*» 1 Nov. 1745; Const. S. C. Inq. 18 Aug. 1830 (de usur.) cfr. quoque Decret. Clem. P. VIII ed Sentis p. 170 sq. l. V, t. 11 d. rap., t. 12 d. furt., t. 13 de usur.; *Martin*, Collect. doc. Conc. Vatic. p. 121 sq.; Collect. S. C. de Prop. F. n. 2108 sq. 2118 sq.

Scriptores: Comment. iur. Decret. in cit. tit. *S. Raymundus*, Summa l. II, t. 5 de raptor. etc., t. 6 de furt., t. 7 de usur. et pignor. - *Zech*, l. c. t. 22 de usur., t. 23 de furt., t. 24 de rapina, t. 25 de incend.; *Devoti* l. c. tit. 16 de usur.; *Vering* l. c. § 199 - *Muenchen* l. c. p. 457 sq.; *Thesaurus* l. c. vv. Furtum; *Raptor. poen.*; *Usurar. p.*; *Ferraris* l. c. iisd. fere vv.; *Ponsius* l. c. p. 362 sq.; *Kober*, l. c. p. 606, 700, 720; *Hinschius* l. c. tom. V, p. 185 sq.; *Schiappoli* l. c. n. 316 sq.; *Hollweck* l. c. § 185 sq. - Comment. Codicis.

vel violentiae » - sequitur poena ecclesiastica: « ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis, et a quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat, firmo onere reparandi damna ».

Poenae sunt lat. sent. Obligatio reparandi damna est obligatio naturalis-civilis: quam etiam urgent damnationes a saeculari tribunali latae, ad quod solet recurri efficacius, et in foro ecclesiastico potius erit quaestio de obligatione conscientiae.

Cum delicta sint graviora in clerico, ob altiore status dignitatem et ob forum privilegiatum, directe ecclesia fert suas poenas: ad normam eiusdem can. 2354, § 2, puniendi sunt pro diversa casus gravitate, « poenitentiis, censuris, privatione officii et beneficii et poena potest pertingere usque ad depositionem ».

Scholion. De delicto homicidii, raptus, mutilationis et vulnerationis sub alia rubrica iam actum est. Cfr. n. 467 sq. - Item de delictis contra bona temporalia ipsius Ecclesiae per furtum, usurpationem etc. ob qualitatem delicto accedens inter delicta contra res ecclesiasticas actum est, cfr. n. 459 sq. De delictis contra bonum famae cfr. iam dicta n. 455 sq.

Notiones circa haec delicta desumendae sunt ex respectivo Codice criminali loci, iuxta quem profecto legitime laicus condemnabitur, atque etiam clericus ubi tolerantia Ecclesiae habeatur relate ad delicta communia.

484. Notae historicae. I. Quoad furtum, iure divino ab Ecclesia divulgato ipsoque iure civili punitum, iam a S. Gregorio Nysseno secundum Patrum traditionem inter vitia refertur (2), a S. Basilio (3) gravibus poenitentiis publicis subiicitur, et inter peccata « lethalia » sive « grandia » sive inter « crimina » iam a S. Augustino recensetur (4). Si a clerico commissum, cum singularem habeat gravitatem, teste S. Basilio secundum antiquam regulam (5), quam S. Leo appellat apostolicam traditionem depositione in clerico fuit punitum; postea reperitur statuta in clericos in furto captos (6). In libris vero poenitentialibus (7) aliisque statutis cano-

(2) Pitra Iuris eccl. Graec. hist. et monum. I, p. 627, 628.

(3) Pitra l. c. p. 591, 596; Schmitz, Die Bussbücher etc. p. 42, 45; c. 15 Conc. I S. Patricii (a. 450, 456).

(4) Kober, D. Deposition, p. 606.

(5) Cfr. c. 25 Apost. iunct. Hefele t. I, p. 807; Pitra l. c. p. 539.

(6) C. 8 Conc. Aurelian. III (a. 697); cap. 10 X, de iudic. II, 1.

(7) Schmitz. l. c. p. 295, 296, 379, 409, 505, 527 et aliis loc.

nicis (8) haud raro sanctiones poenales contra fures inveniuntur, e quibus complures in decr. Gratiani et in Decretales transierunt.

Fur notorius vel condemnatus dicebatur incurrere infamiam saltem facti et consequenter fieri irregularis (9). Per excommunicationem ferendae sententiae laicus poterat constringi ad restituenda ablata; clericus in gravi furto deprehensus et condemnatus ab ordine et officio et beneficio deponendus erat (10), et si in malitia perseverasset etiam excommunicandus (11), omnia traditione brachio saeculari et atrocibus poenis iuris antiqui iamdiu abrogatis.

II. Rapina, quo nomine intelligebatur iniusta ablatio rei alienae per vim facta, praeter infamiam saltem facti quam raptor incurreret, poterat castigari per excommunicationem etiam ab Ordinario loci latam, ubi delictum fuisset patratum (cap. 1 X. h. t. de raptor.); quod si raptore restitutionem recusasset vel idoneam cautionem non praestasset, a sacramentis et ab ecclesiastica sepultura erant repellendi (cap. 2. X. h. t.). Grassatores viarum non gaudebant iure asyli, ubi disciplina asyli adhuc erat in pleno vigore (12). Porro excommunicatio R. P. reservata ipsoque iure incurrenda inflicta in Bulla Coenae spoliatoribus christianorum naufragorum, in Bulla Ap. Sed. non fuit retenta (13) - Clerici raptore vel grassatores multo magis quam fures erant deponendi suisque beneficiis privandi (14).

III. Incendium vel malitiosa et valde notabilis rerum destructio. Primum delictum in Decretalibus damnabatur infamia, et danno non refecto etiam excommunicatione et eccl. sepulturae privatione (15): alterum delictum in iure Decretalium consideratur in tit. (V, 36) de iniuriis et damno dato, ubi sub nomine damni dati intelligebatur delictum, quo res aliena dolo vel culpa sine ullo damnificantis lucro

(8) Cfr. iudicia Withredi regis (a. 697) c. 25, 26; Statuta S. Bonif. cap. 24.

(9) Arg. cap. 5 X. h. t.; c. 17 C. VI, q. 1; Schmalzgr. h. t. n. 91 sq.; Thesaurus v. Furtum; Hollweck § 185, not. 2, 3.

(10) Cfr. c. 12 D. 81; cap. 10, X, de iudic. II, 1.

(11) Cfr. cit. cap. 10 X de iudiciis. - Muenchen l. c. II, p. 457 sq.

(12) Cap. 6 X, de immunib. eccl. III, 49; Const. Gregor. XIV «Cum alias» 24 Maii 1591, § 3. Cfr. Muenchen II, p. 385 sq.; Katz l. c. § 31, p. 131 sq.

(13) Conc. Lat. I, et Conc. Lat. III can. 2 «Quicumque res naufragorum deripiunt, ut raptore et fratrum necatores ab ecclesiae limibus excludantur».

(14) Cap. 2 X, h. t.; cap. 10, X, de iudic. II, 1; Kober l. c. p. 712, 720; Schmalzgr. h. t. n. 70.

(15) Cfr. tit. (V, 18) de raptor incendiar etc.; Hollweck § 189; Thesaurus, v. Incendiarii; Reiffenst. et Schmalzgr h. t.

vel emolumento diminuitur. Quae damnificatio ex *dolo* vel *culpa* (non ex casu fortuito), ultra obligationem iustae damni compensationis, poenis arbitrariis puniri potuit. *Hollweck* l. c. § 190; *Muenchen* l. c. II, p. 624 sq.; *Schmalzgr.* h. t. (V, 26) n. 54 sq.

II. Quaestio specialis de usura

485. Usura (16). *a*) Eius **notio** (17), ut est crimen (*usuraria pravitas, indigni quaestus, turpe lucrum*) (18) per contractum illicitum

(16) In aestimando delicto usurae prae oculis habenda sunt antiqui iuris Decret. fontes et recentiora S. Sedis decreta, quae collecta reperiuntur in Collect. S. C. de P. F. n. 2140 sq.; in Collect. Lacens. tom. VI, col. 677 sq.; in *Enchiridio P. Bucceroni* p. 111 sq.; *Ballerini-Palmieri* l. c. t. III, p. 643 sq. in nota; *Lehmkuhl*, Theol. mor. I, n. 1163. Qua in quaestione doctrina antiquorum theologorum et canonistarum non est cum contemptu tractanda; illi enim principia iuris naturalis diligenter solideque exposuerunt, ex quibus natura et ambitus huius delicti sunt definienda. At vicissim penitus immutata condicione oeconomica societatis non sunt negligendi recentiores doctores theologo et moralistae, qui antiquorum theologorum vestigiis inhaerentes, genuina iuris naturalis principia cohaerenter cum responsis a Sancta Sede datis applicarunt ad facta specialia et multiformia problemata, quibus moderna illa organizatio oeconomica societatis ortum dedit. Quare ex antiquis praeter classicos comment. iur. Decret. consulendi sunt theologo: *S. Thomas* 2, 2, q. 78. De malo q. 13; *Molina*, De iust. et iur. tom. II, tr. 2, d. 299 sq.; *Lessius*, De iust. et iur. c. 20; *Greg. de Valentia* tom. 3 disp. 5, q. 21; *Lugo*, De iust. et iur. d. 25; *Ballerini*, De iure div. et nat. circa usuram; *Zech*, Rigor moderatus doct. Pontif. circa usuras et De iudic. eccl. sect. II, § 263 sq.; *Mastrofini* Le usure; *Scip. Maffei*, Dell'impiego del danaro; *Ballerini-Palmieri*, Opus mor. tom. III, n. 680 sq. cum notis *P. Palmieri*; *Lehmkuhl*, Theol. mor. I, n. 1090 sq. Zins u. Wucher in Stimmen aus Maria-Laach t. XVI p. 225 sq., 380 sq. t. XXVIII, p. 1 sq.; *Funk*, Zins u. Wucher, Recht u. Moral in Bezug auf das Wirtschaftsleben (Theol. Quart. LI, p. 400 sq.), Ueber die oeconomischen Anschauungen der mittelalterlichen Theologen (Zeitschrift. f. d. gesammte Staatswissenschaft, XXV, p. 125 sq.), Geschichte des Kirchl. Zinsverbotes, Scipio Maffei und das Kirchl. Zinsverbot. (Theol. Quart. LXI, p. 3 sq.; *Weis*, Sociale Frage t. 2 p. 594 sq.; *Pesch*, Zinsgrund und Zinsgrenze in Zeitschrift f. k. Theol. (1888) XII, 36, 393; *Nani* in Archivio giuridico XVI, 207 sq.; *Vermeersch*, Quaest. de iustitia, p. 450 sq., *Van Roey*, De iusto auctario in contractu crediti; *Dehon*, L'usure au temps présent; *Duhr*, Gesch. d. Jesuiten, t. I, p. 713 sq. *Chelodi*, La proibizione della usura in Riv. Trident. XIV (1914) 89 sq.; *Hürth*, Um das Tesen von Darlehen und Zins in «Scholastik» (1926) p. 422 sq.

(17) Cfr. de terminologia: *Muenchen*, l. c. p. 505 sq.; *Funk*, Zins u. Wucher; *Katz*, can. Strafrecht § 34, p. 136 sq.

(18) Cfr. c. 10 D. 46, c. 1 (Aug.) C. XIV, p. 4; c. 10 ead. (S. Ambros.); cap. 5 X de usuris V, 19; Cap. unic. § 1, h. t. in Clem.

et iniustum patratum (19), est *contractus onerosus dandi vel accipiendi lucrum aliquod temporale ultra sortem ex sola vi et causa mutui* (20). Quatenus vero usura sumitur pro ipso obiecto (21) illius contractus iniusti et illiciti, est *lucrum ultra sortem ratione solius mutui sine alio iusto titulo perceptum tamquam ex debito* (22).

Non est quaestio nisi de usura *reali* sive *conventionali* quae consistit in mutuo dato, interveniente *pacto* oneroso lucrum aliquod ultra sortem solvendi (absque iusto titulo). Quae potest esse *formalis* et *expressa*, in qua ex simplici mutuo percipitur lucrum, et *tacita* vel *palliata*, quae sub specie alterius contractus exercetur. *Zech*, Rigor moderat. l. c. § 78.; *Vermeersch* l. c. c. n. 364 (23).

b) **Historia**. Usurae, cum ipso *iure naturali* sint prohibitae (24) inde ab antiquissimis temporibus et iam in V. Testamento fuerunt proscriptae. Quodsi ibidem divinus legislator in favorem Israelitarum in exigendis usuris *ab extraneis* videatur statuere exceptionem, huiusmodi exceptio potius apparens quam vera est (25). Prohibitio usurarum in Novo quoque Testamento est confirmata (26).

Quod iure divino naturali et positivo fuit proscriptum, id inde a primis saeculis pro proclivitate hominum ad lucra illicita etiam Ecclesia damnavit et punivit.

Hinc iam in Concilio Illiberitano (a. 300-306) c. 20 = c. 5 D. 47 contra clericos *et laicos* usurarios graves statutae sunt poe-

(19) *Schmalzgr.* h. t. n. 1.

(20) *Zech*, De iure rer. eccl. sect. IV, t. 5, 12, 19; *Lehmkuhl*, Theol. mor. t. I, n. 1090; *Cathrein*, Philos. mor. n. 410 sq. 413 sq.

(21) *S. Thomas*, Summa th. 2, 2, q. 78, art. 1; *Schmalzgr.* h. t. n. 2; *Zech*, De iud. eccl. sect. II, § 263, 264.

(22) Innocent. XI, prop. damn. 42, (2 Mart. 1679).

(23) De hac materia etiam consulendi sunt Theol. moral. praesertim moderni. Cfr. v. gr. *Noldin*. II, n. 575 sq.

(24) *Schmalzgr.* h. t. n. 6 sq.; *Zech* l. c. n. 266; *Vermeersch* l. c. n. 374, ubi apte expolitur tradit argumentum rationis ex natura contractus mutui ab antiquis theologis depromptum et insuper argumentum efficax desumit ex legibus ab Ecclesia contra usuram latis et in specie ex encycl. Benedicti XIV «*Vix pervenit*». Aliter *D'Annibale*, n. 533 et ex parte *Ballerini* l. c. mutato nomine contractus in contractum locationis pecuniae, quem apte corrigit in notis *P. Palmieri*. De illiciteitate ex iure divino *positivo* cfr. *Vermeersch* l. c. n. 358 sq. iunct. *Lehmkuhl*, Theol. mor. I, n. 1097.

(25) Cfr. *Lehmkuhl* l. c. n. 1097; *Schegg*, Bibl. Archaeol. p. 681; neque ad supremum Dei dominium vel legem quandam permissivam a Deo latam videtur esse confugiendum; *Vermeersch* l. c. p. 452, not. 1.

(26) *Schmalzgr.* l. c.; *Lehmkuhl* l. c. n. 1090 sq.

nae (27). Quam sententiam fere ad verbum secutum est Concilium Arelatense (a. 314) c. 12 = c. 2. C. XIV, q. 4. Celeberrimus vero hac in re est c. 17 Concilii Nicaeni (a. 325). = c. 2, D. 42 et c. 8 C. XIV, q. 4, quo patres primae Synodi oecumenicae vestigiis antiquorum Patrum insistentes clericis non solum *expressas*, sed etiam *palliatas* usuras sub poena eiectionis e clero severe interdixerunt (28). Quae sanctiones postea nequaquam in desuetudinem abierunt, sed frequenter ab Ecclesia fuerunt confirmatae (29).

Quodsi in antiquis istis canonibus, excepto cit. canone Concilii Illiberitani, expresse tantum clericis usura prohibeatur, subsequentibus saeculis praesertim ex saeculo octavo etiam laicis frequenter usurae sub comminatione poenarum canonicarum interdicuntur (30).

Quibus in canonibus magna ex parte in decretum Gratiani translatis haud levis fuit varietas in poenis usurae inflictis; at per c. 13 Conc. Later. II (a. 1139) et c. 25 Conc. Later. III (a. 1179) = cap. 3. X. h. t. aliisque canonibus et Decretalibus collectioni authenticae Gregori IX h. t. insertis maior uniformitas est inducta et usurae reatus accuratius circumscriptus.

Post publicatam collectionem Gregorii IX in Conc. Lugd. II (a. 1274) c. 21, 27 = cap. 1, 2, h. t. in Sext. et in Concilio Vienensi (a. 1311) = cap. unic. h. t. in Clem. nova prodierunt statuta contra usurarios, quibus confirmatis antiquis iuris sanctionibus (cap. 1 h. t. in Sext.) rigor poenarum in novas usurarias artes extenditur (31). Qua in re maxime eminent Clementis V Const. l. c. in Clem., qua statuta civilia usuras approbantia condemnantur et magistratus illa observantes excommunicantur, denique si qui pertinaciter affirmare

(27) *Hefele* l. c. t. I, p. 163 sq.

(28) *Hefele* l. c. p. 421 sq.

(29) Cfr. c. 44, Apost.; c. 13 Conc. Carthag. (a. 345-348); c. 4 Conc. Laodic. (a. 343-381) = c. 9 D. 46; c. 8. (S. Leo I), c. 1, (Gelas. I) C. XIV, q. 4; c. 10 (S. Leo I) D. 46; *Kober* l. c. p. 607 sq.; *Funk*, Geschichte d. kirch., Zinsverb. p. 7.

(30) Cfr. c. 53 Conc. Paris. (a. 729), c. 17 Conc. Calchutt. (a. 787); *Kober* l. c. p. 705, 721; *Hinschius* l. c. t. V. p. 196 sq. demptis minus accuratis assertionibus; *Schiappoli* l. c. n. 346. De legibus fori saecularis cfr. *Pertile* l. c. p. 458 sq.

(31) De tolerantia modo facta modo negata Iudaeis cfr. *Maffei* l. c. p. 140; *Vermeersch* l. c. p. 465; *Gaggia*, Le usure nelle fonti del diritto canonico (Rivista internaz. di scienze sociali, 1897, p. 536); *Pertile* Storia del dir. pen. p. 462 sq.

praesumant, exercere usuras non esse peccatum, veluti haeretici dicuntur puniendi (32).

Ab istis normis de usura stabilitis Ecclesia in Conciliis saeculis decimo quarto et quinto non recessit (33); neque id factum est a Martino IV et Callixto III, cum census reales approbarent (34). In Concilio vero Lateranensi V, Leo X Const. "Inter multiples," 5 Maii 1515 vindicatis montibus pietatis a nota usurae denuo declaravit usuram in eo consistere, quod *ex usu rei, quae non germinat, nullo labore, nullo sumptu nullove periculo lucrum foetusque quaeratur*.

Pius V Const. "In eam," 28 Ianuar 1571 denuo ius divinum de usuris interpretatus est simulque Const. «Cum onus» 19 Ianuar. 1569 de censibus sanctiones canonicas condidit, quae certe non ubique in praxim fuerunt deductae (35); Benedictus XIV vero cit. Const. «Vix pervenit» 1 Nov. 1745 iterum *doctrinam Ecclesiae* de usuris explicavit et inculcavit (36). Quae constitutio licet definitio ex cathedra non sit et ad solos Episcopos Italiae fuerit data, tamen magnae est auctoritatis (37). Aucto commercio immutatisque non raro legibus civilibus de usura inde ex ultimo saeculo novae de usura ortae sunt difficultates et controversiae veluti de titulo legis civilis (38). Quae controversiae ab Ecclesia definitiva sententia non-

(32) Cfr. de titulis *accessoriis* iam ab antiquis doctoribus admissis: *Goffred. da Trano* h. t. n. 9, *S. Thomas* l. c. art. 2; *Hostiensis*, Summa h. t. n. 6 sq. De evolutione horum titulorum extrinsecorum a medio saec. XIII ad finem saec. XVI cfr. *Funk*, Geschichte d. Kirl. Zinsverbotes p. 4 sq.; *Neumann*, Geschichte des Wuchers in Deutsch. bis zur Begründung der heutigen Zinsengesetze (1654) p. 163 sq.

(33) *Hefele* l. c. tom. VI p. 205, 225 et multis aliis locis.

(34) *Lehmkuhl* l. c. n. 1094; cap. 1 (Martinus V, a. 1425) cap. 2 (Callixtus III a. 1455) de empt. et vend. III 5 in Extrav. com.; *Schmalzgr.* h. t. n. 154 sq.

(35) *Zech* l. c. § 293; *Lehmkuhl* l. c. n. 1094.

(36) De controversiis, quae in Italia illam Encycl. praecesserunt cfr. *Van Roey* l. c. p. 36 sq.; *Funk*, *Scipio Maffei* p. 6 sq.; *Vogelsang*, Zins u. Wucher p. 61 sq. qui non pauca asserta *Funk*, merito refellit.

(37) *Van Roey* l. c. p. 43 sq. ubi admittens illam Constitutionem non esse locutionem ex cathedra solide propugnat esse iudicium dogmaticum Rom. Pontificis ad universam Ecclesiam pertinens.

(38) *Schmalzgr.* h. t. n. 11 sq., 20 sq., n. 144 sq.; *Zech* l. c. §§ 295, 283 sq., qui difficultatem conciliandi *praxim cum theoria* perspectam habuerunt, nihilominus titulum legis civilis ad solvendam difficultatem non admiserunt. Quare sine ullo fundamento *Zech* tamquam patronus tituli ex lege civili allegatur, quem

dum fuerant diremptae (39); at certae censurae iure antiquo usurariis ipso facto inflictae in Pii IX Const. «*Apost. Sedis.*» silentio premuntur eamque ob causam sunt abrogatae (40). - Controversia in Codice, retenta gratuitate contractus mutui, saltem dirempta est hoc sensu quod firmatum est principium de liceitati lucri legalis (can. 1543). *Wernz.-Vidal* tom. IV, n. 851.

486. c) **Reatus usurae.** Usurae delictum committitur omni usura sive moderata sive excessiva, *si desit iustus titulus* et solummodo inter se discrepant sicut furtum maius et furtum minus. Item usura illicita est in omnes sive pauperes sive divites; sive mutuum, ex quo sine ullo titulo extrinseco percipitur, ad scopum consumptivum sive ad finem lucrativum sit datum. Quamvis enim usura *oppressiva* ad instar furti in pauperes et miserabiles et parum peritas vel leves personas sit damnabilior ideoque *frequentius* a legibus canonicis et civilibus proscripita, tamen exinde usurae contra divites ex sola ratione mutui exactae non cessant esse illicitae verique iniustae contra iustitiam commutativam (41).

487. Quodsi cum mutuo alius iustus titulus *extrinsecus* concurrat, ob quem ultra sortem etiam in aliis negotiis vel contractibus aliquid exigere potest, foenus perceptum usurarium sive vere illicitum et iniustum non amplius dici potest (42). Eiusmodi legitimi iustique tituli sunt *damnum emergens, lucrum cessans, periculum sortis, poena conventionalis* ob notabilem et culpabilem moram (43). At minime iustorum titulorum nomine comprehenduntur stipulatio sive pactum

potius l. c. § 283 sq. tum quoad *factum* tum quoad *principia*, quibus innititur, plane reiicit. Cfr. quoque *Zallinger* h. t. § 219 sq.; *Zacharia* in ed. oper. *P. Pichler* tom. II, append. § 182 sq.

(39) Cfr. *Santi* h. t. n. 14; *De Angelis* h. t. p. 287 sq.; *Lehmkuhl* l. c. n. 1102 sq.; *Ballerini-Palmieri* l. c. cum notis *P. Palmieri*.

(40) Controversias theologicas inde a medio saec. XVI exortas et usque ad ultimum saeculum diverso modo productas apte atque fuse exponit *Van Roey* l. c. a. p. 3.

(41) *Bened. XIV* Const. «*Vix Pervenit*» § 5; *Zech* l. c. § 208; *Zallinger* h. t. § 255; *Lehmkuhl* l. c. n. 1093.

(42) *Benedictus XIV* l. c. §§ 7, 8, 9, 10, 11, 12, 22; *Lehmkuhl* l. c. n. 1090, 1099 sq.; *Bucceroni*, Inst. Theol. Moral. I, p. 349 sq.; *Noldin* l. c. n. 578 in fine.

(43) *Schmalzgr.* h. t. n. 20 90 sq.; *Zech* l. c. § 275 sq.; *Zallinger* h. t. § 226; *Lehmkuhl* l. c.; *Bucceroni* l. c.; *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 687 sq.; *Vermeersch* l. c. n. 366.

mutuo pro arbitrio adiectum, carentia pecuniae, obligatio non repetendi sortem ante *certum* tempus, nisi alius titulus iustus accedat, usus rei mutuatae et aestimabilitas usus, nisi ad alium titulum reducat (44).

Immo neque sensu stricto vera quaedam *foecunditas* pecuniae nostra quoque aetate videtur posse allegari tamquam iustus titulus, cum nulla appareat ratio, ob quam pecunia nostra aetate suam naturam rei fungibilis *essentialiter* mutarit (45). Denique etiam titulo *praemii* sive *taxae legalis* ut titulo quodam speciali et legitimo atque ab aliis distincto *solaque* lege civili vel consuetudine constituto non est insistendum (46). Etenim huiusmodi titulus legalis, si referatur ad leges Germaniae nititur manifesto errore facti tum quoad antiquum (47) tum quoad novum ius Germaniae (48). Neque firmiter argumentum suppeditant antiquae leges romanae. Illae enim facile aliam admittunt interpretationem et mirum plane esset, si antiqui doctores in iis explicandis communi consensu errassent neque um-

(44) *Zech* l. c. § 269 sq.; *Zallinger* h. t. § 218; *Vermeersch* l. c. p. 491.

(45) Quam foecunditatem pecuniae ut titulum iustum et distinctum iam suo tempore a nostro non adeo distante reiecerunt et solide refutarunt *Zech* l. c. § 271 et *Zallinger* h. t. § 218, eisque nostra aetate recte consentit *Bucceroni* l. c. p. 350 sq. Cfr. *Vermeersch* l. c. n. 365. Quare illud solummodo videtur esse concedendum, nostra aetate facilius et frequentius haberi unum ex titulis iustis iam pridem receptis aut facilius nostra aetate *aliis* contractibus a mutuo distinctum iustum lucrum percipi; at exinde non sequitur, ut recte iam monet *Benedictus XIV* l. c. § 22 naturam contractuum mutari. — Qua ratione ex mutatis circumstantiis oeconomicis explicetur sine contradictione et sine mutatione in doctrina diversitas *disciplinae* in prohibitione et punitione usurarum, accurate discutit *Vermeersch* l. c. n. 375 sq. 368 sq. ubi in examen revocat diversas Doctorum catholicorum explicationes ad conciliandam antiquam severitatem cum praesenti mitiore disciplina in responsis Sanctae Sedis contenta. Cfr. quoque *Lehmkuhl* l. c. n. 1105 sq.; *Van Roey* l. c. p. 148 sq.

(46) Istius tituli principalis quidam patronus fuit *P. Pihler* h. t. n. 8 sq. cum paucis theologis et canonistis contra *communem* theologorum sententiam, ut ipse fatetur. Quae sententia licet acerbius et manifestis exaggerationibus esset impugnata a *Concina*, tamen a *P. Zech*, qui *P. Pihler*, sui quondam magistri, contra nimium zelum *Concinae* causam susceperat, minime fuit approbata; sed reiecta l. c. § 283. Qua in re *Zech*, inprimis *P. Schmalzgrueber* h. t. n. 11 sq. 20 sq. aliosque praeclaros theologos et canonistas habuit praedecessores, sed etiam *Zallinger* h. t. § 219, 220, 224, suum discipulum aliosque habuit sectatores usque ad nostram aetatem. Cfr. *Lehmkuhl* l. c. n. 1102; *Cathrein* l. c. n. 420; *Noldin* l. c. n. 579.

(47) *Zech* l. c.; *Zallinger* l. c.

(48) Cfr. Cod. crim. Germ. § 302; *Cathrein* l. c.

quam toto medio aevo ad istum titulum provocassent (49). Immo ipsa Ecclesia suis legibus in Decreto Gratiani et Decretalibus oleum et operam perdidisset, si *leges romanae* v. g. quattuor vel quinque pro centum ex sese proprium titulum legitimum constituissent et contra verborum tenorem de solis quibusdam *excesssivis* usuris leges ecclesiasticae essent intelligendae. Maxime vero Constitutio Clementis V h. t. in Clem. reprobans huiusmodi statuta civilia solido careret fundamento si lege civili taxa foenoris independenter ab aliis titulis posset definiri. Rationes vero *internae* pro hac sententia allatae iam ab antiquis canonistis fuerunt solide refutatae (50); nova vero argumenta ex auctoritate responsorum S. Congreg. Roman. petita non videntur esse preemptoria vereque concludentia (51).

488. Pari ratione ex aliis contractibus ad mutuum accedentibus vel potius, in quos mutuum transmutantur, lucrum quoddam percipi potest (52), veluti ex contractu societatis aliisque negotiis similibus, maxime vero nostra aetate ex societatibus actionum. Quibus in contractibus minime comprehenduntur contractus palliatae

(49) *Schmalzgr.* h. t. n. 11 sq. n. 144 sq.; *Zallinger* h. t. § 224.

(50) *Zech* l. c.; *Schmalzgr.* l. c. — Cfr. quoque ex recentioribus *Lehmkuhl* l. c. n. 1102; *Vermeersch* l. c. n. 366, 372; *Van Roey* p. 287 sq. ubi p. 295 sq. merito non admittitur provocatio ad altum dominium Status, qua passim explicatur translatio domini ad privatos per *praescriptionem* aut in bona communitatis per *expropriationem* publicam, quae provocatio ob disparem plane rationem non potest inservire ad explicandum titulum legale pro exigendo auctario, quia in illo sic dicto *alto dominio* non continetur potestas aequalitatem naturalem contractus immutandi; quae si includeretur, invocatum dominium altum Status in temporalia non iam esset *potestas* ius domini privati accurate determinandi et ad bonum commune dirigendi, sed vere idem esset ac *dominium plenum*. Multo minus *iustitia* exacti auctarii potest explicari per officium lege impositum omnibus contrahentibus consentiendi in auctarium, quamvis ex *natura* mutui nullatenus *debitum*; tale enim officium ex lege ortum non videtur quomodo directe ad *iustitiam commutativam* pertinere possit, nec etiam probabilis videtur talis legislatoris potestas. Porro singuli contractus *in se ipsis* spectati, tamquam aliquid *absolutum*, iustitiam importare debent, neque ex commodis communibus aliunde indirecte resultantibus tollitur contractus inaequalitas, atque ex eo quod hodie lucrer ego quod alia occasione alius lucratus est in me ex mutuo mihi dato, natura contractus eiusque ad leges iustitiae conformitas vel difformitas non mutatur.

(51) *Lehmkuhl* l. c. n. 1103.

(52) *Benedictus XIV* h. §§ 8, 22; *Zech* l. c. § 289 sq.; *Zallinger* h. t. § 230 sq.

usurae iam antiquitus reprobati (53) neque novae artes et fraudes recentes campsorum.

489. d) *Iuris antiqui poenae*. *Usurarii manifesti* (54) sive ipsa notorietate facti quae nulla tergiversatione celari potest sive in iudicio confessi vel convicti et per sententiam iudicis condemnati, ipso facto incurrebant infamiam et consequenter irregularitatem sive inhabilitatem ad ordines et beneficia ecclesiastica (55). Praeterea iidem ab absolute sacramento et *communione eucharistica* aliisque *sacramentis* arcendi erant, donec realiter et plenarie usuras restituerint vel saltem idoneam dederint cautionem de restitutione pro viribus perficienda. Insuper usurarius manifestus ante restitutionem vel cautionem non erat permittendus, ut sancto altari ministraret, licet aliis divinis officiis interesse non prohiberetur. Neque admittendae erant a clericis *oblationes* usurarii manifesti et contumacis, nisi de oblatione ageretur, quas usurarius deberet ex titulo oneroso aut de parvis elemosynis, ne Ecclesia videretur ditescere ex rebus iniustis forte a pauperibus extortis et ratam habere iniustitiam usurariorum (56). At sententia *suspensionis*, quae ex cap. 3, X, h. t. et cap. 2, h. t. in Sext. ipso facto fuit inflicta clericis admittentibus huiusmodi oblationes aut tradentibus sepulturae usurarios manifestos in sua contumacia decedentes (57), propter silentium Pii IX in Const. « *Apost. Sedis*. » non amplius vigeat. Denique *laicus* usurarius, si in delicto suo notorio contumaciter perseveraret, *per sententiam ferendam* fuit excommunicandus (58), et si impenitens decederet, *ecclesiastica privandus erat sepultura* (59). Excommunicatio vero quae iure antiquo scienter sepelientibus manifestos usurarios sine poenitentia mortuos ipso facto fuit statuta (60) ob omissionem huius censurae in Pii IX Const. « *Apost. Sedis* » omnino abrogata mansit. Quae de *testamentis* manifestorum usurariorum ipso facto

(53) *Zallinger* h. t. § 228; *Schmalzgr.* h. t. n. 28 sq.

(54) *Thesaurus* l. c. cap. 1; *Schiappoli* l. c. n. 355 sq.; *Hollweck* l. c. § 191 *Hilarius e Sexten*, De cens. et irreg. p. 343 sq.

(55) Cap. 11 X. de excess. Praelator. V, 31; *Thesaurus* l. c.; *Schmalzgr.* h. t. n. 304.

(56) Cap. 3 X, h. t.; *Thesaurus* l. c.

(57) *Thesaurus* l. c. cap. 3, 4.

(58) Cap. 7 X, h. t.

(59) Cap. 3 X, h. t.; cap. 2 h. t. in Sext.

(60) Cap. 1 X, de sepult. III 7 in Clem.; *Thesaurus* l. c. cap. 5.

irritis iure antiquo sancita fuere, si non servarentur condiciones cap. 2 h. t. in Sext. praescriptae (61), salvis legibus divinis de obligatione restituendi iniuste acquisita, quae in ipsos haeredes bonorum usurarii transit, iamdiu non erant practici momenti. Abrogata quoque fuit per Pii IX Const. «*Apost. Sedis*» excommunicatio latae sententiae cap. unic. h. t. in Clem. inflicta magistratibus, qui conderent statuta usurariam pravitatem approbantia (62).

Quodsi *clerici* ipsi turpes usuras pertinaciter recipere praesumerent, ab officio et beneficio per sententiam ferendam erant *suspendendi* atque adeo ecclesiastici officii periculum i. e. *poenam privationis* patiebantur. At personae sive singulae sive in collegiis vel universitatibus coadunatae poenas suspensionis vel excommunicationis vel interdicti personalis et localis, quibus cap. 1, h. t. in Sext. (i. e. Greg. X in Conc. Lugd. II) ipso facto pro diversitate graduum fuerunt innodatae, si usurarios manifestos in suis territoriis contra tenorem cit. cap. Gregor. X, tolerarent, certe post Pii IX, Const. «*Apost. Sedis.*» de istis censuris tacentis non amplius ligabantur.

e) **Iure Codicis** delictum usurae, sicut alia delicta mixti fori, puniendum est ad normam can. 2354, i. e. in *laicis* post legitimam damnationem in foro saeculari; in *clericis* vero etiam independenter ab illa damnatione. Porro, praesertim in laicis, attendendus est ambitus delicti secundum tenorem respectivi Codicis criminalis (63).

(61) *Schmalzgrueber* h. t. n. 307.

(62) *Thesaurus* l. c. cap. 6.

(63) Cfr. Cod. Gall. l. 19 Dec. 1850; C. Germ. § 302, 360, 12; C. Austr. l. 28 Maii 1884, 4 Jan. 1903; C. crim. Ital. (a. 1930) ubi delictum ita describitur: «*Chiunque, approfittando dello stato di bisogno di una persona, si fa da questa dare o promettere, sotto qualsiasi forma, per se o per altri, in corrispettivo di una prestazione di denaro, o di altra cosa mobile, interessi o altri vantaggi usurarii, è punito con la reclusione fino a due anni e con multa da lire mille a ventimila*».

«*Alla stessa pena soggiace chi, fuori dei casi di concorso nel delitto preveduto dalla disposizione precedente, procura ad una persona in stato di bisogno una somma di denaro o un'altra cosa mobile, facendo dare o promettere, a se o ad altri, per la mediazione, un compenso usurario*». Cfr. *Cicala*, Il delitto di usura; *Alzeri Vacca* in Riv. it. di dir. pen. (Marzo 1929, p. 243); *Palazzo* in Riv. Giur. (1928, 26); *Ferrari*, L'usura nel diritto, nella storia, nell'arte (Napoli 1928).

CAPUT XLI

De delictis contra bonos mores

Fontes: Decret. Grat. C. XXXII, q. 4, 5, 6, 7. — Cpl. I, l. V, t. 13, de ad. et st., t. 14, de rapt.; Cpl. III, l. V, t. 8, de adulteriis, t. 9, de raptor.; Cpl. V, l. V, t. 8, de ad. et stup. — Decretal. Gregor. IX, l. c. libr. V, 16; V 17, Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 6, 8, de ref. matr. — Pii V, Const. «*Horrendum*» 30, Aug. 1568; Urban. VIII, Const. «*Magnum*» 20, Iun. 1637, iunct. Bened. XIV, De syn. dioec. l. IX, cap. 6, n. 8. — Const. Rom. Pont. contra matrim. civile. — Pii IX Const. «*Apost. Sedis*», (1).

Scriptores: Commentatores iur. Decret. in cit. t. — *S. Raymundus*, Summa l. II, t. 5, de raptor. — *Zech* l. c. tit. 31, sq. de criminibus carnis; *Devoti*, l. c. tit. 15, de delictis venereis; *Vering* l. c. § 198; *Muenchen* l. c. p. 429; *Thesaurus* l. c. v. Adulterium, Bigamor. poenae, Concubinatus, Incestus, Raptus, Sacrileg., Sodomia, Sollicitantes, Stuprum; *Ferraris* l. c. iisdem fere v.; *Kraus*, l. c. v. Unzucht, Ehebruch, Sodomie, Entfuehrung; *Kober* l. c. 772, 776, 590, 599, sq. 708, 117, sq. 706, sq.; *Hinschius* l. c. tom. V, p. 169, sq. 157, 813, sq.; *Schiappoli* l. c. n. 260, sq.; *Pertile*, Storia del diritto pen. p. 513, sq.; *Hollweck* l. c. § 174, sq.

490. Cum ex delictis carnis partim ipsa existentia physica hominum, immo ipsius generis humani periculo gravissimo exponatur, partim pax et ordo familiarum et societatis publicae morum honestas vehementer perturbetur (2), non solum quia peccata sunt contra divinam legem, sed quia grave sociale nocumentum de se inducunt, in censu delictorum merito reponenda sunt ut factum est in antiquis canonibus, in iure Decretalium et in Codice, tametsi plerumque iam puniantur in foro saeculari, sunt enim ex sua natura *mixti fori*.

Respiciuntur hoc loco gravia et externa peccata contra *sextum decalogi praeceptum* aut cum aliis aut cum publico scandalo commissa. Quare non solum peccata interna, sed etiam externa et occulta, quae ipsam personam non egrediuntur, in foro externo et contentioso examinari et puniri non solent, sed foro poenitentiali relinquantur (3); immo Ecclesia etiam alia delicta in hoc genere, si a lai-

(1) Dig. XLVIII, 5, ad leg. Iul. de adulteriis coerc.; Cod. IX, 9, ad l. Iul. d. adulteriis et stupro 10, 11, 13. — Reg. pen. Greg. art. 168 sq.; Cod. crim. Ital. art. 331 sq.; Cod. crim. Germ. § 171 sq.

(2) *S. Thomas*, Sum. theol. 2, 2, q. 122, a. 6; q. 58 sq. q. 101 sq.

(3) *Schmalzgr.* h. t. n. 119, de mollitie; *Schmitz*, Die Busbuecher p. 503, de occultis peccatis luxuriae.

cis fuerint admissa, iudicibus saecularibus relinquit in foro externo puniendi (4); et damnationis in foro saeculari rationem habet ut etiam pro fidelium offensione satisfactionem exigat et exortum scandalum pro viribus auferat.

Delicta communia carnis sunt: *Fornicatio, stuprum, concubinatus, lenocinium, raptus, incestus, sacrilegium carnale, adulterium, sodomia, bestialitas*. Quibus delictis in clericis speciali ratione accedit *sollicitatio* ad turpia in confessione. Item huc etiam revocari potest *divulgatio librorum* qui ex professo de obscoenis rebus agunt.

491. Notae historicae. Delicta carnis iam ipso iure naturali et divino proscripta primis Ecclesiae temporibus inter tria delicta capitalia recensebantur (5) et gravissimis subiiciebantur poenitentis publicis (6). Cuius antiquae severitatis in probatis libris poenitentiarum medio aevo recurrunt vestigia, quo tempore inter populos istos barbaros delicta carnis multum erant divulgata (7). Quare Ecclesia etiam in foro externo gravibus censuris et poenis vindicativis tum in laicos tum praesertim in clericos animadvertit (8). Quae statuta iuris antiqui saltem ex parte in Decretum Gratiani transierunt atque in Decretales Gregorii IX: reliquae compilationes specialibus titulis de istis delictis carent, cum iure antiquo et sanctionibus iuris particularis satis esset provisum (9). Postquam Concilium Tridentinum praesertim in concubinarios novo rigore condemnationis sententiam pronuntiavit (10), Pius V l. c. auxit rigorem poenarum in delicta contra naturam a clericis commissa (11) et Sixtus V speciali Const. « *Ad compescendam* » 30 Oct. 1586, ut coereret in Urbe varia carnis delicta, severissimas statuit poenas saltem ad salutarem terrorem Romanis incutiendum multum aptas, sed iam pridem antiquatas. Urba-

(4) *Zech* l. c. § 417.

(5) *Schmitz* l. c. p. 23; *Hinschius* l. c. t. IV, p. 746, 699 sq.

(6) Cfr. c. 7, 8, 9, 10, 12, 13, 14, 30, 31, 69, 70, 71, Conc. Illiber. (a. 300-306); c. 16, 17, 20, Conc. Ancyran. (a. 314); c. 8, 9, 10, Conc. Neocaesar. (a. 314-325).

(7) *Schmitz* l. c. p. 20, et in ind. v. *Unzucht*.

(8) Cfr. c. 25, Apost. iunct. *Hefele* l. c. tom. I. p. 807; *S. Basilii* in ep. ad Amphiloc. cap. 7, (*Pitra* l. c. t. I, p. 581); L. 1, (Constant. M.) Cod. Theod. quorum appell. non recip. IX, 36; c. 30, Conc. Laodic. (a. 343-381) = c. 77, Conc. Trull. (a. 692) = c. 28, D. 81; *Kober* l. c. p. 598 sq.; *Hinschius* l. c. tom. V, p. 169 sq.

(9) *Hinschius* l. c. p. 170 sq.

(10) Sess. XXIV, cap. 8, de ref. matr. Cir. *Hollweck* § 231.

(11) *Kober* l. c. p. 772.

mus VIII l. c. (12) polygamiae delictum ultra ordinarias novis subiecit poenis, quae teste Benedicto XIV magis fuerunt ad terrorem incutiendum ideoque brevi tempore post in praxi mitigatae et a disciplina vigente factae sunt alienae. Cum nomine matrimonii civilis nova quaedam species concubinitus praesertim inde a revolutione gallica in compluribus regionibus introduceretur, Ecclesia illico illud condemnavit et partim iure particulari partim iure communi saltem in certis casibus etiam speciales constituit poenas (13).

492. Delictum bigamiae (can 2356). Hoc delictum committitur ab eo, qui, obstante coniugali vinculo, aliud matrimonium etsi tantum civile, ut aiunt, attentaverit. Requiritur ad delictum, ut is qui aliud attentat matrimonium sciat huic novo matrimonio obstare vinculum prioris: unde excluditur delictum: *a*) in eo qui priorem coniugem mortuum esse bona fide putat; *b*) in eo qui bona fide contrahit cum coniugato putans esse solutum, quo casu a solo coniugato deceptore delictum committitur.

Qui bona fide reputat suum matrimonium invalidum et ad aliud matrimonium transit non expectata iudicis ecclesiastici sententia, peccatum bigamiae non committit, sed in foro externo bigamus praesumitur et ut talis puniri potest. Item qui obtinuit sui matrimonii declarationem nullitatis, a qua appellandum non est, vel iuridicam declarationem de morte prioris coniugis, non fit reus bigamiae, per transitum ad novum matrimonium, tametsi sententia contra obiectivam veritatem sit data: at mala fide accusans matrimonium vel mortem prioris coniugis falso asserens, interno peccato bigamiae ad aliud matrimonium transiens maculatur, et mala fide probata ut bigamus puniri debet.

Bigamia est adulterium quoddam permanens et natura sua publicum gravissimum scandalum inducens, et apud coetum fidelium infamans: ad illud autem non requiritur ut secundum matrimonium carnali copula fuerit consummatum.

Iure praecedenti bigamus fiebat irregularis; *infamia iuris* notatus (cap. 4 X, de bigamis I, 21); excommunicandus, nisi excommunicatio ipso iure eum teneret *ob connexionem cum haeresi*; de facto erat

(12) *Kober* loc. pag. 797 sq.

(13) *Wernz-Vidal* tom. V, De matr. n. 595; *De Smet*. De Spons. et Matr. n. 461, 3°.

crimen inducens suspicionem de haeresi; polygami habiti sunt *publici peccatores a sacramentis, iuribus honorificis, benedictionibus* Ecclesiae arcendi (14).

Iure Codicis. Poena statuta est *infamia iuris* lat. sent. Insuper, si, sprete Ordinarii monitione, in illicito contubernio persistunt, sunt *excommunicandi* vel *personali interdicto* plectendi (fer. sent.).

493. Scholion I. Iure civili omnium excultarum nationum matrimonium est monogamum: C. It. a. 56, 104, 104; Gall. a. 147; Austr. § 62; Germ. § 1309; Hisp. a. 101, licet haud raro pluribus locis Turcarum polygamia toleratur, et ubi divortium vel matrimonium civile viget, de facto saepius, alicubi saepissime, stante primo coniugio, alterum contrahitur. - Consequenter etiam considerant bigamiam ut delictum C. crim. Gall. a. 340; Germ. § 171; Austr. § 206, 207; Ital. (a. 1930) a. 556, 557.

Scholion II. Ut apparet ex notis historicis, cum delicta carnis ut plurimum sub nomine moechiae, criminis capitalis, comprehenderentur in Ecclesia primaeva, et severissimis poenis punirentur; deinde cum ipsa distinctione in varias species, praesertim opera librorum poenitentiariarum poenae mitigatae et per varios gradus distinctae sunt. Cum autem medioaevales leges civiles eadem crimina durissime punirent (*Pertile*, Storia del dir. pen. § 198), ex logica consequentia rarius iudices ecclesiastici in *laicos* poenis fori ecclesiastici animadvertere coeperunt, fere recipientes pro foro ecclesiastico infamiam redundantem ex condemnatione facta in foro saeculari aut in contumaces procedendo per excommunicationem. At ob forum privilegiatum clericorum, in hos severius Ecclesia suis poenis animadvertebat, excommunicatione, suspensione, privatione, depositione (cfr. *Hollweck*, l. c. § 174-184).

Quare criterium Codicis praxi ipsa fuit praeformatum, ut in hisce *mixti fori* delictis, quoad laicos respiceret damnationem fori saecularis, quoad clericos severius procederet in infligendis suis poenis.

Enumerantur in Codice delicta sequentia etiam in foro saeculari punita.

(14) Cfr. *Zech* l. c. § 418; *Muenchen* l. c. II, p. 436 sq.; *Thesaurus* v. Matrimonium. Urbani VIII cit. const. *Magnum*, in qua continetur poena fustigationis, perpetuae reclusionis in turrem et traditio brachio saeculari facienda; quae, teste Benedicto XIV (De syn. dioec. l. IX, cap. 6, n. 8) «ad terrorem» potissimum edita fuit et certe quoad poenas illas severiores iamdiu non vigeat.

494. I. Delictum carnale cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum, sive intercedat copula sive non (15) (can. 2357, § 1).

II. Stuprum hic non est sumendum sensu theologico (iniusta virginis violatio) sed iuridico, quo sensu est violenta mulieris oppressio seu copula vi extorta, vi, inquam, physica aut vi morali per coactionem ex gravi metu factam; cui aequiparatur oppressio ei facta, quae ad resistendum impotens invenitur aliquo impedimento (16).

III. Sodomia seu actus libidinosus inter personas eiusdem sexus (17): quae a theologis distinguitur in *perfectam* et *imperfectam*.

IV. Incestus, licet theologice solet dici «concubitus inter personas consanguineas vel affines iure prohibitas a matrimonio inter se contrahendo»; in foro criminali saeculari solet considerari «commercium carnale inter ascendentes et descendentes consanguineos vel affines et inter fratrem et sororem», in sensu proinde restrictiori (18).

V. Lenocinium est seductio alicuius ut alterius libidini praesto sit. Qua in re non omnes codices conveniunt in requisitis ad

(15) Hoc delictum una vel alia forma solent continere codices poenales fori saecularis, et solet designari delictum *corruptionis minorum*, nec adest concordia in designanda aetate v. gr. C. Gall. art. 331 (ibi ponitur aetas 13 ann.); Austr. § 128 (ann. 14); Germ. § 182, 176 (ann. 16 si adf. copula, 14 si alius actus libid.); Ital. (a. 1930) a. 519, 530 ubi plures fiunt distinctiones.

(16) Cit. C. Ital. a. 519; Gall. a. 332; Austr. § 125-127; Germ. a. 176-179. - De diversa notione stupri cfr. cap. 1, 2, X, De adult. et stupro V, 16. - Privatio petendi debiti in coniuge incestuoso, per Codicem fuit suppressa.

(17) Cfr. de hoc delicto carnis contra naturam: Gen. XIX, 6; Levit. X, 13, Rom. I, 22, 27, c. 11 (S. Aug.), c. 12 (S. Ambr.), c. 13, 14 (S. Aug.), C. XXI q. 7, c. 15, 16 Conc. Ancy. (a. 314) iunct. *Hefele*, Conciliengesch. t. I, p. 225 sq.; c. 3, C. Tolet XVI (a. 693); c. 34, C. Paris. (a. 821); Leo IX in C. Remensi i. f. (a. 1049); Alex. III in c. 11 C. Later. III (a. 1179) = Cap. 4, X, de excess. priv. V, 31; *Schmalzgr.* h. t. n. 112; *Kober* l. c. p. 768 sq.; *Hollweck* l. c. § 182; *Pertile* l. c. p. 535 sq. de severissimis fori saecularis poenis in *sodomitis*. -- In Cod. Germ. § 173 et in Austr. § 131, 510 fuit retenta sodomia ut crimen specificum; in aliis ut plurimum est delictum generale obscenitatis publice patratae. In foro eccles. ipso facto sodomita per notorietatem iuris vel facti incurrebat *iuris infamiam* et inde irregularitatem. *Thesaurus* v. Sodomia; *Hollweck* § 78 not. 5. Praeterea donec condignam satisfactionem dedisset a communione fidelium erat excludendus (cap. 4, X, de excess. prael.); *Schmalzgr.* h. t. n. 113 sq. Porro in laico coniugato, ex del. sodomiae, pars innocens non secus atque in adulterio divortium facere potuit *Schmalzgrueber* IV, 19 n. 103. -- *Bestialitas* sive sodomia *ratione generis* iisdem poenis fuit subiecta. *Kober* l. c. p. 773; *Hollweck* § 183.

(18) Cfr. C. cr. Germ. § 173; Austr. § 131, 510; Ital. (a. 1930) a. 564 si exoriatur publicum scandalum.

delictum constituendum, dum aliqui requirunt consuetudinem, alii scopum lucri vel auctoritatis abusum (19).

Haec quinque delicta merito habentur ab Ecclesia ut delicta in opinione fidelium *infamantia*. Quare si de his *laicus* legitime damnatus fuit, pro foro ecclesiastico punitur *a) poena infamiae lat. sent.*; *b) insuper puniri potest aliis poenis fer. sent.*, quas Ordinarius infligendas iudicaverit.

VI. Publicum adulterium et publicus concubinatus (can. 2357, § 2), est etiam delictum natura sua inducens grave scandalum contra bonos mores et publicam honestatem etiam naturalem; unde et ad Ecclesiam et ad Statum pertinet punitio pro tutela praedictae publicae honestatis. Canon videtur requirere talem notorietatem ut inde scandalum exoriatur.

A Conc. Tridentino sess. XXIV, cap. 8 de ref. matr. excommunicatione fer. sent. concubinatus erat coercendus i. e. tali modo poenalter erat procedendum, ut efficaci modo obtineretur recessus a concubinato. - Adulteri vero, praeter reparationem damnorum, quae potest dici poena civilis, etiam stricta poena potuerunt puniri, excommunicatione non exclusa (20).

Iure Codicis. Laici publici adulteri vel concubini sunt coram Ecclesia *publici peccatores*, tametsi poenas fori civilis forte evadant. Quodsi ob talia delicta vel ob aliud delictum quodvis contra sextum decalogi praeceptum legitime damnati fuerint, *excluduntur ab actibus legitimis ecclesiasticis* (poena fer. sent.), donec signa vere resipiscentiae dederint (can. 2357, § 2).

495. Severior clericorum punitio, quorum delicta in hac materia gravius scandalum inducunt; insuper de se seu de iure Ecclesiae subsunt etiam in his delictis exclusivae competentiae ecclesiastici fori: aliter autem respiciuntur in clericis *minoribus* aliter in maioribus.

a) « Clerici in minoribus ordinibus constituti, rei alicuius delicti

(19) Cfr. C. Germ. § 180, 181; Austr. § 182; Gall. a. 334-335; Ital. (a. 1930) a. 531 sq.

(20) Abrogata praxi detrusionis adulteri in monasterium (cap. 19, X, de conv. coniug. III, 32), ex praxi iamdiu recepta in foro externo potius a iudicibus saecularibus castigandi erant adulteri. *Schmalzgr.* h. t. n. 71; *Zech* l. c. § 417; *Hollweck* § 177, not. 3. — In iure criminali hodierno magis cavetur de adulterio uxoris, quam de marito, et certe in marito poenae non solent applicari. Cfr. C. Gall. a. 336-339; Germ. § 172; Austr. § 502; Ital. (a. 1930) a. 559-561.

contra sextum decalogi praeceptum pro gravitate culpae puniantur etiam dimissione a statu clericali, si delicti adiuncta id suadeant, praeter poenas contra laicos statutas can. 2357, si his locus sit».

b) Clerici in sacris sive saeculares sive religiosi concubinarij, monitione inutiliter praemissa, cogantur ab illicito contubernio recedere et scandalum reparare suspensione a divinis, privatione fructuum officii, beneficii, dignitatis». Modus servandus in processu contra ipsos exhibetur (can. 2176-2181).

c) Idem maiores clerici: « Si delictum admiserint contra sextum cum minoribus infra aetatem 16 annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis vel affinibus in primo gradu exercuerint, suspendantur, infames declarentur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere, si quod habeant, priventur, et in casibus gravioribus deponantur».

d) Idem maiores clerici: « Si aliter contra sextum deliquerint, congruis poenis secundum casus gravitatem coerceantur, non excepta officii vel beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant».

Illud autem notandum venit, quod *relate ad clericos, concubinatus*, licet in sensu proprio sit consuetudo commercii carnalis soluti cum soluta, quae domi aut extra domum loco uxoris detineatur, amplioem habet significationem et extenditur, nedum ad coniunctionem cum coniugata, sed etiam ad illicitam familiaritatem et conversationem, praesertim cum muliere *suspecta*, quae secum habeatur vel frequentetur. Cfr. can. 133 et canones cit. de modo administrativo procedendi contra praesumptos concubenarios.

Scholion. *Matrimonium* sic dictum *civile*. Catholici, qui ad formam ecclesiasticam celebrationis ad valorem matrimonii tenentur, si neglecto matrimonio canonico ac solis adimpletis civilibus formalitatibus maritaliter vivunt in communi contubernio, tractandi sunt ut publici concubinarij (21); sunt infames infamia facti utpote pu-

(21) Ad communem quidem concubinatum certe sufficit conductum inter virum et mulierem, quo inter se expresse vel tacite convenerint de illo habituali contubernio ad commercium carnale perinde ac habetur inter maritum et uxorem nec in eo includitur consensus quidam matrimonialis nec maritalis affectio, qualis solet dari in his, qui se coniungunt vinculo civili; at haec circumstantia non impedit quominus matrimonium invalidum, cui publica lege canonica non agnoscitur nequidem *species matrimonii*, sit tractandum tamquam concubinatus, a quo in sua essentia non differt cum maritalis affectio etiam in vulgari concubinato dari possit. Ceterum haec exterius non apparet et in foro externo et publico perinde est nolle

blici peccatores; qua tales excludendi sunt ab actibus legitimis ecclesiasticis (c. 2294, 2 iunct. 2357, § 2), sunt privandi sepultura ecclesiastica ad normam can. 1240, § 1, n. 6.

CAPUT XLII

De crimine falsi et collusionis

Fontes: Decret. Grat. c. 3, D. 19, c. 7, D. 50; c. 97, § 4, C. I, q. 1; c. 16, C. III, q. 9; c. 7, C. V, q. 6; c. 33, C. XII, q. 2. — Compl. I, l. V, t. 16, d. crim. f.; t. 18, de collusionem; Cpl. II, l. V, t. 9, de falsariis; Cpl. III, l. V, t. 11, de falsariis; Cpl. IV, l. V, t. 8, de crim. f. — Decret. Gregor. IX, lit. V, tit. 20, de crim. fals., tit. 22, de collusionem deteg.; Extravg. Ioann. XXII, tit. 10, de crim. f.; Extravg. com. l. V, t. 6, de crim. f. — Lib. Sept. l. V, t. 10, de falsis et falsum exponentib., t. 14, de monetar. tonsor. — Pii IX, Const. «Apost. Sedis» (1).

Scriptores: Comment. iur. Decret. in cit. tit. (2) — S. Raymundus, Summa l. I, t. 10, de mendacio. — Zech, De iud. eccl. sect. II, tit. 30, de crimine falsi; Vering l. c. § 199. — Muenchen l. c. p. 531: De Luca l. c. n. 284 sq.; Thesaurus l. c. v. Falsum, cap. 1 sq.; Ferraris l. c. v. Falsum. — Kober l. c. p. 606, 720, 746 sq., 753 sq.; Hinschius l. c. tom. V, p. 199 sq., 845 sq.; Schiappoli l. c. n. 358 sq.; Hollweck l. c. § 197 sq.; Pertile, Storia del diritto pen. p. 547 sq. — Chelodi n. 87 sq. et alii Codicis Comment.

§ 1. De crimine falsi

I. Notio, divisio, historia crimini falsi

496. Notio et divisio. Crimen falsi universim spectatum definiri potest (3): *Dolosa veritatis immutatio* (4) *in damnum seu fraudem* (5) *alterius facta*. Quare ad constituendum crimen falsi tria requi-

matrimonium assumpto tantum contubernio, quam ad tale contubernium velle illum modum coniunctionis, quem quis scit non esse matrimonium et matrimonii non habere nisi nomen «matrimonium, ut aiunt, civile», ita passim Codicis canones.

(1) Dig. XLVIII, 10, de lege Cornelia de falsis; Cod. IX, 22, ad leg. Corneliae de fals.; Dig. XL, 16, de collus. det.; Cod. VII, 20, de coll. det.; Regol. pen. Greg. art. 101, 153 sq., 208 sq.; Cod. crim. Ital. art. 453 sq.; Germ. §§ 146 sq., 164 sq., 262 sq.; Hisp. art. 280 sq.; Ferrini, Diritto pen. rom. n. 322 sq.

(2) Cfr. ex Theol. S. Thomas l. c. 2, 2, q. 122, art. 6, q. 109, 110; Lehmkuhl l. c. tom. I, n. 1175 sq.

(3) Schmalzgr. h. t. n. 2, 3.

(4) Cfr. c. 3 (S. Aug.) C. XXII, q. 2; Novel. 73 pr.

(5) Schmalzgr. h. t. n. 4 sq.

runtur scl. veritatis immutatio, dolus, damnum alterius. Quodsi unum ex istis tribus elementis desit, potest existere falsum (6); at crimen falsi sensu stricto non habetur. — Est autem delictum contra fidem publicam.

Crimen falsi cum tot diversis modis committi possit, illius *divisio* haud raro fit potius secundum practicam quandam enumerationem legibus conformem, quam secundum ordinem vere logicum. Etenim legislatores potissimum certas species criminis falsi eiusque logicam divisionem minus curarunt (7). Nihilominus veteres canonistae apte distinguunt crimina falsi: I. Ratione *obiecti*, in *personalia* et *realia*; illa committuntur circa personas v. g. mutatione nominis, haec circa res. II. Ratione *modi*, in *falsa dicto, scripto, facto, usu*, commissa. — III. Ratione *negotii*, in *iudicialia* et *extraiudicialia*, quatenus crimen falsi in iudicio aut extra illud patrat (8). Atque ex diversis illis formis, quibus crimen falsi committitur, non paucae proprium quoddam specificumque nomen consecutae sunt veluti periurium, concussio, praevaricatio. Aliquando etiam accidere potest, ut falsum concurrat cum alio delicto, sed ipsius praecipuum elementum non constituat v. g. in homicidio proditorio.

497. Notae historicae. Crimen falsi, quod ipsa lege divina naturali et positiva est proscribitur, inde a primis saeculis quoad omnes suas species nequaquam legibus poenalibus ecclesiae reperitur damnatum poenisque canonicis castigatum. Sane falsi *accusatores* falsique *testes* in iudicio iam primis saeculis in Conciliis subiiciuntur poenis canonicis (9) atque mox etiam in falsificatores *chartarum*, praesertim si fuerint clerici, severae commemorantur sanctiones poenales (10). Verumtamen de delicto falsae *monetae* (11)

(6) Cfr. pr. Inst. de oblig., IV, 5; Zallinger h. t. § 233; Schmalzgr. h. t. n. 11; Berner, Strafrecht p. 473 sq., ubi de generica notione criminis falsi suo modo philosophatur et Muenchen l. c. n. 532 sq. difficultatem proponendi definitionem genericam aptamque divisionem huius delicti exaggerat.

(7) Berner, Strafrecht p. 472.

(8) Schmalzgr. h. t. n. 12; Zallinger l. c.; Muenchen l. c.

(9) Cfr. c. 73, 74, 75, Conc. Illiber. (a. 300-306); c. 14, Conc. Arelat. (a. 314); c. 24, Conc. Arel. II (a. 443-452).

(10) Cfr. c. 50, Conc. Agath. (a. 506); c. 8; Conc. Aurel. III (a. 538). Qui rigor sequentibus saeculis non est emollitus, ut patet ex decreto Gratiani (v. g. c. 4 [Greg. 11] C. V, q. 6) et ex decretalibus Gregorii IX, cap. 1, 2, X, de calumn. V, 2; Hinschius l. c. p. 201 sq.

(11) In Conc. Later. I (a. 1123) c. 15, prima vice istud delictum in fontibus

et iniusta *immutazione ponderis vel mensurae et monetae* (12), mercium vendicationi expositarum adulteratio, terminorum remotio, suppositio partus, in antiquissimis fontibus speciales et expressae leges criminales non inveniuntur (13). Longe frequentius tempore medii aevi occurrunt leges ecclesiasticae contra falsificatores documentorum *ecclesiasticorum* et imprimis Litterarum Sedis Apostolicae (14), neque desunt sanctiones poenales in falsificationes documentorum saecularium (15). Quae leges in ipsam collectionem authenticam Gregorii IX, et ex parte etiam in Bullam Coenae sunt translatae atque nostra quoque aetate Pius IX, in Const. "Apost. Sedis", in falsificatores Litterarum Apostolicarum severas censuras retinuit.

Collusio, quae in altera rubrica Decretal. commemoratur, est species quaedam *falsi iudicialis* et pariter antiquissimis temporibus in illam specialis poena canonica non reperitur statuta. At iam Gregor. M. a. 593, (cap. 1, X, de collus. det.) in istud delictum animadvertit neque Gratianus (c. 8, C. II, q. 3.) collusionem silentio praeterit; singulari vero rigore ab Alexandro III, (a. 1159-1181) cap. 3, X, eod. tit. procedendum fuit in clericos colludentes in materia beneficii, quem secutus est Gregorius IX, (cap. 4, X, eod.) in permittenda nova accusatione vel inquisitione, si de collusionem obtenta fuisset absolutio. Qua in re usque ad nostram aetatem maxime curandum fuit iudici ecclesiastico, ut ipse in causis *matrimonialibus* collusionem coniugum detegat. Cfr. Bened. XIV Const. «*Nimiam licentiam*» 18 Maii 1743, contra pacta non appellandi in causis nullitatis matrimonii. Negari vero non potest, secundum disciplinam recentiore propter institutionem *defensoris* vinculi matrimonialis et *promotoris* fiscalis et introductionem proceduræ iudicialis potius per accusationem *privatorum*, periculum collusionis partium litigantium in foro ecclesiastico multum esse imminutum.

ecclesiasticis commemoratur et punitur. Cfr. quoque c. 97, § 4 (S. Aug.) C. I, q. 1; cap. 18 (Innoc. III, a. 1199), X, de iureiur. (II, 24); Clem. V (a. 1308) et Ioann. XXII (a. 1322) in cap. unic. tit. 10, de crim. f. in Extrav. Ioann. XXII; *Kober* l. c. p. 753 sq.; *Schiappoli* l. c. n. 362 sq., 366 sq.

(12) Cfr. Conc. Paris. (a. 829) l. I, c. 51; cap. 2, X, de emp., III, 17.

(13) Cfr. *Kraus* l. c. v. Falschmuenzerei; *Schmitz*, D. Busbuecher Busdiscipl. p. 629, 829; *Hinschius* l. c. p. 200 sq.

(14) Conc. Tribur. (a. 895) in c. 3, II, 19; cap. 2 (Luc. III, a. 1181-1185), cap. 4 (Innoc. III, a. 1198), X, h. t.; cfr. quoque reliqua cap. h. t. X.

(15) Cap. 3, X, h. t. (Urb. III, a. 1185-1187), de falsificatione sigilli regis; *Hinschius* l. c. p. 200.

II. De diversis delictis falsi eorumque poenis

498. a) «*Dicto*» quamvis multiplici ratione veritas immutari possit, tamen neque leges ecclesiasticae neque leges civiles quodlibet mendacium poenis subiiciunt (16). Maxime vero etiam in foro ecclesiastico fuit castigatum illud falsum tamquam verum crimen, quod testes (17) in iudicio patrant per *falsas attestaciones* scienter et dolose prolatas atque adeo forte iuramento firmatas (18).

Huiusmodi testis ex iure antiquo incurrebat poenam infamiae (19) atque si clericus esset deponendus erat (20). Porro criminis falsi in iudicio reus habebatur *advocatus*, qui dolose causam sui clientis *prodit*: qui, praeter reparationem damni per se debitam, poenis quoque arbitrariis, in foro ecclesiastico tamen receptis fuit puniendus (21). Quodsi ipse *iudex* ecclesiasticus praemio aut gratia aut odio ductus in gravamen partis *falsam* pronuntiasset *sententiam*, ultra litis aestimationem a poenis arbitrariis non erat immunis (22).

Iure Codicis ex can. 1733, 1766, 1794, 1666; a) *Testis* illegitime recusans respondere in iudicio vel mendax repertus, puniendus est *remotione ab actibus legitimis* ecclesiasticis; b) si testis mendax sit *iuratus*, *interdicto* personali *laicus*, *suspensione clericus* est puniendus (can. 1743, § 3).

b) *Testis* inobediens seu non comparens ad citationem, vel renuens respondere, iurare vel attestacioni subscribere, potest congruis poenis puniri et insuper mulctari pro rata damni, quod ex eius inobedientia partibus obvenit (can. 1766, § 2).

c) *Periti*, qui ad veritatis et iustitiae leges peritiam non exe-

(16) *Zech* l. c. § 393 sq.

(17) Cfr. *Schmalzgr.* h. t. n. 13 sq., ubi tres modos delicti committendi refert.

(18) Cap. 1, X, h. t.; c. 7, C. XXII, q. 5; *Muenchen* p. 540; cfr. *Pertile* l. c. p. 560 sq.

(19) Cfr. c. 9, C. III, q. 5 = cap. Pseudo-Isid. iunct. *Thesaurus* l. c. cap. 1; *Schmalzgr.* h. t. n. 17.

(20) Cfr. c. 7, D. 50 (ex Conc. Agath. a. 506) iunct. *Schmalzgr.* l. c.; *Kober* l. c. p. 606, 700, 720.

(21) *Schmalzgr.* h. t. n. 22.

(22) *Schiappoli* l. c. n. 375 sq. ubi hoc delictum vocat delictum *corruptionis*, quae potest esse *activa* et *passiva*. Textus cap. 1 de sent. V, 11, in Sext. a *Schmalzgr.* h. t. n. 24, *Santi* h. t. n. 2 aliisque allegatus ad instar aliorum canonum ab iisdem scriptoribus l. c. citatorum ex sese vi probandi caret et propter silentium Pii IX Const. «*Ap. Sedis*» antiquatus est.

gerint, falsum affirmando aut verum occultando, puniendi sunt ut dictum est sub *a*) (can. 1794).

d) *Advocati* et *Procuratores* qui litem emerint vel pacti fuerint de immodico emolumento aut de parte vindicata rei litigiosae, puniendi sunt. Huc autem potius pertinet *proditio proprii officii* ob dona et pollicitationes: ob quod delictum puniendi sunt ad normam can. 1666.

e) Partim *scripto* partim *facto* crimen falsi committitur: 1° a *fabricatoribus* vel *falsariis* litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae, et iis qui fabricatis vel falsatis *scienter utuntur*. Ille documentum *fabricatur*, qui documentum numquam legitime editum confingit; *falsat* qui in documento vere edito et authentico *substantiale* aliquid addit, detrahit vel mutat. *Dolus* habetur in animo decipiendi sive in propriam utilitatem sive in alterius praeiudicium. Delictum habetur perfectum, tametsi finis decipiendi obtentus non fuerit, eo quod falsitas tempestive detecta est.

Poena: *a*) *excommunicatio* speciali modo reservata lat. sent.

b) pro *clericis* aliae quoque poenae arbitrariae, quae pertingere possunt usque ad *privationem* officii, beneficii, dignitatis, muneris.

c) pro *religiosis*, *privatio* officiorum, vocis activae et passivae, praeter poenas propriarum constitutionum (can. 2360) (23).

2° *Rei subreptionis* vel *obreptionis* commissae in precibus ad impetrandum rescriptum a *Sede Apostolica* vel a *loci Ordinario* (24).

Poena est *indeterminata* arbitrio *Ordinarii*.

3° *Fabricatores* et *falsarii* litterarum vel actorum ecclesiasticorum sive publicorum sive privatorum, et iisdem *scienter utentes*.

Publica acta erunt v. gr. acta episcopalia, paroecialia, libri baptismorum, matrimoniorum, excerpta ex iisdem ex officio tradenda, tabulae foundationum et similia publicum bonum respicientia. *Privata* erunt v. gr. testamentum, instrumentum contractus, debiti, solutionis etc.

Poena est *indeterminata* (can. 2362), salvo praescripto can. 2406.

(23) Praecesserat Const. *Ap. Sedis* (I, 9; III, 3); hanc *Bullae Coenae*. De falsificatoribus aliorum documentorum cfr. *Schmalzgr.* h. t. n. 25 sq.; *Thesaurus* l. c. cap. 5; *Muenchen* l. c. p. 541 sq.; *Hinschius* l. c. t. V, p. 200; *Gasparri*, De sacr. ordin. n. 740.

(24) Quando rescriptum ob subreptionem vel obreptionem sunt invalida docent cc. 12, 45 1054.

Scholion. « *Facto* » falsarii, qui alicui alienum partum *supponunt* (25), pondera et mensuras publice probata *corrumpunt* (26), merces *adulteratas* tamquam genuinas vendunt, *terminos agrorum dolose movent* (27); maxime vero, qui nummos *ex materia falsa scienter cudunt* aut *studiose expendunt* nunc puniuntur in saeculari foro. Ecclesia falsarios monetae ex iure antiquo excommunicavit (28), praeterea pauperibus lucrum iniuste perceptum erogare iussit et si ipsorum facultates ad hoc non sufficerent prudenti iudicis arbitrio alia poena plecti debebant; porro haberi debebant ut perpetuo *infames*; clerici insuper beneficiis privandi erant et ad beneficia recipienda inhabiles reddendi (29).

§ 2. De collusionione

499. Collusio (30), aliqua ratione reduci potest ad crimen *falsi*. - *Collusio* praesertim est latens et *fraudulenta conventio inter actorem et reum* (31).

Dividitur collusio in *praevaricationem* et in *tergiversationem*. Illa consistit in tacito et fraudulento subsidio, quod accusator praestat accusato, ut accusatus falsa sententia absolutionis obtenta poenam evitet et iudicium publicum reddat illusorium. Altera habetur, si accusator ob eundem finem in universum ab accusatione desistit (32).

(25) Cap. 9 X, de poenit. V, 38; *Schiappoli* l. c. n. 367; *Pertile* l. c. p. 567.

(26) Cap. 2 X, de empt. III, 17; *Schiappoli* l. c. n. 367; *Hinschius* l. c. t. V, p. 201 847; *Muenchen* l. c. II, p. 549; *Pertile* l. c. p. 552 sq.

(27) *Schmalzgr.* h. t. n. 45 sq.; *Pertile* l. c. p. 558 sq.

(28) Cfr. c. 15 Conc. Later. I (a. 1123).

(29) Caput unic. h. t. V, 6 in Extravg. com.; Pius V, Urbanus VIII et Benedict. XIV novas poenas a se in delictum nummarium statutas ad universam Ecclesiam non extenderunt. Cfr. *Thesaurus*, v. Monetam; *Kober* l. c. p. 755 sq.; *Muenchen* l. c. II, p. 546 sq.

(30) Cfr. Dig. et Cod. l. c. de collus. deteg.; Regol. pen. Greg. art. 207; Cod. crim. Germ. § 356; Cod. crim. Ital. art. 380 sq.; *Berner* l. c. p. 530 sq.

(31) *Schmalzgr.* h. t. n. 1 3; *Hollweck* l. c. § 203 ubi not. 1 ex *Santi* comprehendit in delicto advocatos seu patronos causae, quos omittunt *Reiffenstuel* et *Schmalzgr.* qui l. c. notat advocatum colludentem cum altera parte improprie *collusorem* dici et allegat L. 1 § 1 D. de praevar. «ceterum advocatus non improprie praevaricator dicitur».

(32) L. 1 pr. § 1 D. ad S. C. Turpill. (XLVIII 16); L. 1 D. de praevar. (XLVII. 15); *Berner* l. c.; *Schiappoli* l. c. n. 372. sq.

Collusio locum habere potest tum inter clericos tum inter laicos (33), inter partes principales et inter advocatos vel procuratores (34) partium principalium, tam in causis spiritualibus mereque ecclesiasticis quam in causis temporalibus et profanis, in causis criminalibus atque etiam in causis litigiosis sive contentiosis, ubi intercedit praeiudicium tertii vel simul agitur de bono communi v. g. in causis matrimonialibus de nullitate (35) vinculi; secus dicendum si solum commodum privatum existit causa litigii, de quo *transactio* et *concordia* partium litigantium admittitur et consequenter delictum collusionis excluditur. Denique in materia beneficii illa specialis existit collusio, qua clericus beneficiatus super beneficio a se possessio litem fingit aut sibi moveri patitur, ut actori probans, quod sibi ius in beneficium competat, in illo succedat et possessor, dum vivit, beneficium retineat, sed actori solvat pensionem (36).

Si collusio facta esset circa *beneficium* ecclesiasticum, uterque clericus, postquam legitimo iudicio de crimine convictus fuisset beneficio *privandus* (37) fuit.

Quodsi accusator in iudicio ab accusatione desistat, iudex ex officio debuit inquirere, utrum iuste, an ob praemium sive pecuniam acceptam id factum sit: si prius obtineat, iudici ecclesiastico acquiescendum est; si alterum contingat, colludentibus partibus pro qualitate delicti poena arbitraria fuit imponenda et in reum denuo inquiri et procedi potuit, ne crimina maneant impunita (38).

Iure codicis etiam punitioni obnoxiam esse praevaricationem vel tergiversationem non solum partium, sed etiam procuratorum et advocatorum (can. 1666) et aliorum qui partem habent in iudicio: quoad advocatos et procuratores patet ex canone mox citato; quoad alios qui tribunal constituunt aut eidem opem ferant, inde patet quod ab iis exigitur iusiurandum de officio rite et fideliter implendo; violatio autem iurisiurandi punienda est ad normam can. 2323 et can. 1622 § 2 iurisiurandi in iudicio violatio dicitur *gravissimum delictum* poenis obnoxium.

(33) *Schmalzgr* h. t. n. 4.

(34) Cfr. L. 1 pr. § 1 D. de praev.; *Schmalzgr* h. t. n. 3; *Muenchen* l. c. p. 538.

(35) Bened. XIV. cit. Const. «*Nimiam licentiam*».

(36) Cap. 3 X. h. t.

(37) Cap. 3. X. h. t.; *Schmalzgr* h. t. n. 6.

(38) Cap. 1. 2. X. h. t.

§ 3. Falsa accusatio seu calumniosa denuntiatio

500. « Si quis *per se ipsum* vel *per alios* confessarium de sollicitationis crimine *apud Superiorem falso* denuntiaverit, ipso facto *incurrit in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam*, a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi et diuturna poenitentia ».

Falsa haec accusatio, quam ut delictum accurate circumscripsit Benedict. XIV const. « *Sacramentum poenitentiae* » 1 Ian. 1741 est calumnia gravissima, quae atrocissimas sequelas innocenti sacerdoti in delicatissimo ipsius officio afferre potest. In cit. Constitutione effectum est peccatum *ratione sui* reservatum Sedi Apostolicae, non absolvendum nisi facta retractione. A Codice, retenta reservatione peccati ratione sui, addita est censura speciali modo reservata, ita ut, si forte censura ob aliquam circumstantiam incursa non fuerit, manet adhuc peccatum ad normam can. 894.

Ad incurrendam poenam requiritur *dolus*, qui deficit in eo, qui sive ex ignorantia sive ex errore sollicitationem apprehenderit ubi nulla erat. Requiritur denuntiatio *iuridica*, qualem fideles ex lege ecclesiastica facere tenentur i. e. apud Ordinarium vel apud S. Officium personaliter vel per scripturam subsignatam. Cum anonymae denuntiationis nulla ratio haberi debeat, talis denuntiatio ad poenam incurrendam non sufficeret. Nihil tamen refert, num quis falso denuntiet se aut alium fuisse sollicitatum, num quis ipse denuntiet, an alium ad denuntiandum inducat modo suasio aut mandatum alteri datum fuerit efficax. Quare is quoque reus est, qui falsum rumorem sciens spargit, cum intentione et praevisione, ut ab aliquo ad Superiorem deferatur. At nihil quoque interest, utrum iudex procedat necne contra confessarium.

Ita autem est reservata censura, ut eius absolutio non sit impertienda neque in casu urgentiore neque in mortis periculo, nisi calumniosa denuntiatio formaliter retractata fuerit, damna pro posse fuerint reparata et gravi ac diuturna poenitentia fuerit imposita.

CAPUT XLIII

De delictis in administratione et susceptione sacramentorum

§ 1. Quattuor priora delicta

501. Delicta hoc loco enumerata, praesertim, non unice, respiciunt sacros ministros, quorum est sacramenta administrare, licet sacr. matrimonii ministri sint ipsi nupturientes. Cum autem respiciantur delicta etiam in susceptione sacramentorum admissa, dici potest sub hac Codicis rubrica (Tit. XVI) respici delicta partim communia clericis et laicis, partim clericorum peculiaria.

De sacramentorum administratione can. 731, § 1 edicit: « Cum omnia sacramenta novae legis, a Christo Domino instituta, sint praecipua sanctificationis et salutis media, summa in iis opportune riteque administrandis ac suscipiendis diligentia et reverentia adhibenda est ». Quae gravissima lex etiam in foro externo sanctionem habet. Hinc primo loco puniuntur quattuor delicta: *a)* sacramenta administrare incapacibus vel indignis; *b)* confirmare sine facultate; *c)* confessiones audire aut absolvere sine iurisdictione; *d)* complicitis absolutio.

a) Ministratio sacr. incapaci vel indigno. Minister qui ausus fuerit sacramenta illis administrare, qui iure sive divino sive ecclesiastico eadem recipere prohibentur. - Ab incapacibus recipiuntur *invalide*, ab indignis *illicite*; utrisque sacramenta deneganda, et qui sciens volens (*ausus fuerit*) illis ministrat, delicto maculatur. Omnium *incapaces* sunt, qui mundum baptismum receperunt; baptismi et aliorum, hi quibus deest positiva intentio saltem habitualis, exceptis infantibus, a quibus citra positivam intentionem valide recipitur baptismus, confirmatio, eucharistia, ordo; tria sacramenta, quae characterem imprimunt *invalide* ministrantur iis qui ea iam receperunt. - *Illicite* ministrantur: 1° omnibus indignis i. e. iis qui pro diversis sacramentis, aut gratia carent (sacr. vivorum) aut saltem attriti non sunt (sacr. mortuorum): sed de defectu dispositionis

in foro externo constare debet; 2°) haereticis, schismaticis etiam bona fide errantibus (1), excommunicatis, personaliter interdictis; 3°) extra mortis periculum, baptismus filiis infidelium, haereticorum, schismaticorum, invitis eorum parentibus, item illis qui post adeptum usum rationis in amentiam inciderunt, nisi morientibus aut si ante amentiam baptismi recipiendi desiderium aliquod ostenderit; 4°) *ordo* irregularibus aut impeditis.

In hac re attendenda quoque praescriptio can. 855, § 2, qua, licet indignus a sacra communione repellatur, nihilominus *occultum* peccatorem qui publice petat, non debet minister a sacramento repellere, si id sine scandalo fieri nequeat. Quod autem de eucharistia dicitur, cum proportione et attentata cuiusque sacramenti natura, pro aliis quoque sacramentis valet. Qua in re consulendi quoque sunt theologiae moralis doctores. Cfr. v. gr. *Lehmkuhl* tom. II, n. 38 sq.; *Noldin* III, n. 36 sq.

Poenae est suspensio ad Ordinarii arbitrium et aliae quae gravitati culpa proportionatae videantur fer. sent.; firmis specialibus poenis pro aliquo delicto huius generis constitutis (2).

b) Confirmatio sine facultate. Delictum committitur a presbytero, qui *ausus fuerit* sine facultate confirmationem ministrare aut acceptae facultatis limites praetergredi. Quae facultas presbytero aut datur a iure aut a Rom. Pontifice et solet dari limitata quoad locum, tempus vel personas. Ut plurimum limitationes respicere solent valorem; quod vero attinet ad delictum et poenas, nihil interest utrum limitationes valorem vel solam afficiant licitatem (cfr. can. 782).

Poenae: 1°) in eum qui facultatem usurpat, *suspensio generalis* fer. sent.; 2°) in eum qui limites facultatis fuerit praetergressus, *facultatis privatio* lat. sent.

c) Ministratio poenitentiae sine iurisdictione. Delictum committitur: 1°) a *sacerdote* (3) qui *praesumpserit* sacramentales confessiones audire sine necessaria iurisdictione; 2°) ab eo, qui praeditus iurisdictione *praesumpserit* a peccatis reservatis absolvere.

Ad primum delictum satis est audire sacramentaliter, quin necessaria sit absolutio; sacramentaliter autem audiuntur peccata, cum ea poenitens exponit in ordine ad obtinendam absolutionem, quod

(1) Cfr. can. 731.

(2) De poenis iuris praecedentis cfr. *Hollweck* § 281.

(3) De delicto *non sacerdotis* cavet. can. 2322.

etiam ex circumstantiis infertur. In casu iurisdictionis *positivae dubiae* seu quod in idem recidit *positivae probabilis*, praesumptio deest; non usurpatur iurisdictione et exsulat delictum. At delictum committi videtur ab eo, qui iurisdictione certo caret, si absolvit sine necessitate in errore communi, in quo iurisdictionem supplet Ecclesia, sed in favorem *fidelium*, non *ipsius sacerdotis* (4).

Ad alterum delictum, nihil interest *quo iure* sint reservata, communi aut dioecetano, aut *quo modo* ratione sui aut ratione censurae (5).

Poenae: in *primo* delicto poena est *suspensio a divinis* lat. sent.; in *altero*, *suspensio ab audiendis confessionibus* pariter lat. sent.

d) **Complicis absolutio.** Delictum committit «absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi» (can. 2367). Complex hic ille est qui cum sacerdote, ante vel post eius ordinationem peccavit contra sextum, mas vel femina, agens vel patiens, culpa *certa*, *utrinque gravi* interne et externe manifestata.

Relate ad complicem in peccato turpi ius (can. 884) auferit a sacerdote iurisdictionem extra mortis periculum; in ipso mortis periculo, licet iurisdictionem non auferat (quae datur omnibus), prohibetur sacerdos complex eam in complicem exercere, nisi aut desit sacerdos etiam non approbatus aut advocari nequeat sine scandalo vel infamia sive moribundi sive sacerdotis, aut incoepa confessione alius superveniat, aut poenitens in mortis periculo constitutus alii confiteri recuset. Delictum ergo habetur in attentando absolutionem invalidam usurpando iurisdictionem qua destituitur, aut in exercitio iurisdictionis prohibito: quae ablatio vel prohibitio iurisdictionis habet finem gravissimum impediendi ne sacramentum divinitus destinatum ad salvandas animas, fiat instrumentum ad eas illaqueandas et retinendas in societate propriae turpitudinis. Agitur autem de complice turpe peccatum ut materiam necessariam confitente.

Delictum committit et poenam incurrit: 1º) qui *absolvit* seu potius attentat absolvere, cum iurisdictione careat. Ex natura rei

(4) Ita cum aliis *Ferreres*, Instit. II, n. 1168; *Creusen*, Epist. III, n. 569; *Chelodi*, n. 89; *Cappello*, De cens. n. 542. Notandum autem est plecti delictum *audiendi* confessionis sine iurisdictione, qua profecto caret in illo actu confessarius de quo agitur in casu. Aliter tenent saltem ut probabile *Vermeersch*, Epitome II, n. 157 et Theol. mor. III, 494; *De Meester*, Com. iur. can. III, n. 1870; *Matth. a Coronata* IV, p. 511.

(5) *Chelodi* l. c.; *Cappello* l. c. n. 544; *Matth. a Coronata* l. c. Aliter *Vermeersch-Creusen*, Epitome III, n. 569, ob rationes pure verbales, quibus solide probabilitas consistere non potest, cui adhaeret *De Meester*.

excusat inadvertentia; deinde ignorantia *non crassa* (6), dubium de persona cui impertienda est absolutio, modo non sit dubium conflictum; necessitas se prodendi in particulari casu, quo dum peccavit ut sacerdos agnitus non fuit.

2º) Qui *fingit absolvere*, sive absolutionis formulam omittens, sive eam contraria intentione pronuntians, sive eam corrumpens aut alia verba pronuntians aut signum aliquod faciens, unde poenitens credere se debeat absolutum seu erronee putare se vere absolvi.

3º) Qui absolvit aut fingit absolvere *complicem* ipsum peccatum tacentem, non sua sponte sed ab ipso confessario inductum aut directe i. e. iussu, consilio, suasionem, aut *indirecte* v. gr. docendo peccatum non esse accusandum quia iam sibi cognitum vel non grave.

4º) Inter *indirecte* inducendes adnumerandus etiam est confessarius, qui sive intra sive extra confessionem sacramentalem, alicui persuaserit in turpibus inter se patrandis aut nullum aut certe non grave inesse peccatum eumque consequenter, de aliis tantum sibi postea confitentem sacramentaliter absolvit vel fingit absolvere. S. O. 16 Nov. 1934 (A. A. S. vol. XXVI, p. 634). Decisio data facto verbo cum SSmo.

Poenae: *excommunicatio* reservata *specialissimo* modo lat. sent. (can. 2367). - Quam sanctionem extendi ad universam Ecclesiam Latinam et Orientalem decrevit S. O. 21 Iul. 1934 (A. A. S. XXVI 550).

Ante Benedictum XIV valida et, suppositis debitis dispositionibus, licita habebatur absolutio. Fuit Benedictus XIV, qui sua Const. «*Sacramentum poenitentiae*» 1 Iun. 1741 (7), cui alias duas constitutiones adiunxit «*Apostolici muneris*» et «*Inter praeteritos*», sustulit iurisdictionem confessario et induxit per adnexam poenam hoc delictum: quam poenam retinuit const. Pii IX *Apost. Sedis* (I, 10) et plures S. Poenit. et S. O. declarationes sustulerunt interpretationes quibus, perseverante damno animarum, quaerebatur eludi poena. Quibus declarationibus ultimo accessit, quae relata est sub n. 4º. - Cfr. *Hollweck* l. c. § 274.

(6) Dum in textu «*Sacramentum Poenit.*» Benedicti XIV adhibebatur formula *praesumentes absolvere*, verbum *praesumentes* disparuit in Const. *Apost. Sed.* et in Codice; inde patet, qua ratione applicandus can. 2229.

(7) Constitutio allegatur in Append. Documentum V.

§ 2. Violatio sigilli confessionis sacramentalis (can. 2360)

Fontes: Conc. Later. IV, cap. 21; Decret. Gregor. IX tit. de poenit. V, 38; S. C. P. F. 14 Ian. 1806, 29 Febr. 1836 in Collect. n. 937, 939; Clementis VIII Decret. 26 Maii 1593; S. O. 18 Nov. 1682, 9 Iul. 1915; alii fontes cit. in not. histor.

Scriptores: Commentatores in tit. Decretal. v. *Reiffenstuel*, *Schmalzgr.*, *Ballerini-Palmieri* t. V, n. 591 sq. et generatim moralistae v. gr. *D'Annibale*, *Summ.* III, 357 sq.; *Lehmkuhl* II, n. 455 sq.; *Ferreres*, *Theol. mor.* II, n. 752 sq.; *Noldin* III, n. 407 sq. *Comment. Codicis.*

I. Notio, divisio, historia violationis sigilli confessionis

502. Notio et divisio. Delictum, de quo agitur, est *dolosa laesio obligationis iure divino naturali et positivo impositae et lege ecclesiastica confirmatae non revelandi peccata, quorum notitia habetur ex sola confessione sacramentali, nisi hoc poenitens ipse concedat* (8). — Quae notio amplianda est quoad comprehensionem, ut, saltem ex lege ecclesiastica, comprehendat *omnia* in vera confessione sacramentali, etiam sine absolutione ratione confessionis *audita* vel ex confessione *cognita*, quatenus eorum manifestatio cedat in gravamen poenitentis aut in odium sacramenti.

Violatio sigilli confessionis sacramentalis est aut *directa* aut *indirecta*. Illa consistit in *expressa* revelatione materiae sub solo sigillo confessionis sacramentalis cognitae cum manifestatione personae poenitentis etiamsi manifestatio uni dumtaxat personae fiat. Altera vero habetur si quis vi cognitionis ex sola confessione sacramentali haustae aliquid dicit vel facit, aut non dicit vel non facit, ex quo periculum oriatur, ne peccatum poenitentis ex sola confessione sacramentali cognitum aliis innotescat aut saltem poenitenti vel ipsius complicibus gravamen procuretur (9).

Directa violatio est delictum gravissimum contra religionem et contra iustitiam: ad poenam incurrendam requiritur plena imputabilitas (*praesumpserit*). — *Indirecta* etiam contineri potest in imprudenti usu notitiae ex confessione acceptae.

(8) *Schmalzgr.* h. t. n. 59 sq.; *Lehmkuhl* l. c. t. II, n. 465; *Hollweck* l. c. § 276, not. 1; *Ballerini-Palmieri* l. c. n. 591; *Dolhagaray*, *Dict. de Théol. cath.*, tom. III, col. 960, 961.

(9) *Lehmkuhl* l. c.; *D'Annibale* l. c. n. 362.

503. Notae historicae. Primis saeculis religionis christianae canones non reperiuntur, quibus laesio sigilli poenis canonicis subiiciatur. At postquam iam S. Leo I (c. 89 D. I. de poenit.) declaravit secretum servandum esse de peccatis cognitis ex occulta confessione, prima vice c. 20 Conc. Dovin. in Armenia (a. 527-531) sacerdotes violantes sigillum confessionis anathemate plectuntur. Cfr. quoque *Denzinger*, *Ritus Orient.* 101 (10). Eadem obligatio religiose servandi secretum confessionis sacerdotibus inculcatur in Conc. Duciensi (a. 874) aliisque Conciliis provincialibus velut c. 8 Conc. Rothomag. (a. 1074). Gratianus autem ante c. 2 D. VI de poenit. (cap. incert.) poenam *depositionis* commemorat, quae statuta sit sacerdoti violanti sigillum confessionis (11). Denique Conc. Lateran. IV (a. 1215) cap. 21 = cap. 12 X de poenit. V, 38, praeunte Conc. Diocleens. in Dalmatia (a. 1199) c. IV in delictum laesi sigilli per sacerdotem commissum severissimas decrevit poenas. Quae poenae cit. cap. 12 X de poenit. a Conciliis provincialibus (12) repetitae atque in praxim deductae continebant sanctiones criminales ex disciplina Ecclesiae usque ad Codicem vigentes, salva moderatione poenae detrusionis perpetuae in monasterium (13). Censura vero lat. sent. a Codice adiecta fuit.

II. De vi et ambitu violationis sigilli confessionis sacramentalis

504. I. Subiecta huius delicti sunt: *a)* quoad violationem *directam* solus *confessarius*, cui poenitens in confessione sacramentali peccata sua detexit; *b)* quoad violationem *indirectam principaliter* est quoquo solus *confessarius*; *c)* *secundario modo* et per accidens de hoc delicto tenentur alii omnes ad quos notitia confessionis quoque modo sive immediate sive mediate, iuste vel iniuste pervenit, si obligationem sigilli sibi impositam laedunt, v. gr., interpret, Superior, theologus, qui *casu* audivit vel ex inadvertentia aut malitia confes-

(10) *Schmitz* l. c. p. 392, 428 sq.

(11) « Si hoc fecerit, deponatur et omnibus diebus vitae suae ignominiosus peregrinando pergat ». Quae poena, utpote in dedecus ordinis sacerdotalis vergens, postea in poenam perpetuae reclusionis fuit mutata. Conc. Later. IV, l. c.

(12) Cfr. c. 4 Conc. Trevir. (a. 1227); c. 13 Conc. Mogunt. (a. 1233).

(13) *Thesaurus* l. c. v. Confession. cap. 4, n. 3; *Hinschius* l. c. t. IV, p. 126 sq., ubi vera falsis miscet.

sarii exceptit. Quae obligatio quoad has alias personas non eodem gradu delicti et sanctionis poenalis urgetur (14).

II. *Obiectum* dolosae et prohibitae revelationis sunt omnia peccata confessa, et quae ad peccatorum explicationem spectant, insuper quidquid in confessione a poenitente manifestatum est, cuius revelatio cedit *in odium sacramenti vel in gravamen poenitentis* (15).

III. *Subiecta*, quibuscum omnis communicatio notitiae sigillo confessionis munitae est interdicta, non solum sunt tertiae personae, scientia materiae sigillo confessionis tectae plane destitutae, sed etiam illae, quibus res in confessione manifestatae satis notae sunt velut complici vel alteri confessario poenitentis, immo vel ipse poenitens extra confessionem, nisi is confessario sponte et expresse licentiam dederit (16).

III. De poenis violationis sigilli confessionis sacramentalis

505. Iure praecedenti. *Sacerdos*, qui *peccatum* ex sola confessione sacramentali cognitum *tertia*e personae a poenitente distinctae *praesumptuose* revelasset, *per sententiam ferendam* affligendus erat poena depositionis a sacerdotali officio. Poena autem perpetuae detrusionis in arctum monasterium, ex iure Decretalium depositioni addenda, quae iam saeculis elapsis in poenam carceris perpetui vel similis castigationis fuit mutata, propter leges civiles haud raro potestatem ecclesiasticam ab infligendis poenis temporalibus iniuste prohibentes, de facto saepe executioni mandari non amplius potuit eiusque locum occupabat (voluntaria) quaedam relegatio in domum clericorum demeritorum vel monasterium strictioris disciplinae (17).

Si violator sigilli non esset *sacerdos* confessarius, sed alius quidam clericus vel laicus qui peccatum ex confessione sacramentali

(14) *Schmalzgr.* h. t. n. 63, 64, 65, 80; *D'Annibale* l. c. n. 361. Quare *Hinschius* l. c. p. 129 res manifeste discernendas confundit et pro more non paucorum iuristarum falso philosophatur de obligatione *ethica* et *iuridica*.

(15) *Schmalzgr.* h. t. n. 66 sq.; *D'Annibale* l. c. n. 360.

(16) *Schmalzgr.* h. t. n. 66 sq.; *D'Annibale* n. 361; at *Hinschius* l. c. p. 131 una cum *Muenchen* l. c. p. 690 de ista licentia poenitentis satis confuse disputant.

(17) Cap. 12, X, de poenit., V, 38; *Schmalzgr.* h. t. n. 79; *Hinschius* l. c. t. IV, p. 132 sq.; Cfr. *Hollweck* l. c. § 276, not. 12, 13, ubi contra communem doctrinam, quae tenuit nullam poenam incurri ipso facto, asserit violatores sigilli esse infames ex c. 2, D. 6, de Poenit. Aliter *Schmalzgr.* l. c.; *Dolhagaray* l. c. col. 974, ubi inter poenas in Regulares arbitrio Superioris infligendas praesertim indicantur ieiunia aliaeque poenitentiae.

cognitum revelasset, aut non peccatum, sed alius defectus in confessione detectus in gravamen poenitentis publicaretur, aut peccatum quidem manifestaretur at ipsi poenitenti, non tertiae personae, aut revelatio praesumptuosa non esset, *ordinariae* poenae violationis sigilli sacramentalis in iure statutae non erant applicandae, at *extraordinariae* pro qualitate delicti prudenti arbitrio iudicis ecclesiastici decerni (18) debebant.

Iure Codicis. *Directa* violatio punitur excommunicatione *specialissimo modo* reservata lat. sent. - *Indirecta* poenis sollicitationis fer. sent. Facta a non confessario salutari poena indeterminata.

IV. De procedura iudiciali in causis violationis sigilli confessionis sacramentalis

506. Solus iudex *ecclesiasticus*, non saecularis, in cognoscendis et puniendis delictis laesione sigilli confessionis sacramentalis commissis est vere et proprie competens. Etenim huiusmodi causae ipsa sua natura sunt mere spirituales et ecclesiasticae ideoque tribunalibus saecularibus plane subductae (19). Quibus in causis iudicium primae instantiae spectat ad Ordinarium, cui reus ex titulo legitimae competentiae subiectus est, non ad Inquisitorem, nisi forte laesio qualificata sigilli sacramentalis haeresim vel saltem haeresis suspicionem habeat admixtam. Quo in casu etiam Inquisitor ad cognoscendam et definiendam causam fractionis sigilli fit competens (20).

Iudex ecclesiasticus contra reum violationis sigilli sacramentalis sine dubio legitime procedit, si poenitens, cuius peccatum revelatum est, licentiam concedit; at huiusmodi licentia absolute et simpliciter ad proceduram iudicalem inchoandam necessaria esse non videtur; secus post mortem poenitentis in sacrilegum sigilli violatorem inquisitio iudicialis et coercitio canonica non iam locum habere possent. Porro in ipsa procedura iudiciali, nisi reus delictum suum confiteatur, accusatori vel denuntianti incumbit onus probandi. Quae pro-

(18) *Schmalzgr.* h. t. n. 80.

(19) *Schmalzgr.* h. t. n. 81; *Hinschius* l. c. tom. IV, p. 133 sq., ubi p. 135 ex legibus quibusdam civilibus non potest deduci «obligatio denuntiandi» etiam certa delicta ex sola confessione cognita. Cfr. *Hollweck* l. c. § 277, not. 2, ubi theoriam *Hinschius* merito contradicit; *Dolhagaray* l. c., ubi repressionis per auctoritatem civilem duo facta allegantur, quin constet, utrum ecclesiasticum iudicium rigores brachii saecularis praecesserit.

(20) *Schmalzgr.* h. t. n. 82; *Bangen* l. c. p. 107, 5.

batio ob delicti naturam et enormitatem etiam per testes singulares fieri potest, et ad condemnationem poenasque infligendas sufficit, dummodo eae concurrant circumstantiae, ut ex omnibus illis testimoniis singularibus *plena certitudo* de delicto habeatur, et reus suis exceptionibus vim probandi attestatorum sibi oppositarum elidere non valeat (21).

§ 3. De sollicitatione ad turpia in confessione sacramentali (can. 2368)

I. Notio, divisio, historia sollicitationis ad turpia

507. Notio et divisio. Delictum sollicitationis hoc titulo intelligitur *provocatio ad turpia facta a sacerdote tamquam a confessario* (22).

Sollicitatio ad crimina, quamvis etiam in administratione aliorum sacramentorum, v. g., baptismatis fieri possit, tamen sollicitatio ad peccata maxime per confessarium in sacramento poenitentiae facta est summopere odiosa; praeterea Ecclesia singulari severitate ob speciale periculum prosequitur sollicitationem *ad delicta carnis* sive ad turpia in confessione sacramentali. Huiusmodi sollicitatio ad turpia multiplici ratione fieri potest sive per verba, nutus, tractatus, scripturas, tactus, facta, pro se vel pro alio etc.

Notae historicae. Gravissimi illius delicti in antiqua Ecclesia vestigia non reperiuntur, neque canones poenales existunt. At crescente clericorum perversitate, capitul. 8 Conc. Trevir. (a. 1227) sacerdotes sollicitantes in confessione feminas ad turpia, poena depositionis et excommunicationis plectuntur (23). Deinde inter Rom. Pontifices prima vice Pius IV, Const. « *Cum sicut* » 16 Apr. 1561, ad Inquisitorem generalem Hispaniae legem contra sacerdotes sollicitantes promulgavit. Quae Constitutio pro sola Hispania lata, a Gregorio XV Const. « *Universi* » 30 Aug. 1622, est confirmata et *ampliata* (praesertim per introductionem severissimi mandati de obligatione denunciandi sollicitantes confessarios) et ad universam Ecclesiam extensa. Inde ab hoc tempore non paucae prodierunt declarationes, quibus Romani Pontifices laxas doctrinas de sollicitatione

(21) *Schmalzgr.* h. t. n. 83 sq.

(22) *D'Annibale* l. c. P. III, n. 365 sq.; *Lega* l. c. tom. IV, n. 7 sq.; *Hollweck* l. c. § 272.

(23) *Kober*, Die Deposition p. 778 sq.

atque officio denunciandi delinquentes proscripserunt (24). Qua in re celeberrima est Benedicti XIV Const. « *Sacramentum poenitentiae* » 1 Iun. 1741; in illa enim R. Pontifex, confirmata et ampliata cit. Const. Gregori XV, quamplurima dubia resolvit et authentice interpretatus est. Quae Constitutio Benedicti XIV, continet disciplinam etiam nunc vigentem quae recentioribus Instructionibus S. C. Inq. et S. C. de Prop. F. denuo inculcata e accuratius in praxim deducta est (25). Cfr. can. 904, 2368.

II. De vi et ambitu sollicitationis ad turpia

508. Omnes et singuli *sacerdotes* (26), qui aliquem *poenitentem*, quaecumque persona illa sit (27), vel *in actu* sacramentalis confessionis vel *ante* vel *immediate post* confessionem vel *occasione* aut *praetextu* confessionis (28) vel etiam *extra occasionem* confessionis *in confessionali* sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem (29), ad inhonesta et turpia (30) sollicitare vel provocare sive verbis sive signis sive nutibus sive tactu sive per scripturam aut tunc aut post legendam tentant, aut *cum eis* illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habent (31), et in aliquo ex his huiusmodi nefariis excessibus culpabiles reperiuntur, delictum sollicitationis ad turpia committunt condignis poenis coercendum.

III. De poenis sollicitationis ad turpia

509. Iure praecedenti. I. Ex Gregorii XV, Const. « *Universi dominici gregis* » iudices ecclesiastici sacerdotibus, quos in aliquo ex

(24) Alex. VII, 24 Sept. 1665, prop. 6, 7; *Denzinger-Bannwart*, Enchirid. n. 1106 sq.

(25) Instr. S. C. Inq. 20 Febr. 1867, 20 Iul. 1890; S. C. de P. F. 25 Iul. 1883 in Collect. S. C. de P. F. (1^a ed.) n. 942 sq.; Instr. S. C. Inquis. 6 Aug. 1897 in cit. Collect. (2^a ed.) t. II, n. 1977.

(26) Bened. XIV, Const. « *Sacram. poenit.* » § 1.

(27) Instr. S. C. Inq. 20 Febr. 1867, § 1 « *Sive mares sive feminae* ».

(28) Gregor. XV, Const. cit. « *Etiam confessione non secuta* »; *Hollweck* l. c. not. 5.

(29) S. C. Inq. 11 Febr. 1661; S. C. Inq. 25 Nov. 1874; *Hollweck* l. c. not. 6.

(30) Greg. XV l. c. « *Sive inter se sive cum aliis quomodolibet perpetranda* »; Bened. XIV l. c. § 2 « *Aut sollicitatio a confessario non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit* ».

(31) *Noldin*, Theol. mor. III, n. 373 sq.

illis excessibus sollicitationis ad turpia in confessione sacramentali culpabiles repperunt, pro *criminum qualitate et circumstantiis*, suspensionis ab executione ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum et officiorum quorumcumque ac perpetuae inhabilitatis ad illa necnon vocis activae et passivae, si regulares fuerint, [exsilii, damnationis ad triremes et carcerem etiam in perpetuum] absque ulla spe gratiae, aliasque *poenas decernere*, eos quoque si pro delicti enormitate *graviores* poenas meruerint, debita praecedente *degradatione*, curiae saeculari puniendos tradere tenentur.

Ex his poenis etiam illae, quae non iam a foro ecclesiastico sunt alienae, tantum *ferendae sententiae* fuerunt. Id quod valet de ipsa inhabilitate ad sacrosanctum missae sacrificium celebrandum in decreto Benedicti XIV, 5 Aug. 1745, praescripta (32). Speciatim vero S. C. Inquis. in Instr. 20 Febr. § 12, subiungebat: « Abstinendum tamen erit ab infligenda *degradatione et traditione brachio saeculari*. Id nimirum a Gregorio XV statutum fuit; ceterum ad *terrorem* potius impositum haberi debet, quam ut executioni mandetur » (33).

Qui nullis omnino super hoc crimine praeventi denuntiationibus *sponte* crimen *confiterentur*, aut qui denuntiationibus in forma iudiciaria factis iam praeventi, sed nondum citati, *sponte* sese competenti iudici ecclesiastico *sisterent*, aut qui sponte quidem apparentes veritatem non integram, sed diminutam confessi essent, sane primi secundum modum praescriptum § 13 cit. Instr. S. C. Inquis. 25 Febr. 1867 tractandi erant, reliquae duae species delinquentium beneficio impunitatis non gaudebant, verumtamen mitius puniri solebant.

II. Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios sive sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Gregor. XV Const. « *Universi* » 30 Aug. 1622, et Bened. XIV Const. « *Sacramentum poenitentiae* » (34) ipso facto incurrerent excommunicationem nemini reservatam etiam ex Pii IX Const. « *Apost. Sedis* » n. 37.

III. Quicumque autem innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices *falso* sollicitationis ad turpia *insimulassent* vel per se ipsos innocentes confessarios calumniando vel sceleste procurando, ut id ab aliis fieret, in poenam delicti a quocumque sacerdote quovis pri-

(32) S. C. Inq. 18 Mart. 1863, S. C. Inq. 20 Febr. 1867, § 12. Cfr. *Hollweck* l. c. not. 10.

(33) *Bened. XIV*, De synod. dioec. l. IX, c. 6, n. 7.

(34) *Hilarius a Sexten* l. c. p. 232 sq.

vilegio, auctoritate et dignitate munito praeterquam a Romano Pontifice, nisi in fine vitae et excepto mortis articulo, spe absolutionis, quae Romano Pontifici reservata erat, perpetuo carere debuerunt (35). Cfr. Bened. XIV Const. « *Sacram. poenit.* » § 3; S. C. Inq. 27 Iun. 1866.

Iure Codicis. In Codice iuris praecedentis poenae ita retentae sunt: I. Sacerdos sollicitans his poenis fer. sent. obnoxius est: suspendendus a celebratione Missae et ab audiendis sacramentalibus confessionibus vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declarandus est; privandus omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declarandus, et in casibus gravioribus degradationi quoque est subiiciendus.

II. « Fidelis qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit intra mensem denuntiare contra praescriptum can. 904, incurrit in excommunicationem lat. sent. nemini reservatam, non absolvendus nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit ».

IV. De procedura iudiciali in causis sollicitationis ad turpia

510. I. Cognitio iudicialis de huiusmodi sollicitatione ad turpia spectat ad solum forum ecclesiasticum, in quo omnes locorum Ordinarii aequae ac *Inquisitores* (ob suspicionem de haeresi) deputantur iudices ad inquirendum et procedendum et condignis poenis animadvertendum contra sollicitantes ad turpia in confessione, quamvis ab ordinaria iurisdictione quomodolibet *exemptos* (36). A quibus Ordinariis denuntiationes acceptae S. O. sunt communicandae.

II. Procedura vero iudicialis in foro ecclesiastico *inchoanda* est a *denuntiatione* sacerdotis sollicitantis per personam sollicitatam in forma canonica facta. Quae denuntiatio nequaquam prudenti arbitrio personae sollicitatae est relicta, sed *sub culpa gravi* et denegata absolutione sacramentali servato tempore et modo a iure statuto, absolute et generaliter est praescripta (37) (can. 904, 2368, § 2).

(35) *Bucceroni* l. c. p. 101 sq., Comment. de cas. reserv. n. 5.

(36) Gregor. XV Const. « *Universi* » 30 Aug. 1622; Instr. S. C. I. 20 Febr. 1867; Instr. S. C. Inq. 20 Iul. 1890; *Bangen* l. c. p. 110 sq.; *Lega* l. c. n. 539 ubi notat, Episcopum semper iudicialiter procedere debere, nec unquam *ex informata conscientia* ob sollicitationem suspendere posse.

(37) Gregor. XV, l. c. § 8; cit. instr. S. C. Inq. a. 1867, § 1; Bened. XIV Const. « *Sacram. poenit.* » § 2, De synod. dioec. lib. VI, cap. 11, n. 4 sq.; *D'An-*

III. Postquam denuntiatio in forma canonica accepta est, competens iudex ecclesiasticus iuxta modum praescriptum in Instructione (9 Jun. 1922) diligenter examinet necesse est, num denuntiatio facta sufficiens suppeditet fundamentum, ut ad instruendum processum contra sacerdotem denuntiatum iuste procedi possit. Cui quaestioni praeiudiciali si affirmative respondendum sit, tum in praeiis cautelis, tum in formali examine accusati et testium, tum in ferenda sententia poenisque infligendis, cit. Instr. S. C. Inq. accurate est servanda (38).

Antequam contra denuntiatum procedatur, perspectum exploratumque iudici esse debeat, quod mulieres vel viri denuntiantes sint boni nominis, neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adducti fuerint. Norma pro adhibendis et interrogandis testibus in ipsa cit. Instr. traditur. Haberi semper debent testimonia duorum, qui, quantum fieri potest, sint personae ecclesiae, quibus tum denuntiatum tum singuli denuntiantes sint bene noti; quodsi fieri potest, sint iidem duo qui omnes supradictos cognoscant. Singuli testes depositiones sub iuramento faciunt et obstringuntur secreto S. Offici (39).

Quodsi confessarius directe ad S. Poenitentiarium recurrerit, non raro conceditur ut ipse solus extra confessionem denuntiationem poenitentis excipiat, qui praemisso iuramento, quaestionibus in folio delegationis indicatis respondeat. Quae concessio praesertim fit cum poenitens ob maximam repugnantiam vel impossibilitatem moralem aliisque iustis de causis adduci vix potest ut apud Episcopum aliumve delegatum denuntiationem perficiat.

511. Delictum simoniae in sacramentis (can. 2371). Committi potest in sacramentis ministrandis seu conferendis et in sa-

nibale l. c. P. III, n. 368, 369; *Bucceroni* l. c. p. 6 sq. Requiritur *specialis* Episcopi delegatio ad recipiendam *iudicialiter* denuntiationem. S. Offic. 6 Aug. 1897 n. 6. At idem S. Offic. 20 Mart. 1901 indulget ut Vic. Gen. Episcopi absentis vel impediti confessariis hanc facultatem delegare possit.

(38) Praxis S. Officii quando directe causa sollicitationis ad ipsum defertur, proponitur a *Lega* l. c. n. 543 a quo vel Episcopus ad iudicandum delegatur vel sententia lata Episcopo committitur exsequenda, qui eo in casu servat formam descriptam a *Colomiatti*, Codex tom. V, p. 744. Quae praxis paulo immutata fuit.

(39) Cfr. *Lega* l. c. n. 542. De secreto strictissime servando sapienter monet Conc. plen. Amer. Lat. n. 991.

cramentis recipiendis. Consistit autem simonia in illa traditione, datione seu commutatione, qua pro pretio temporali datur res aut *intrinsece* spiritualis velut sacramenta, ecclesiastica iurisdictio, indulgentiae etc. vel res temporalis ita spirituali adnexa ut aut sine spirituali esse non potest velut beneficium aut cum spirituali unum constituit velut consecratio in venditione calicis, si consecratio etiam partiale obiectum contractus constituat exigendo maius pretium propter consecrationem. Atque haec est simonia *iuris divini*. Si autem temporalia cum temporalibus, spiritualia cum spiritualibus, temporalia spirituali adnexa cum temporalibus spirituali adnexis commutantur, tradendo unum pro alio, fit ea quae dicitur simonia *iuris ecclesiastici*, pro casu quo talis commutatio sit prohibita ob periculum irreverentiae erga res spirituales: tunc autem prohibitio fit ex hoc motivo, cum id legislator in lege exprimit sive expressis verbis sive aequivalentibus v. gr. dum dicit prohiberi aliquid sub reatu aut sub poenis simoniae.

Canones praeliminares tit. III De rebus agunt de simonia in genere, in quo genere tam peccatum quam delictum comprehenditur potest. Non omnia autem peccata etiam externa, in quibus malitia simoniae adsit, vera delicta sunt, sed ea dumtaxat in quae ius comminatur poenam saltem indeterminatam, perinde ac accidit in aliis materiis. Quare ea principia unde deducitur *peccatum* simoniae admissum esse (v. gr. si quis unice vellet celebrare missam propter stipendium) non illico transferenda sunt ad *delictum* simoniae. Porro simoniae delictum duplicem personam supponit, est delictum quod complicem postulat; et quatenus externum est importat contractum, pactum seu conventionem aliquam inter dantem et accipientem. Quae tamen conventio (pactum late sumptum) non est necessarium ut sit expressa et formalis, sed satis est ut sit pactum tacitum et implicitum, si datio et acceptio talibus circumstantiis est facta, ut animus simoniacus externe colligatur; talis enim est naturae huiusmodi delictum, ut datio unius pro alio plerumque dolose quae-ratur obtegi seu occultari (simonia palliata). — Similiter in hac materia *temporale* quod datur pro spirituali intelligitur in sensu lato, non sola pecunia, sed etiam servitia, gratia, favor, intercessio alicuius potentis, quibus aliquid commodum temporale procuratur: est illud triplex munus quod dictum est *munus a manu, ab obsequio, a lingua*, prout has loquutiones doctores explicarunt.

In pluribus committi potest simonia, atque aliqua delicta simoniae quibus peculiaris poena adnexa est iam in praecedentibus sunt exposita, de aliis postea mentio fiet (40).

Hic reatus simoniae consideratur in ordinantibus per simoniam et in simoniace ordinatis; in ministrantibus quodcumque aliud sacramentum et in simoniace recipientibus. Delictum debere esse consummatum, non mere attentatum, constat ex generali principio can. 2228. Porro ipse can. 2371 exigit ut ordo collatus sit et receptus, idemque de aliis sacramentis, ideoque etiam compensationis saltem obligatio debet esse suscepta et acceptata, seu quod in idem recidit debet esse simonia *realis* (41). Simoniae delictum potest verificari inter ministrum promoventem et tertium non promovendum; sicut etiam inter recipientem sacramentum et tertium illud non ministrantem, quamvis hoc alterum rarius.

Poena: a) Omnes sub hoc delicto comprehensi, non exceptis iis qui episcopali dignitate sunt aucti, *sunt suspecti de haeresi*, ad normam can. 2315 tractandi.

b) *Clerici* insuper incurrunt *suspensionem* Sedi Apostolicae reservatam lat. sent. — qua in suspensione Episcopi non comprehenduntur, licet cum aliis sive clericis sive laicis declarentur de haeresi suspecti.

512. Illegitima ordinatio ex parte Episcopi ordinantis.

Cum clericorum ordinatio summum in Ecclesia habeat interesse sociale, propterea quod introductio in sanctuarium eorum qui ab ipso essent repellendi plerumque in grave detrimentum animarum redundet, nonnullae leges ordinantes et ordinandos respicientes sanctione

(40) De historica evolutione delicti simoniae eiusque punitionis cfr. *Wernz-Vidal*, tom. IV, n. 8. In particulari de simoniace ordinationis punitione iam habetur lex Conc. Chalcedonensis = c. 8, C. 1, q. 1, ubi in ordinantem constituta fuerat depositio. Successit Paulus II (a. 1462) = cap. 2 De simon. V, 1 in Extrav. comm. etiam novis censuris delictum puniens, et Conc. Trident. sess. XXI cap. 1 de ref. contra exigentiam taxae pro ordinatione vel dimissoriis.

(41) *Matth. a Coronata* l. c. IV, n. 2153 et II n. 716; *Caviglioli*, De censuris n. 148. *Pighi*, n. 134; *Cerato* n. 121. Aliter *Chelodi*, Jus poenale n. 104; *Cappello*, De censuris n. 510. — In ordine ad delictum et poenam non videtur incurrere ab eo, qui emolumenta exigit ultra taxam lege vel consuetudine recognitam, quidquid sit de peccato saltem iniustitiae. *Matth. a Coronata* l. c. V n. 2153, cfr. quoque *Cappello* l. c. n. 511, ubi multas facit distinctiones, in fine concedens in odiosis retineri posse mitiorem sententiam.

poenali muniuntur. Delicta autem can. 2370, 2373 circa ordinantes enumerata speciali declaratione non indigent:

I. **Consecratio Episcopi sine apostolico mandato.** Episcoporum consecratio est reservata Rom. Pontifici (can. 953); ut ergo ab alio fieri possit necessarium est mandatum apostolicum, nec sufficit quod is qui consecrandus est rite fuerit nominatus et renuntiatus; a fortiori multo gravius delictum committeretur consecrando Episcopum intrusum. Huius delicti rei sunt: 1° Episcopus consecrans; 2° Episcopi assistentes, vel presbyteri assistentes loco Episcoporum; 3° is qui consecrationem recipit.

Poena: in omnes enumeratos fertur *suspensio* prorsus generalis lat. sent. ad arbitrium Sedis Apostolicae (42) (can. 2370).

II. **Ordinatio alieni subditi** sine Ordinarii proprii *litteris dimissoriis* (cfr. can. 955). Quae litterae dimissoriae, se habent ad instar praesentationis ordinandi et ex parte Episcopi proprii ad instar delegationis alieno Episcopo factae; et licet generatim scripto exarantur, per se licita est ordinatio, si delegatio viva voce obtenta fuit.

III. **Ordinatio proprii subditi sine litteris testimonialibus;** quae litterae testimoniales requirendae sunt etiam ab Episcopo proprio, cum ordinandus alibi tantum temporis moratus fuit, ut ibi canonicum impedimentum contrahere potuerit (can. 933, 4). Ubi moraliter impossibile sit omnes testimoniales litteras requirere et accipere, earum locum tenet *iuramentum suppletorium* ordinando deferendum (can. 994) (43).

IV. **Promotio ad ordines maiores sine titulo canonico** congruae sustentationis. Qui *promovet* est Episcopus proprius, non is qui ex Episcopi proprii delegatione clericum ordinat.

V. **Ordinatio religiosi** pertinentis ad familiam religiosam extra dioecesim ordinantis existentem est illicita et delictum, nisi constet, ex authentico curiae episcopalis testimonio, Episcopum dioecesanum licentiam dedisse, aut esse absentem, aut proximo legitimo tempore ordinationes non habiturum, aut sedem vacare et qui

(42) Cfr. de poenis iuris praecedentis *Hollweck* l. c. § 215; *Wernz-Vidal* tom. IV, n. 202.

(43) Cfr. *Chelodi* l. c. n. 94, 3, ubi tenet tam Episcopum proprium quam Episcopum delegatum effugere poenam, quippe sumus in odiosis, si neuter exigit testimoniales, illum quia ipse non ordinat, iste quia ad eum non pertinet ex officio illas exigere.

eam regit caractere episcopali non pollere, aut demum esse diversi ritus. Illiceitas et consequenter delictum excluditur, si aut Episcopus aut religio legitimo gaudet privilegio.

Poena delictorum II-V est eadem, *suspensio per annum* ab ordinum collatione Sedi Apost. reservata (can. 1373) (44).

513. Illegitimae ordinati. In hos decernitur poena in casibus sequentibus:

A. Qui consecrationem episcopalem recipit sine Apostolico mandato (cfr. n. praecedentem I).

Poena est *suspensio* plena ad arbitrium Sedis Apost. lat. sent.

B. Qui *praesumit* recipere *ordines* a ministro excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut notorio apostata, haeretico, schismatico. Qui cum plena imputabilitate id fecerit delicti reus habetur.

Poena est *suspensio a divinis* Sedi Apost. reservata lat. sent.

Qui bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio caret ordinis sic recepti donec dispensetur (a proprio Episcopo vel ab eius Superiore). Illa privatio nec censura est nec poena vindicativa (can. 2372) (45).

C. Qui *sine litteris* vel cum *falsis dimissoriis* litteris vel *ante aetatem canonicam* vel *per saltum* ad ordines *malitiose* accesserit.

Poena est *suspensio* a recepto ordine lat. sent. (can. 2374).

D. Qui malitiose accesserit ad ordines sine litteris *testimonialibus* vel detentus aliqua *censura, irregularitate aliove impedimento*.

Poena ferendae sententiae gravi secundum diversa rerum adiuncta puniri debet, hoc delictum.

514. Matrimonium mixtum. Hic intelligitur matrimonium cuius valori obstat impedimentum disparitatis cultus, vel liceitati impedimentum mixtae religionis: agitur enim de matrimonio, quod sine dispensatione potest esse validum vel invalidum, dum sine dispensatione contrahitur; et delictum committitur a catholico, qui

(44) Ordinatio sine litteris dimissoriis iam in iure Decretalium fuit punita (cap. 2 (I, 9) in VI^o, et punitio in Const. *Apost. Sedis* fuerat retenta (V, 3). — *Testimoniales* litteras sub poena suspensionis per annum requisiverat Conc. Trid. (sess. XXII, cap. 8 de ref.); Innocentius vero XII Const. « Speculatores » 4 Nov. 1694 extendit ad Episcopum proprium, et poena retenta quoque fuit in cit. Const. *Apost. Sedis* (V, 3).

(45) Cfr. de iure antiquo: *Hollweck* l. c. § 221.

requisitam dispensationem negligit pro qua concedenda exiguntur ab Ecclesia determinatae cautiones. Sive ergo cum non baptizato sive cum acatholico baptizato contrahat catholicus, delictum committit et poenam incurrit.

Poena est *exclusio* ab *actibus legitimis* ecclesiasticis et a *sacramentalibus* lat. sent. ad arbitrium Ordinarii duratura (can. 2375).

Cfr. quae in tom. V, De matrimonio disputata sunt de impedimento disparitatis cultus et mixtae religionis.

CAPUT XLIV

Delicta contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi

I. Contra obligationes communes clericorum

515. Sanctionem poenalem habent sequentes:

a) Obligatio clericis imposita, qua, expleto studiorum curriculo, singulis annis, saltem per triennium, tenentur *subire examen* in sacris disciplinis (can. 130). Qui nec *dispensati* nec *impediti* positive renunt subire et ita cum quadam contumacia praedictam legem violant, delictum committunt; non habetur delictum ex sola negligentia omittendi examen.

Poena est *indeterminata* Ordinarii arbitrio infligenda (can. 2376).

b) Pariter delictum committunt, post inutilem monitionem, sacerdotes saeculares omnes, e regularibus autem, qui curam animarum habent et, nisi pro iis collationes casuum in eorum domibus habeantur, ceteri regulares qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt, si *conferentiis* de re morali et liturgica, ab Ordinarii loci praescriptis, non intersunt (can. 131). Monitio requiritur ad infligendam poenam, quae decernitur in contumaces.

Poena: 1^o pro clericis saecularibus et pro regularibus curam animarum habentibus *indeterminata* arbitrio Ordinarii.

2^o pro reliquis religiosis, *suspensio* ab audiendis saecularium confessionibus fer. sent. (can. 2377).

c) Rei delicti sunt *clerici maiores* qui in sacro ministerio *ritus* et *caerimonias* ab Ecclesia praescriptas *graviter* negligunt, si post *canonicam monitionem* sese non emendaverint.

Poenae est suspensio partialis vel totalis pro diversa reatus gravitate fer. sent.

d) **Gestatio habitus.** Omnes clericos urget obligatio gestandi *habitum clericalem* secundum legitimam locorum consuetudinem et Ordinarii loci praescripta, et *tonsuram clericalem* deferendi ubi contrarius mos legitime non vigeat. Diverso tamen modo consideratur transgressio in clericis minoribus et in maioribus. *Minores*, quibus fas est libere redire ad statum laicalem, si habitum deponunt et *moniti intra mensem* non resumunt censentur statui clericali valedicere et ex iuris dispositione a statu clericali decidunt (can. 136, § 3). *Maiores* vero nequeunt deponere habitum clericalem et ad eum deferendum per poenas *cogendi sunt*. Quae coactio per poenas ita fieri debet, ut 1° detur *monitio canonica*, in qua detur terminus unius mensis ut sese emendet, quo inutiliter elapso, proceditur *ad poenam suspensionis ab ordinibus receptis*; 2° sub eadem hypothese *amittunt officia* quaelibet, quae amissio est *poenalis*, sc. ius contumaciam interpretatur tamquam tacitam renuntiationem officiorum, et poenaliter illam acceptat reddendo officium vacans sine ulteriori hominis declaratione; 3° si cum depositione habitus coniungatur notorius transitus ad vitae genus a statu clericali alienum, *iteranda monitio* et si infra tres menses a monitione non respuerit *deponendus est*.

Notae historicae. Desertio temeraria status clericalis inde a primis saeculis religionis christianae tamquam verum delictum gravibus poenis ecclesiasticis fuit obnoxia (1). Cuius rei vestigia iam occurrunt c. 6, Conc. Caesaraug. (a. 380) in condemnata desertione officii clericalis, ut quis ex vanitate monachus fiat. Multo magis c. 7 Conc. Chalced. (a. 451) (2) severe in eos animadversum est, qui post susceptum statum militiae aut muneris saeculari sese manciparunt. Cfr. *Hefele*, l. c. tom. II, p. 511 sq. Cuius severitatis eo maior fuit necessitas, quo facilius saeculis subsequentibus clerici etiam maiorum ordinum aut ad militiam saecularem declinarent (3) aut ad nuptias convolarent (4). Quam praxim Ecclesia medio aevo constanter retinuit (5) ipsoque iure Decretalium confirmavit et saltem quoad cle-

(1) *Kober* l. c. p. 96 sq.; *Wernz* l. c. t. II, n. 232.

(2) Cfr. c. 3, C. XX, q. 3.

(3) Cfr. c. 7 Conc. Andegav. (a. 453); c. 5 Conc. Turon. (a. 461).

(4) S. Gregorius in c. 3, D. 32 et c. 8, C. XII, q. 1; c. 7 Conc. Tolet. VIII (a. 653), Act. theol. Tubing. (a. 1831) p. 283 sq.

(5) Cfr. c. 27 Conc. Tribur. (a. 895); c. 8 Conc. Remens. (a. 1019).

ricos in sacris constitutos poenis canonicis munivit (6). Rigor istarum poenarum a Concilio Tridentino (7) non fuit sublatus et a Pio IX (8) saltem ex parte potius auctus est.

Hoc delictum, quoad clericos in ordine sacro constitutos dictum est delictum *apostasiae ab ordine sacro* (9), quando cum depositione habitus coniuncta fuit *assumptio condicionis laicalis* et *cessatio* ab omnibus functionibus et obligationibus statui clericali et ordini propriis. A fortiori si conditio laicalis fuisset a clerico maiori assumpta per *attentatum matrimonium*, qui modus apostasiae est violatio gravissimae legis ecclesiasticae prohibentis et irritantis matrimonium talium clericorum et simul sacrilega laesio sollemnis voti perfectae castitatis saltem tacite in ordinatione subdiaconatus emissi. De hoc altero modo in Codice can. 2388 ponitur delictum specificum distinctum, quod coniungitur cum simili delicto religiosi hac ratione proprium statum deserentis.

His autem poenis contra hoc delictum clerici maioris procedebatur. Apostatae ab *ordine sacro*, etiamsi matrimonium non attentassent, imprimis per poenam *excommunicationis ferendae sententiae*, ut ad statum clericalem redirent cogendi fuerunt. Quodsi matrimonium etiam civile et ob impedimentum clandestinatis aut alterius inhabilitatis invalidum attentassent, *ipso facto* excommunicationem latae sententiae iuxta ambitum a Pio IX Const. « *Apostolicae Sedis* » n. 31 statutum i. e. Ordinariis reservatam, incurrebant.

Praeterea iuxta communem sententiam ipso facto in poenam vindicativam criminis *irregularitatem* incurrebant ex delicto bigamiae similitudinariae, si attentatum sacrilegum et invalidum matrimonium consummassent (10).

Insuper *per sententiam ferendam*, non ipso iure, *crescente contumacia* etiam beneficiis ecclesiasticis iam obtentis privari poterant (11).

(6) Cap. 1, X, h. t. (V, 9); cap. unic. de consang. (IV, unic.) in Clem. Cfr. de beneficiis et clericis minorum ordinum: *Laurin* l. c. p. 81 sq.; *Hinschius* l. c. tom. V, p. 171 sq., 266, ubi zelum Romanorum Pontificum in urgenda lege coelibatus pro suis praeiudiciis explicat.

(7) Sess. XXIV, can. 9 de matr.

(8) Const. « *Apost. Sedis* » n. 31.

(9) *Thesaurus* l. c. v. Apostasia cap. 4; *Schmalzgr.* V, 9 n. 26 sq.; *Muenchen* l. c. p. 359 sq.

(10) C. 4, 7, X, de bigamis I, 21. Quae irregularitas alia ratione retenta est in Codice can. 985, 3°.

(11) Cap. 1, 3, 4, 5, X, de cleric. coniug. III, 3; *Pirhing* in h. t. n. 18, 19;

At reclusio in durum carcerem iam ex ipso capite 5, X h. t. potius in apostatas deponentes habitum monachalem, non clericalem statuta, nostra aetate vix erat practici momenti.

Infamia, quae ex hoc delicto dicebatur oriri, erat infamia *facti*, quoniam infamia iuris ipso facto incurrenda nullibi in textibus certi iuris statuta reperiebatur (12).

Denique clerici in sacris constituti postquam apostatae facti sunt et habitum et tonsuram clericalem deposuerunt atque ter moniti ab Episcopo non resipiscunt, privilegium canonis amittebant (13); immo si per annum artem ignominiosam ioculatorum exercebant ipso iure, si autem tempore breviori et tertio moniti non resipiscerent, omni privilegio clericali privati manebant (14).

Illud huic delicto singulare erat, quod speciali modo etiam Inquisitores fiebant competentes, si huiusmodi apostatae commercium haberent cum haereticis, statum dimissum iniuriis et contumeliis lacescebant et ultra annum in sua apostasia contumaciter perseverarent; etenim huiusmodi clericus merito est *suspectus de haeresi* ideoque etiam Inquisitoribus in haereticam pravitatem erat obnoxius (15).

e) **Negotiatio vetita.** *Clericis*, sub quo nomine etiam comprehenduntur *religiosi*, vetitum est per se vel per alios *negotiationem* aut *mercaturam* exercere, sive in propriam sive in aliorum utilitatem (can. 142). Mercaturam exercet qui res viliori pretio emit ea intentione, ut eas non mutatas carius seu cum lucro vendat; et est negotiatio strictissimo sensu (quaestuosa). Negotiatio lucrativa propria est negotiatio *industrialis* sensu stricto, dum industria exercetur per operarios conductos, non per propriam personalem artem seu industriam. Cfr. *Wernz-Vidal*, tom. II, n. 27 sq.

Poena est indeterminata arbitrio proprii cuiusque Ordinarii infligenda: evidens autem est varios in violanda lege esse posse gravi-

Thesaurus l. c. v. Apostasia; *Kohn* in *Archiv. f. k. K. t.* 41, p. 394 sq.; *Aliter Rosset*, De matrim. n. 1672 qui ob rationes inefficaces privationem incurri *ipso facto* putavit.

(12) *Thesaurus* l. c. n. 3; *Muenchen* l. c. p. 360.

(13) Cap. 1, X, h. t. (V, 9); cap. 23, 25, X, de sent. excom. V, 39; *Thesaurus* l. n. 7.

(14) Cap. unic. de vita et honest. cler. III, 1, in Sext.; *Thesaurus* l. c. v. *Artem ludicr.*

(15) Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV, can. 9; *Bangen* l. c. p. 109, 113; *De Ameno*, De delict. et poen. tit. VIII, v. Abusus in matr.; *Giraldi*, *Exposit. iur. Pontif.* P. I, l. 3, tit. 3; *Thesaurus* l. c. c. IV, v. Matrim. n. 4.

tatis gradus et varium scandalum. Manifestum praeterea est *exercitium* negotiationis importare *habitum*, nec haberi in uno vel altero actu (can. 2380).

II. Violatio specialium obligationum

516. **Violatio legis residentiae.** Codex nullibi completam facit enumerationem simultaneam eorum clericorum, qui lege residentiae tenentur, sed sub singulis officiis obligationem residendi commemorat cum aliis obligationibus, si officium illam importat (16). In genere illam important omnia beneficia curata, quae idcirco dicuntur *residentialia* seu *duplicia*, dum e contra *simplicia* dicuntur quae illi legi obstricta non sunt; residentialibus tamen adnumeranda sunt ea beneficia, quorum tabulae foundationis residentiam beneficiato imponunt. Sunt quos ius *praesumit* residentes in certis adiunctis, qui proinde per iuris fictionem habentur ut tales. Dantur praeterea causae excusantes. Tandem pluribus beneficiatis a iure annuales vacationes conceduntur. Inde iam patet quid importet delictum *neglectus residentiae*.

Delictum constituitur *ipso facto* absentiae illegitimae, quae statim inducit poenam. Sed ius vult ut disciplinarily procedatur contra negligentem ad ipsum constringendum ut neglectam residentiam denuo instauret (cfr. can. 2168 sq). Ordo disciplinarily procedurae hic est: a) Ordinarius absentem *canonice monere* debet ut ad residentiam redeat, comminatis iuris poenis et praefixo termino ut residentiam instauret. - b) Interim, si agatur de paroco, providendum est curae animarum per substitutum, parochi expensis sustentandum. - c) Si monitus intimationi non obtemperet, quamvis eam acceperit et non respondet, hoc ipso constituitur *contumax*. - d) Si clericus *amovibilis* causas quidem absentiae affert, quae ab Ordinario cum duobus examinatoribus non probantur, et iterata intimatione non redit intra praefinitum terminum, *contumax* efficitur. - e) Clericus inamovibilis, quoque reiicitur et *denuo monitus* non obtemperat, pariter habetur *contumax*. - f) Qui redierit, praecepto cogendus est, ne rursus discedat sine scripta licentia *sub poena privationis beneficii lat. sent.* -

(16) Cfr. canones 238, 301, 315, 323, 338, 354, 418, 440, 448, 465, 471, 476.

Can. poenalis 2381 expresse provocat ad modum procedendi disciplinarem can. 2168 sq. servandum in poenis applicandis.

Poenae ex explicato processu disciplinari sunt:

a) ubi nondum adfuit contumacia: *privatio* fructuum officii vel beneficii lat. sent. *pro rata absentiae*; qui fructus abstracti ab Ordinario ecclesiae, loco pio vel pauperibus sunt tradendi;

b) ubi modis explicatis adfuit *contumacia* poena est *privatio* ipsius officii vel beneficii lat. sent.

517. II. **Delicta parochorum.** Simili modo ac pro neglectu residentiae Codex (can. 3282) procedit in castigandis pluribus delictis parochorum, quae praesertim consistunt in *negligenti* omissione eorum quae pertinent ad ipsorum officium. Modus procedendi declaratur in can. 2182 sq. ad quos provocat canon poenalis 2382. Quoad substantiam consistit in hoc, quod debeat procedi per *monitionem* in forma iuridica datam, quando vigilantia et exhortationes non fuerunt sufficientes ad obtinendum assiduum exercitium officiorum paroecialium, qua monitione in memoriam ei revocentur et graves obligationes et canonicae poenae. - Non secuta inde emendatione et iterata obligationis per notabile tempus in re gravis momenti transgressione, fit gradus *ad correptionem* cum aliqua adnexa poena. - Si post correctionem delictum perduret, quoad parochum *amovibilem* proceditur ad *privationem paroeciae*, quoad *inamovibilem* ad *privationem fructuum*. - Demum ipse parochus *inamovibilis* adhuc *pertinax paroecia privandus est*.

Transgressiones puniendae hae recensentur:

a) gravis negligentia in sacramentorum administratione legitime petentibus (can. 467, § 1;

b) gravis negligentia in infirmorum adsistentia (can. 468);

c) neglecta institutio catechetica puerorum, tum occasione primae communionis, tum singulis annis tempore quadragesimae, ac populi quolibet die dominico ac festo de praecepto (can. 1178);

d) neglectus *contionis* diebus dominicis ceterisque festis (can. 1330-1332);

e) negligens custodia ecclesiae, SSmae. Eucharistiae, sacrorum oleorum (can. 1334);

f) negligentia in officiis divinis celebrandis (can. 2182);

g) huc quoque spectat negligentia in externo paroeciae regimine praesertim quoad errantes et pauperes (can. 3282).

Poena ex delictis est indeterminata, ab Ordinario determinanda per quattuor supra dictos gradus procedendo usque ad ipsam beneficii paroecialis privationem.

Gravis negligentia in libris paroecialibus. Libri paroeciales, quos parochus conscribere et servare debet, sunt libri baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum et defunctorum. Ex eorum diligenti conscriptione et custodia non solum plura privatorum fidelium iura dependent, sed etiam publicum bonum. Quare ius non potest non considerare ut delictum gravem negligentiam parochi in hoc suo publico officio.

Poena constituitur *indeterminata* arbitrio Ordinarii infligenda (can. 2383).

518. III. **Delicta canonici theologi et poenitentiarum.** Praeter communem obligationem canonicorum onus residentiae secum ferentem, hi duo canonici habent peculiare officium ad animarum curam pertinens, *theologus* praedicandi, *poenitentarius* audiendi *confessiones*; neglectus duplicis huiusmodi officii in animarum detrimentum redundat; quare eius adimpletio per poenas urgetur hoc pacto:

a) *graviter et pertinaciter* illud negligentes, ab Episcopo compellendi sunt *monitionibus, comminatione poenarum, subtractione portionis fructuum* iis assignandae qui illorum vices suppleant. Haec primo anno post datam monitionem.

b) Elapso inutiliter anno, procedendum est ad *suspensionem a beneficio*, cui convenienter praemittitur iterata monitio.

c) Negligentia per aliud semestre perdurante, procedendum est ad ipsius *beneficii privationem*.

Privatio beneficii *inamovibilis* una est ex poenis, quae irroganda est in tribunali collegiali trium iudicum (can. 1576, § 1, 1°); in casu autem, si servata est gradatio in nostro canone poenali statuta, sententia privationis a tribunali collegiali expeditissime pronuntiari poterit. Non tamen videtur in hoc casu requiri, sed videtur sufficere decretum Ordinarii forma iuridica delinquenti intimata: nam canon poenalis provocat ad Episcopum, non ad iudicem; ipsa autem gradatio in modo procedendi statuta per monitiones, comminationes et poenas alias leviores, videtur manifeste requirere processum iudiciali administrativum, ad quem verum tribunal collegiale non requi-

ritur. Aliud videtur insinuare *Chelodi*, l. c. n. 109, speciali tamen argumento non allato (can. 2384) (17).

III. Delicta religiosorum

519. A religiosis delicta committi imprimis possunt relate ad vitam internam propriis constitutionibus ceterisque internis ordinationibus definitam, etiam ad normam Constitutionum Pontificiarum, decretorum Stae. Sedis et confirmationem acceptam in canonibus Codicis, v. gr. can. 489. Horum punitio vel castigatio pertinet ad proprios Superiores, quibus commissum est internum regimen religionis (18). In iure communi considerantur illa delicta, quae aut cum clericis sunt communia, aut specialem habent respectum ad iuridicas relationes inter religiosos et religionem habentem rationem personae iuridicae publici characteris aut extra religiosam domum et in conspectu ceterorum fidelium committuntur. De his, utpote ordini publico Ecclesiae oppositis, suas poenas statuit ius commune quoad religiosos et religiosas. Quattuor hoc loco recensentur: *apostasia a religione, fuga a religione, dolosa professio, vitae communis violatio*.

520. I. **Apostasia a religione** (19). Apostata a religione est «*professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus, qui e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi, vel qui etsi legitime egressus, non redit eo animo ut religiosae obedientiae sese subtrahat*» (can. 644, § 1). - «*Malitiosus animus iure praesumitur, si religiosus intra mensem nec reversus fuerit, nec Superiori animum redeundi manifestaverit*» (ibid. § 2).

Iure praecedenti, cum fundamento in fontibus distinguebantur quattuor modi: *a) totalis recessus a religione; b) transitus illegitimus ad aliam religionem; c) assumptio condicionis mere saecularis; d)*

(17) Ratione valde simili ad officium suum explendum compelli voluit Conc. Trid. (sass. V, cap. 1 de ref.) canonicum theologum, et regula extensa fuit ad canonic. poenitentiarium.

(18) Cfr. *Wernz-Vidal* t. III, De Religiosis, n. 48 sq.; n. 83 sq. de duplici regimine interno; n. 90 sq. de regimine interno; n. 93 de iurisd. Praelat. regul. eiusque caractere et extensione; n. 126 sq. de potestate et officio Superiorum.

(19) Cfr. *Schmalzgr.* (V, 9) n. 11 sq.; *Thesaurus* v. Apostasia cap. 2, 3' *Suárez*, De relig. tr. VIII, l. 3, cap. 1, n. 1, 11 sq.; *Rotarius*, Theol. moral. regular. l. III, cap. 1; *Piat Mont.* Praelect. iur. reg. tom. I, q. 215 sq. tom. II, q. 644 sq.; *Ballerini-Palmieri* tom. IV, n. 192 sq.

attentata matrimonii celebratio. Cfr. *Schmalzgr.* (V, 9) n. 19 sq. Sed sacrilega attentatio matrimonii in Codice consideratur ut aliud delictum specificum in can. 2388 (20)

Notae historicae. Cum status religiosus in Ecclesia iam satis fuit divulgatus, mox etiam occurrunt canones contra temerarios desertores status monachalis, qui ad vitam saecularem redierunt. Quarum sanctionum canonicarum prima exempla habentur c. 25, Conc. Arelat. II. (a. 443-452) et c. 7 Conc. Chalced. (a. 451); atque imprimis monachis et monialibus sacrilega celebratio nuptiarum (21) fuit interdicta (22).

Imperator Iustinianus in Nov. 5, cap. 6 (a. 535) eo progressus est, ut monachos, qui relicto monasterio ad aliud vitae genus se contulerant, in cohortales iudicis provinciae allegarit (23). Neque minore severitate in Ecclesia occidentali temerarius recessus monachorum punitus est, ut patet ex c. 15 Conc. Turon. (a. 567), c. 14 Conc. Paris. (a. 614), c. 49, 52, Conc. Tolet. IV. (a. 633), c. 6 Conc. Tolet. VI, (a. 638). Pro temporum condicione saeculis subsequentibus rigor ecclesiasticae disciplinae praesertim fuit explicandus in sacrilega monachorum vel monialium attentata matrimonia (cfr. c. 5, Conc. Roman. a. 743; c. 32 Conc. Rom. a. 853; c. 23 Conc. Tribur. a. 895), donec Ecclesia tandem satis aperte in Concilio Lateranensi I (a. 1223) c. 21 = c. 8, D. 27 et c. 7, 8. Concilii Lateranensis II (a. 1139) (24) clarissimis verbis cum expressa mentione monialium, nullitatem illorum matrimoniorum declararet. Quae species apostasiae a statu religioso cap. 6, X. h. t. disertis verbis non attingitur, sed cap. unic. cit. de consang. in Clem. severis poenis a Concilio Tridentino et a Benedicto XIV non sublatis et a Pio IX cit. Const. «*Apostolicae Sedis*» potius auctis castigatur.

(20) Cfr. *Wernz-Vidal* tom. III, n. 431, not. 28. Porro in iure Codicis (can. 574) illa vota simplicia perpetua, sollemni professioni praemittenda (iure Codicis), mutata sunt in vota temporanea.

(21) *Wernz-Vidal* t. V, n. 298 cum notis, ubi antiqui canones allegantur, quibus sacrilegae illae nuptiae prohibitaee atque punitae fuerunt, deinde paulatim etiam irritatae; quae historica disquisitio ibi iam preoccupata non est hic iterum instituenda.

(22) Cfr. c. 16, Conc. Chalced. (a. 451) et *Hefele* l. c. tom. II, p. 520 et c. 12, 22, C. XXVII, q. 1; c. 21 Conc. Aurel. I (a. 511) = c. 32 C. XXVII, q. 1.

(23) *Kober* l. c. p. 90.

(24) Cfr. c. 40 C. XXVII, q. 1, Aliter *Freissen*, Gesch. d. c. Eher p. 693 sq.

Iure autem praecedenti apostasia de solis *regularibus* intelligebatur, nec extendebatur ad temerariam desertionem Congregationis religiosae (25); licet non necessario requireretur *sollemnitas* professionis (26).

Vis et ambitus apostasiae iure Codicis est accurate definitus. Requiritur: *a*) professio, ideoque non fit apostata *novicius* recedens, etiam post emissa vota devotionis; *b*) professio debet esse *perpetua*; iure enim Codicis professio temporanea habetur veluti extensio noviciatus; *c*) non requiritur professionis *sollemnitas*; *d*) debet recessus a religione esse factus animo non redeundi.

Pro deducendo interno illo animo Codex assignat fori externi *praesumptionem*, quae est praesumptio *iuris*, non *iuris et de iure*. Quae praesumptio iam passim admittebatur, saltem ut praesumptio *hominis* in illo facto quod quis sine legitima licentia Superioris recessisset et extra religionem vagaretur per longum tempus, quin animum redeundi suis Superioribus manifestaverit. Atque exinde infertur *positivam intentionem numquam* redeundi non videri necessariam ad delictum apostasiae, secus tandem aliquando posset unusquisque, allegato defectu illius intentionis, evadere poenas apostasiae, quae numquam consummata intelligeretur. Quam rem optime probabat Suárez l. c. lib. III, c. 1, n. 19, sq. etiam allegata paritate apostasiae a fide et ab ordine sacro; cuius rationes non efficaciter refutatae fuerunt a Passerini l. c. n. 247 et a Rotario l. c. punct. IV, n. 3; nam Suárez fugitivum ab apostata pariter distinguit l. c.

(25) Schmalzgr. l. c. n. 12, 13; Reiffenstuel (V, 9) n. 11; Hollweck l. p. 299 sq. Sed a doctoribus *de lege ferenda* iam animadvertebatur congrue comprehendi sub hoc delicto posse qui ligati votis *perpetuis* a congregatione religiosa pontificia approbatione donata facti essent desertores. Nam ex una parte illae congregationes religiosae cum votis perpetuis habent statum religiosum completum et proprium et in multis iam erant aequiparatae religionibus formalibus sive ordinibus regularibus; ex alia parte qui in tali congregatione perpetua vota emisit, per vota vere *publica statum* in Ecclesia *perpetuum* suscepit et *publice* se divino servitio mancipavit atque religioni tradidit; ergo arbitraria *desertio* talis status, cum similem contineat malitiam, etiam quoad poenas apostasiae vero ordini religioso aequiparari posse docebant.

(26) Gregor. XIII Const. *Ascendente Domino* 25 Maii 1584; Schmalzgr. l. c. n. 13 sq. Quibus professis votorum simplicium in S. I. ex natura rei convenienter aequiparari dicebantur aliorum ordinum professi durante triennio votorum simplicium, cum illa triennalia vota erant *perpetua*; at dum illa aequiparatio nondum expresse facta erat ante Codicem, a quo potius commutata sunt in temporalia, mittior sententia de hisce professis potuit retineri. Piat. Mont. l. c.; Hollweck l. c. p. 299 sq.; Wernz l. c. t. III n. 674; Vermeersch l. c. n. 341.

n. 23; et certe valde mirum esset, non esse habendum et puniendum ut apostatam eum religiosum qui fugit a conventu animo militandi vel vagandi huc illuc per maiorem orbis terrarum partem et postea redeundi ad conventum. Quodsi Suárez diuturnitatem temporis prudenti iudicio ex circumstantiis esse diiudicandam censuit, certe multo melius illud tempus ab ipso iure est definitum sc. mensis, intra quod, si voluntas redeundi non fuerit Superioribus manifestata, censeatur delictum apostasiae consummatum in ordine ad poenas incurrendas. Qui mensis in legitime egresso recurrit a die, quo reverti debuisset (27).

Poenae. *a*) *Iure praecedenti*. - I. Apostatae a Superiore ecclesiastico competente plecti poterant censura excommunicationis *ferendae* sententiae (28) sive habitum retinerent sive dimisissent. Praeterea excommunicatio *latae sententiae* cap. 2, ne clerici III, 24, in Sext. post habitus dimissionem apostatis regularibus inflicta etiam post Pii IX Const. *«Apost. Sedis»* ut poena iuris communis mansit (29) et quatenus inflicta iure particulari ordinum religiosorum vicit. Const. Pii IX, certe sublata non erat.

(27) De temerario transitu a religione strictiore ad laxiorem cfr. Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 19, de regul.; Schmalzgr. l. c. n. 19, sq.; Bouix, de iure regular. tom. II, p. 479, 500; Suárez, De censuris disp. XXXI, sect. 6, n. 4, De virt. et stat. relig. tract. VIII, lib. 3 cap. 12 n. 15 sq; Rotarius l. c. punct. IV n. 8; Ballerini-Palmieri l. c. n. 185 sq. Qui transitus illegitimus, saltem ex speciali iure quorundam ordinum religiosorum aequiparatur quoad poenas delicto apostasiae, non de iure communi Codicis. - A fortiori verus apostata non est, qui contra strictam prohibitionem Conc. Trid. Sess. XXV, c. 4, de reg. recesserit a suo conventu, praetextu adeundi Superiores, quamvis, nisi scripto mandato ostendat se ab ipsis missum vel vocatum, ab Ordinario *tamquam apostata puniri potuit iure praecedenti*; quibus severis poenis non subiacebat qui ex *gravi et urgenti* necessitate etiam sine licentia ad maiores Superiores accedat. Vermeersch, De religiosis, n. 342. At verus apostata est, qui eiectus est ob falsa crimina, quae sibi, ut eiiceretur, imposuit: tum enim discesus cum animo non redeundi ex sola discedentis voluntate fit; qui autem ut eiiceretur crimina admisit, animo quidem apostasiam admisit, sed quoad actum externum discessus pendet a legitima et iusta eiectioe, ideoque inter eiectos in foro externo videtur adnumerandus, nisi iure particulari ordinis religiosi habeatur ut apostata poenis apostatarum obnoxius. Ballerini-Palmieri l. c. n. 193; Vermeersch l. c. n. 341.

(28) Schmalzgr. h. t. n. 22; Santi h. t. n. 4.

(29) Suárez l. c. c. 1, n. 17, 24; D'Annibale, in Const. *«Ap. Sed.»* n. 233, not. 2; Piat. Mont. l. c. I, q. 219. Aliter Hollweck l. c. p. 299 sq. cum Santi in t. 31, l. III, n. 46, et in t. 9, l. V, n. 4, et Pennacchi, in Const. *«Ap. Sed.»* t. II, p. 547.

Quodsi isti apostatae post votum *sollemne* castitatis matrimonium etiam civile contrahere praesumebant ex iure communi per Pium IX, cit. Const. ampliatio tum ipsi tum omnes cum iis matrimonium contrahere praesumentes ipso facto excommunicationem Episcopis sive Ordinariis reservatam incurrebant (30).

II. Suspensiones, quas veteres quidam canonistae dicebant ab istis apostatis ipso facto incurri, aut in se non fuerunt certae, aut iam iure antiquo saltem ex parte revocatae (31), aut certe per Pium IX cit. Const. v. g. suspensio cap. 6, X. h. t. penitus sublatae, aut ad summum ex alio incurrebantur delicto, non formaliter propter apostasiam; v. g. suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso iure incurrendam Pius IX, l. c. solummodo statuit religionis *eiectis* extra religionem degentibus (32).

III. Isti apostatae cum afficerentur infamia facti, non iuris (33), privati erant privilegiis suae religionis, cui subiecti esse nolunt (34).

b) *Iure Codicis*. Salvis poenis can. 2388 statutis contra praesumentes sacrilegum matrimonium contrahere, ob solam apostasiam etiam alia ratione perpetrata, hae poenae decernuntur:

1°) *excommunicatio* lat. sent. proprio Superiori maiori reservata si religio sit clericalis et exempta; secus est reservata Ordinatio loci in quo commoratur.

2°) *exclusio* ab actibus legibus ecclesiasticis lat. sent.

3°) *privatio* omnium *privilegiorum* suae religionis lat. sent. ideoque etiam *exemptionis*, unde in delictis, quae extra claustra tempore apostasiae pataverint ab Episcopo sicut ceteri simplices fideles puniri possunt (35).

(30) *Bucceroni* l. c. n. 78; *Wernz* l. c. de iure matr. n. 384, sq.

(31) *Thesaurus* l. c. cap. 2; *Suárez*, De censuris, disp. XXXI, sect. 1, ubi praesertim etiam cap. 6, X, h. t. bene explicat; *Boenninghausen*, De irregular. fasc. I, p. 136 sq.; *Hinschins* l. c. tom. I, p. 48.

(32) Const. «*Apost. Sed.*» n. 43; *Santi* l. c.; *D'Annibale* l. c. n. 193; *Hilarius a Sexten* l. c. p. 255 sq.; *Piat. Mont.* l. c. I, q. 219.

(33) *Thesaurus* l. c.; *Lega* t. III, p. 347 sq. t. IV, p. 82, sq.; aliter *Hollweck* l. c. p. 178, sq. 209, qui sine solido fundamento stat pro infamia *iuris*.

(34) Cfr. *Schmalzgr.* l. III, t. 31, n. 272 sq. et hoc tit. (V, 9) n. 24; et *Suárez*, De relig. tract. 8, libro 3, cap. 1-3 circa ea, quae inferebantur de incarceratione ex cap. 5 (V, 9) iuris Decretalium, quae, saltem secundum rigorem verborum, videbantur a praxi aliena.

(35) Cfr. Conc. Trident. sess. VI, cap. 3 de ref. sess. XXV, cap. 4, 14 de ref.; Decret. S. C. S. 21 Sept. 1624 ab Urbano VIII approbatum,

4°) si redierit ad religionem, in ipsa manet perpetuo privatus *voce activa et passiva* lat. sent.; insuper in ipsum decernendae sunt poenae in Constitutionibus religionis contentae.

5°) est *irregularis* ex delicto (can. 985, 3°) si matrimonium attentavit. Citra hunc casum, si delictum apostasiae sit publicum est impeditus ad ordines ad normam can. 987, 7°.

6°) specialis modus apostasiae, de quo in can. 646 inducit *ipso iure dimissionem religiosi* a religione.

521. II. **Fuga a religione** (can. 2386). *Fugitivi* dicuntur qui sine Superiorum licentia domum religiosam deserunt cum animo redeundi (can. 644, § 3). Canon poenalis de fugitivis applicatur etiam societatibus *clericalibus* vitae communis, quorum alumni nulla vota nuncupant (36). Quoad religiosos vero, a fortiori, non requiruntur vota perpetua, sed sufficiunt temporaria; novicii tamen nullo modo comprehenduntur. Canon poenalis non determinat tempus absentiae, nec praesumptionem assignat *de retento animo redeundi*; sed ex natura rei requiritur tempus notabile, per quod fuga distinguatur a simpli egressu illicito ad normam can. 606, § 1 in quo non appareat animus sese subtrahendi obedientiae religiosae. Vel ipse animus *vagandi* aut *extra obedientiam ad tempus vivendi* componi potest cum animo ad religionem redeundi: et vicissim non requiritur *habitus dimissio*, et etiam qui licite egressus est potest fieri fugitivus si sine Superioris licentia locum commorationis et obedientiae deserit et ita diutius extra domum vagatur. Ergo conditio fugitivi a iudice colligenda est ex notabili tempore et ex circumstantiis quibus illegitime egressus extra religiosam domum versatur.

Poenae. a) *privatio* officii in religione habiti lat. sent.

b) suspensio Superiori maiori reservata si est in sacris;

c) cum redierit, infligendae poenae Constitutionum, aut in earum defectu, *arbitrarie* a Superiore sunt infligendae.

d) etiam in fugitivo applicandus can. 646, si casus detur.

Scholion. Quoad reservationem suspensionis, ut in canone praecedenti, distinctio non fit: nihil porro esset mirum si ederetur declaratio, reservationem in casu esse intelligendam sicut in canone

(36) Commissio Codicis 2-3 Iunii 1918 in A. A. S., X, 344. Ex natura rei videtur quoad hos alumnos requiri gravis obligatio ad vitam communem, cum sine gravi violatione gravis poena non teneat, quamvis provisio administrativa eam non requirat.

praecedente, cum, sicut suspensio, ita eius absolutio etiam non sacramentalis, sit actus iurisdictionalis, cuius de iure ordinario non est capax Superior laicus religionis laicalis. Superior (sacerdos) religionis *clericalis* non exemptae iurisdictionis incapax non est; at iurisdictionem fori externi de iure in proprios subditos non habet, sed potestatem dominativam. Quare vel huic in hoc casu datur (minus verisimiliter datur Superiori laico), vel reservatio intelligenda prout in superiore canone, ut iam tenuit *Chelodi* l. c. n. 101, not. 2; cfr. quoque *Vermeersch-Creusen*, Epitome III, n. 590.

522. III. Egressus ex dolosa professione (can. 3387). E religione egreditur is, cuius professio irrita agnoscitur et declaratur; qui egressus ex hoc capite est sine delicto, si in professione emittenda delictum admissum non fuit; at si nullitatis causa *per dolum religiosi* inducta fuit, is per fraudem commoda sibi compararet et in clerum saecularem sese intruderet. Hoc formaliter consistit in professione per dolum obtenta, cuius nullitas iuridice constat per datam sententiam.

Poena. Habet characterem *administrativum*, in quantum dolose professum a religione solvit, *poenalem* ob dolum admissum.

a) si *clericus est minor*, dimissio seu *expulsio* a statu clericali, lat. sent.

b) si *clericus est maior*, *suspensio* Sedi Apost. reservata, lat. sent.

Respicitur delictum religiosi *clerici*, non religiosi laici. Hic quoque canon applicatur alumno societatis vitae communis (37).

IV. Violatio legis vitae communis. Quid proprie importet obligatio vitae communis alibi declaratum est (*Wernz-Vidal* tom. III, n. 371). Requiritur violatio in re notabili et cum *pertinacia*, quae locum habet *post monitionem*, emendatione non secuta. — Etiam sub hoc canone comprehenduntur alumni societatis vitae communis (can. 2389) (38).

Poena: a) privatio vocis *activae et passivae*, fer. sent.

b) *privatio officii*, si reus Superior sit, fer. sent.

V. Matrimonium sacrilegum (can. 2388). I. Tam *clerici in sacris* constituti, quam *regulares* aut *moniales* post votum sollemne

(37) Cfr. cit. dec. Commiss. Codicis (A. A. S., X, 344). Pro his alumnis, cum professionem non emittant, poenae habent characterem *administrativum*.

(38) Cfr. notam praecedentem. Ubi habenda est ratio diversae obligationis ad vitam communem, quae potest esse magis vel minus stricta.

castitatis, itemque omnes alii cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes, attentant matrimonium sacrilegum.

II. Pariter sacrilegum matrimonium, etsi forte validum, attentant *professi votorum simplicium perpetuorum* tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, si illud etiam mere civiliter praesumunt contrahere, itemque religiosorum hac in re compartes.

Poena: I. Quoad comprehensos sub n. I. a) *excommunicatio* R. P. simpliciter reservata, lat. sent. (39).

b) *clerici* praeterea, si moniti, tempore ab Ordinario pro adiunctorum diversitate praefinito, non resipuerint (praesertim dimissa comparte sibi sacrilege unita) *degradandi sunt*.

c) *clerici beneficiarii* amittunt beneficia *ipso facto*, ob tacitam renuntiationem ab ipso iure poenaliter admissam et firmatam.

d) *religiosi* et *religiosae* ex iuris dispositione (can. 646) habendi sunt ut legitime a religione *dimissi*, lat. sent.

II. Quoad comprehensos sub n. II. a) *excommunicatio reservata Ordinario*, lat. sent.

b) *dimissio* a religione, ut supra ex can. 646.

Const. *Apost. sedis* (III, 1) excommunicatione Ordinario reservata percellerat *clericos, regulares, compartes*; non religiosos votorum simplicium.

(39) In sacerdote, qui ob matrimonium civile attentatum aliasque gravissimas rationes, a cohabitatione sub eodem tecto cum suae desertionis complice, tametsi sincere conversus, cessare impeditur, si ad suae et suae compliceis conscientiae consulendum, petat ab excommunicatione absolvi et admitti ad participationem sacramentorum laicorum more, debet pro absolutione et admissione ad sacramenta recurrere ad S. Poenitentiarium in hac re *exclusive* competentem, quae absolutionem et admissionem non concedit, nisi *data fide de absoluta perfecta in posterum continentia perpetuo servanda*. Quodsi forte absolutio ab aliquo sacerdote in periculo mortis concedatur, manet obligatio ad ipsam S. Poenitentiarium deinde recurrenti, prout pro censuris specialissimo modo reservatis praescribitur canone 2252. — S. Poenit. Apost. 18 Aprilis 1936 in A. A. S., XXVIII, 242.

CAPUT XLV

Delicta in collatione, susceptione et dimissione dignitatum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum

523. I. **Delicta in collatione off. et benef.** In provisione officii vel beneficii tres actus occurrunt, personae designatio, tituli concessio, introductio in possessionem. Ponuntur autem aut ab una eademque persona (collatio libera), aut a diversis (collatio necessaria), dum personae designatio aliis personis physicis vel moralibus, a superiore distinctis, conceditur ut per Superiorem instituat (electio, nominatio, praesentatio). Institutio semper pertinet ad Superiorem (can. 147); ceteri partem habentes in personae designatione, normas canonicas in exercitio sui iuris tenentur servare; quare multipliciter delinquere possunt.

A. **Ius eligendi**, quod plane liberum esse debet, violare iniusta coactione delictum est. Hoc committunt: 1° qui quovis modo libertatem electionis *impediunt* coactione physica vel morali, fraudibus, fallaciis, corruptione, per se vel per alios.

2° Post factum electionis, hi quoque electionum libertatem impediunt, qui propter electionem factam electo vel electoribus molestiam seu gravamen inferunt.

Poen. Illud duplex factum punitur poena *indeterminata* proportionanda gravitati culpae (can. 2390).

3° *Electores ecclesiastici* (clerici vel religiosi) qui contra canonicam electionis libertatem *aut* sollicitaverint, etiam sine effectu, *aut sponte admiserint* immixtionem *laici* vel saecularis potestatis, rei sunt eiusdem delicti.

4° Item *electus*, qui electione de se tali modo peracta *scienter consenserint*, illam electionem acceptando.

Notandum porro est talem electionem ipso iure esse invalidam et nullum habere effectum iuridicum (can. 166).

Poen. Alia est lata contra *electores*, alia contra *electum*.

a) *electorum* poena est *privatio iuris eligendi* pro ea vice, lat. sent. Quare in iteranda electione propter praecedentis iuridicam nullitatem electores delinquentes vocem non habent et ab electione excludendi sunt.

b) *electi* poena, citra carentiam cuiusvis iuris ex tali electione utpote irrita derivati, fit *perpetuo inhabilis* ad illud officium vel beneficium, lat. sent.

5°) *Collegium* quod *indignum scienter* elegerit, fit reus delicti introductionis *indigni* in officia et beneficia ecclesiastica cum maximo boni publici detrimento.

Idem delictum committunt *personae singulares*, clerici vel laici, qui *indignum praesentaverint* vel *nominaverint*, si ipsis ex legitimo titulo ius competit praesentandi aut nominandi.

Quisnam autem erit dicendus *indignus* non potest directe declarari ex aliquo textu legali (1), sed solum per iuridicam ratiocinationem ex variis iuris textibus inferri. Nonnumquam videtur confundi *dignitas* cum *idoneitate* et ita *indignus* idem esset ac *inidoneus* (cfr. can. 153): ex quo canone idoneus est is, cui adsunt omnes qualitates ad determinatum officium vel beneficium iure communi vel particulari aut lege foundationis requisitae. Aliunde tamen nemo dixerit indignum clericum insigni probitate et scientia ac prudentia praeditum et benemerentem, si non sit originarius determinati loci, quam qualitatem, v. gr., ad determinatum canonicatum requirat lex foundationis. Cfr. quoque can. 1463 ubi idem idoneitatis conceptus relate ad beneficia repetitur. Porro praeter idoneitatem sensu explicato intellectam, requiri bonos et probatos mores, evidens videtur ex natura rei et ex constanti iuridica regula « Infamibus portae non pateant dignitatum » (Reg. iur. 87 in VI°). Porro ad idoneitatem cognoscendam cit. can. 1463 iniungitur Ordinario, ut opportunas notitias *etiam secretas* colligat per diligentem inquisitionem, quae *secreta* inquisitio magis pertinet ad mores, quam ad qualitates positivas in lege expressas. Criminosos autem esse arcendos ab officiis et beneficiis inde patet quod sunt plura delicta *inhabilitantia* (2); sunt censurae ab officiis et beneficiis *excludentes* (3); ex gravi delicto notorio vel publico clerici, hic incurrit saltem *infamiam facti*, et graviora delicta hodie occulta ut plurimum facile divulgari possunt et publica fieri (4).

(1) Vel in ipso Indice analytico-alphabetico, licet sat copioso, verbum *indignitas*, *indignus* non reperitur, sed tantum *idoneus*.

(2) Cfr. can. 2294, § 1; 2390, § 2; 2394, n. 1; 2395. Item 2345, 2346 et quoad religiosos 2413.

(3) Cfr. can. 2265, 2275, 2283.

(4) Cfr. can. 2294.

Quare dicendum est, *dignum* praeter qualitates iuridicas (seu idoneitatem) debere habere *moralem* aptitudinem seu carere debere qualitatibus negativis, seu non debere esse criminis, non debere laborare infamia etiam facti; et in hoc sensu *indignitatem* hoc loco esse intelligendam.

Poena: a) In Capitulum seu collegium (5), indignum eligens, *privatio iuris eligendi* pro ea vice, lat. sent. Quae poena afficit Collegium ipsum, quod per pluralitatem suffragiorum repraesentatur, sine qua electio perfecta non est, et supponit electionem esse *irritam* vel a Superiore *irritatam* ad normam can. 153, § 3. Electione ex iuris dispositione irrita vel a legitimo Superiore iuridice irritata, *libera provisio* officii devolvitur ad Superiorem, qui debuisset electionem confirmare vel qui iuridicam irritationis sententiam tulit, pro diversitate casus. Ceterum citra *indignitatem*, electio potest esse irrita vel irritanda, etiam ex inidoneitate, quae *sub indignitate* comprehenditur. Electoribus volentibus vota sua conferre in personam, cui desit aliqua positiva qualitas, succurritur per postulationem, modo agatur de persona postulabili, i. e. de persona carente qualitate in qua possit et soleat dispensari; at si postulatur persona impostulabilis eadem poena a collegio videtur incurri (6).

b) Contra clericum vel laicum indignum praesentantem vel nominantem, *privatio iuris praesentandi vel nominandi* pro ea vice, lat. sent. (can. 2391, § 3) - Hic tamen habenda quoque est ratio canonis 1465.

B. Neglecta forma electionis. Huius delicti rei sunt *singuli electores*, qui *scienter* electionis formam non servant in iis, quae ad essentiam actus pertinent.

Quaenam sunt substantialia in forma electionis, deducendum est ex canonibus 161 sq. Cum ibi non fiat praecisa distinctio inter substantialia et accidentalia, caute procedendum est ita, ut praecipua et capitalia praescripta non negligantur (7). Requiritur quod substantialia seu praecipua *scienter* non negligantur vel pervertantur.

Poena est arbitraria ab *Ordinario* gravitati culpae proportionanda (can. 2391, § 2). Cum hic canon, praesertim referatur, quoad duas priores paragraphos ad electiones stricte ecclesiasticas a clericis vel religiosis factas, ignorantiae allegatio non facile admittetur. Quoad

(5) Cfr. *Wernz-Vidal* tom. II, n. 194 sq., 222.

(6) Cfr. can. 182, *Wernz-Vidal* tom. II, n. 222.

(7) *Wernz-Vidal*, tom. II, n. 248 sq.

religionem laicalem rectus modus electionis faciendae, praesertim pendet a scientia et diligentia clerici, qui illis praesidet.

C) **Delictum usurpatae auctoritatis** in provisione officiorum et beneficiorum committitur ab iis, qui iure eligendi, praesentandi vel nominandi legitime fruuntur, si, neglecta auctoritate illius cui confirmatio vel institutio competit, officium, beneficium, vel dignitatem conferre *praesumpserint*. Electores vel patroni ex proprio legitimo actu in electum, praesentatum seu nominatum ex iuris dispositione non transferunt nisi *ius ad rem, provisio canonica* omnino pertinet ad Superiorem ecclesiasticum, qui eam peragit per confirmationem electionis vel institutionem praesentati seu nominati: huius publicae potestatis actus usurpator efficitur, qui Superioris partes praesumit negligere.

Poena est *privatio iuris* pro illa vice lat. sent. — Illa vice provisio devolvitur ad liberam collationem Superioris (can. 2393).

524. II. Simonia in officiis et beneficiis ac dignitatibus (can. 2392). Officium (sensu stricto acceptum) et dignitas, quae officio superaddit aliquam ecclesiasticam praeeminentiam, evidentur sunt res spirituales; beneficium, licet partem temporalem comprehendat (ius ad redditus), tamen ipsa pars temporalis in beneficio est intime adeo connexa cum parte spirituali (officio) ut sine hac nullo modo esse possit, ideoque non minus quam officium dicendum est esse rem spiritualem, quae in commutationem cum re temporali sine vilipendio venire non potest. De his pretio pacisci est simonia *iuris divini* (8).

Canon punit delictum simoniae *perpetrantes*. Requiritur delictum *consummatum* ex ipsis verbis et ex can. 2228, 2212 sq. (simonia *realis*), non mere attentatum aut simplex delicti conatus (9), quod potest patrari a collatore, ab iis qui quovis modo partem habent in provisione et etiam a tertia persona provisioni extranea. Non est exclusa possibilitas in renuntiatione (cfr. can. 185), ideoque etiam in permutatione quae duplicem continet renuntiationem coniunctam

(8) Cfr. *Wernz-Vidal* tom. IV, De rebus n. 6 sq. ubi notiones quoque historicae traduntur; *Hollweck* l. c. § 116-1120.

(9) Ita *Pighi* l. c. n. 94; *Gaviglioli* n. 148; aliter *Chelodi* l. c. n. 104, cuius animadversionem, quod «ad Codicem, non praeoccupata opinionibus antiquorum amplemente accedere oportet, quia iure formaliter prorsus novo utimur» libenter amplector, sed eius applicationem ad casum a clarissimo auctore factam prorsus non video. Cfr. *Matth. a Coronata* IV, 2204 sq., II, n. 716.

cum duplici implicita collatione, licet utraque, servatis servandis, sit permissa, non prohibita.

Simonia autem *iuris ecclesiastici* non est asserenda, nisi ea ex lege expresse constet vel aequivalenter: talis certitudo habetur, cum ius aliquid expresse prohibet sub *reatu simoniae* aut sub poenis simoniae. Talis est reprobatio, quae circa beneficia continetur can. 1441, ubi tamen facile immisceri potest simonia *iuris divini*. — Simoniae *confidentialis* iuris praecedentis nequidem mentio fit in Codice (10) quae tamen erat iuxta omnes simonia *iuris ecclesiastici* in terminis, quibus eam percellabant Constitutiones Pontificiae, saltem si exciperetur reservatio *pensionis*, quam solum reddit honestam casus can. 2154, cui aequiparatur casus can. 1429: cui simoniae *confidentiali* impediendae media efficaciora suppeditavit Codex. Cfr. can. 1486, 150, et condiciones requisitas ad validam renuntiationem, dimissionem et permutationem beneficiorum.

Aliud est peccatum simoniae, aliud delictum, de quo iudicium proferendum est ex canonibus libr. V.

Poenae: 1^o) in quoscumque *excommunicatio* S. Apost. simpliciter reservata, lat. sent.

2^o) *privatio* perpetua iuris eligendi, praesentandi, nominandi, in quoscumque habentes aliquod ex praedictis iuribus, lat. sent.

3^o) *in clericos* praeterea *suspensio* fer. sent.

4^o) adest praeterea effectus, potius civilis quam poenalis (can. 729), quod promissio omni vi careat, etiamsi tertia persona, in provisione partem non habens, simoniam perpetraverit, inscio proviso, modo haec in fraudem provisi non egerit; cuius nullitatis sequela est obligatio officium vel beneficium dimittendi et perceptos fructus restituendi.

525. III. Delicta in susceptione beneficiorum. - A) Tria imprimis in hac materia delicta recensentur: I. usurpatio possessionis simul cum titulo; II. usurpatio possessionis ab eo qui titulum habet acceptum; III. facta illegitime facultas possessionem capiendi. Ad evitandum periculum intrusionis in officia et beneficia sapienter constitutum est ut possessio officii vel beneficii, a qua incipit eiusdem exercitium, ab auctoritate ecclesiastica recipiatur, nec possit se in eam ingerere etiam is, qui eius titulo per canonicam provisio-

(10) Cfr. *Wernz-Vidal* tom. IV, De rebus n. 15.

nem legitime insignitus est (can. 1443). Episcopi vero alique Praelati aequiparati ius habent per se ipsos possessionem capiendi, sed ad excludendum idem intrusionis periculum, debet titulus officii recepti determinatae personae morali exhiberi, quae eius authenticitatem examinet (can. 334). Arcere periculum intrusionis est res summe necessaria ad publicum bonum, unde delicta in hac materia specialem habent gravitatem.

I. Gravissimum delictum verae intrusionis committit, qui ad officium, beneficium, dignitatem electus, praesentatus vel nominatus, se ingerit in possessionem, aut in regimen seu administrationem praedicti officii, beneficii vel dignitatis ante receptas litteras confirmationis vel canonicae institutionis. Electus per canonicam electionem capituli seu collegii, non acquirit nisi *ius ad rem*, sc. ius ad obtinendum a Superiore officii vel beneficii titulum per electionis confirmationem a Superiore factam; similiter praesentatus seu nominatus, cui ex praesentatione seu nominatione acquiritur *ius ad rem dumtaxat*, quod fit *ius in re* (acquisitio tituli) per canonicam institutionem a Superiore datam. Usurpat titulum, fitque intrusus, qui se ingerit in possessionem aut in regimen seu administrationem officii vel beneficii.

II. Minus grave est delictum illius, qui iam titulum canonicum habet officii, beneficii, dignitatis, si, independenter a Superiore, ipse propria auctoritate occupat beneficii possessionem. Id posset facere intrusus, qui titulo carens illum falso allegaret: quare occupatio propria auctoritate facta per se induceret periculum intrusionis.

III. Praelati, qui legitimo praelaturae titulo iam sunt insigniti, pariter crearent periculum intrusionis, nisi talem titulum recognoscendum exhiberent iis, quos ius designavit ad praedictum periculum avertendum.

Poenae: Praedicti delicti in triplici memorata forma poena est:

1^o) *inhabilitas* ad officium, beneficium, dignitatem, de qua agitur lat. sent.; insuper alia poena *indeterminata* arbitrio Ordinarii.

2^o) post *monitionem*, reus *cogendus est*, ab officii, beneficii, dignitatis occupatione eorumque regimine vel administratione recedere per *suspensionem* beneficii antea obtenti eiusque *privationem*, et, si res ferat, per ipsam depositionem, can. 2394, § 1, 2.

Cooperatores in delicto sunt *capitula*, *conventus* alique omnes ad quos spectat, si electos, praesentatos vel nominatos admittunt ante litterarum promotionis seu provisionis exhibitionem.

Poena, in huiusmodi statuta, est *suspensio iuris eligendi, nominandi vel praesentandi* lat. sent. ad beneplacitum S. Sedis (11), can. 2394, § 3.

B) Ad susceptionem beneficii pertinet etiam: I. acceptio *beneficii nondum vacantis*; II. acceptio *beneficii cum alio iam possesso incompatibilis*.

I. « *Qui scienter acceptat collationem officii, beneficii, dignitatis de iure non vacantis et patitur se in eius possessionem immitti* », evidenter ius tertii violat et transgreditur legem, quae tamquam conditionem pro collatione exigit beneficii vacationem. Quae collatio est ipso iure nulla. Ut delictum hoc loco punitum habeatur, oportet ut cum acceptatione, quae omni caret effectu, coniungatur factum subsequens quod patitur immitti in eius possessionem, quae merito usurpationi aequiparatur (cfr. can. 150, § 1; 1412, § 2).

Poena: 1° *inhabilitas* perpetua ad officium, dignitatem, beneficium, de quo agitur, postea assequendum;

2° aliae poenae indeterminatae seu arbitrariae (can. 2395).

Praeter inhabilitatem iure praecedenti erat statuta excommunicatio fer. sent. cap. 1, 7, X, de conc. ben. vel eccl. non vacantis.

II. « Clericus, qui assecutus pacificam possessionem officii vel beneficii cum priore incompatibilis, prius quoque retinere praesumpserit contra praescriptum can. 156, 1439 » fit illegitimus detentor illius beneficii quod dimittere debuit.

Poena: utroque beneficio privatur ipso iure. Praesumptio videtur unice pendere a scientia incompatibilitatis, qua existente nulla *monitio* ad privationem videtur esse necessaria (12).

(11) Cfr. de iure praecedenti *Hollweck* l. c. § 243-245 iuncta cap. 4, 15, 21, X, de iure patr. III, 38 et Const. « *Etsi multa* » 21 Nov. 1873 (A. S. S., VII, 465 sq. et decr. S. C. C. *Actuosi* 23 Maii 1874 (ib. p. 702 sq.), de intromissione potestatis civilis in nominatione parochorum et electionibus popularibus eorundem in Helvetia et in provinciis Veneta et Mediolanensi, cum censura in Const. Apostolicae Sedis (I, 11) illis applicanda. Const. quoque Pii IX « *Romanus Pontifex* » 28 Aug. 1873, quoad electos et praesentatos sese *ingerentes* et contra *admittentes*.

Si *Chelodi* l. c. n. 105 censuit hoc canone Episcopos non respici, idque deducit ex littera canonis, a quo poenae dicuntur decernendae *ab Ordinario*, illa cl. Auctoris assertio non videtur admittenda, qui non satis videtur considerasse Ordinarium Episcoporum esse Rom. Pontificem, cuius iudicio exclusive in criminalibus subsunt Episcopi.

(12) Cfr. *Wernz-Vidal* tom. II, n. 215, ubi etiam de historia agitur.

526. Cetera delicta in materia beneficii. A. *Delicta connexa cum susceptione officii.*

1° *Cardinalis*, ad cardinalatum absens a curia promotus, tenetur in recipiendo bireto rubro iurare, se intra annum, nisi legitimo impedimento detineatur Rom. Pontificem aditurum (can. 234). Habetur ut delictum recusatio illius iuramenti praestandi.

Poena: *privatio* dignitatis cardinaliciae, lat. sent.

2° Promotus ad *Episcopatum*, tametsi sit *Cardinalis*, intra tres menses tenetur consecrationem recipere: neglectus huius legis delictum constituit.

Poena: a) elapso trimestri, *privatio fructuum* lat. sent., qui fabricae ecclesiae cathedralis sunt applicandi.

b) elapso altero trimestri, *privatio Episcopatus* (can. 2398) (13).

3° Simili modo *Abbas* vel *Praelatus nullis* qui aut ex apostolico praescripto aut ex propriae religionis constitutionibus benedici debet, delictum committit, si benedictionem intra tres menses a receptis litteris apostolicis, absente impedimento non receperit (cfr. can. 322, § 2). *Poena* plectitur *suspensionis a iurisdictione* lat. sent. (can. 2402) (14).

4° *Neglecta fidei professio*. Ad eam emittendam, simul cum iuramento antimodernistico (15), tenentur quicumque aliquod officium, beneficium, dignitatem munus in Ecclesia recipiunt (can. 1406). Delictum habetur *in contumaci* neglectu, qui iusta causa non excusatur: unde ante poenas praemittenda est monitio cum praefixione termini ad implendam neglectam obligationem.

Poena. In hac infligenda gradatim est procedendum.

a) poena pertingere potest usque ad *privationem* officii, beneficii, dignitatis, muneris, fer. sent.

b) inde ab adepta possessione interim fructus non facit suos, lat. sent. (can. 2403).

527. IV. Delicta in dimissione officii.

Officia, beneficia dantur ad explenda onera ipsi adnexa, ad quod se obligat qui illud suscipit, sive a Superiore legitime impositum sit independenter a propria voluntate et petitione, sive a Superiore

(13) *Wernz-Vidal* l. c. n. 270; *Hollweck* l. c. § 249 iunct. Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 2 de ref.

(14) *Wernz-Vidal* t. II, n. 565.

(15) Resp. S. O. 22 Martii 1918 in A. A. S., X, 136.

collatum sit volenti, petenti et acceptanti. Cum hac obligatione connexa alia obligatio est, officium seu munus semel susceptum non dimittendi proprio arbitrio independenter a consensu Superioris dimissionem acceptantis. Ipsa dimissio seu renuntiatio invalida est sine Superioris acceptatione (16).

Contra huiusmodi obligationem duo recensentur delicta:

1^o) delictum « clericus maioris, munus a proprio Ordinario sibi commissum, sine eiusdem Ordinarii licentia, deserere praesumentis ». *Deserere* non est illud mere non adimplere assidue, aut negligenter implere, sed est illum relinquere cum animo non reassumendi; qui animus, licet aliis modis patere possit, fit evidens in eo qui alibi officium ibidem explendum acceptat et multo magis in eo qui a dioecesi egreditur. Cum *praesumptio* requiratur, plerumque ante poenam praemittenda erit *monitio*.

Poenae: suspensio a divinis ad tempus ab Ordinario praefinendum (can. 2399).

2^o) Gravius est illud delictum quod committit clericus, « qui in manus laicorum, officium, beneficium, aut dignitatem ecclesiasticam, renuntiare praesumat ». Per hoc delictum contemner auctoritas ecclesiastica, se subtrahit subditus a debita erga ipsam obedientia, procuratur vel fovetur laicorum intrusio in negotia ecclesiastica praecipui momenti.

Poenae: suspensio a divinis lat. sent. (can. 2400).

3^o) Cum duobus praecedentibus connexum est, in sensum contrarium, delictum illius, qui non dimittit officium a quo privatus fuit. « Si quis in detinendo officio, beneficio, dignitate, non obstante legitima privatione aut remotione persistat — aut ne ea dimittat, moras illegitime nectat », fit in hoc rebellis auctoritati ecclesiasticae, quae rebellio frangenda est coactione poenarum adhibita.

Poenae ordinatur ad illam moralem constrictionem. Praemissa *monitione*, reus cogendus est ad deserendum officium illegitime retentum *per suspensionem a divinis* vel *per alias poenas*, quae si res ferat, pertingere possunt usque ad *depositionem*. Omnes fer. sent. (can. 2401).

(16) Cfr. can. 187, 189, 190.

CAPUT XLVI

De abusu potestatis et officii ecclesiastici

Fontes: Decret. Grat. D. 86; C. II, q. 1. — Compl. I, l. V, t. 27 de exc. pr. in subd. vel contra; Cpl. II, l. V, t. 13 d. exc. pr. in subd.; Cpl. III, l. V, t. 14 de exc. pr. in subd.; Cpl. IV, l. V, t. 10 de exc. prael.; Cpl. V, l. V, t. 10 de exc. pr. in subd. — Decret. Greg. IX, lib. V, tit. 31 de excess. prael. et subd., tit. 33 de privil. et excess. privil.; Decret. Bonif. VIII, l. V, t. 6 d. exc. pr. et subd.; Const. Clem. V, l. V, t. 6 de exc. pr.

Scriptores: Commentar. iur. Decret. in cit. tit. *Vering* l. c. § 200. — *Muenchen* l. c. p. 721 sq. — *Thesaurus* l. c. vv. Episcopi, Beneficia; *Ferraris* l. c. v. Poena. — *Kober*, D. Depos. p. 711; *Hinschius* l. c. t. V, p. 239 sq.; *Schiappoli* l. c. n. 394 sq.; *Hollweck* l. c. § 296. De fontibus et scriptoribus, qui de privilegiis consulendi sunt, cfr. *Wernz* l. c. tom. I, n. 157.

Praenotiones

528. Cum rubrica Tit. XIX Codicis connexionem habent duo tituli Decretalium in fontibus citati, in quibus agebatur de delictis a Praelatis ecclesiasticis sive superioribus sive inferioribus (isti enim Praelati inferiores potissimum intelliguntur in rubrica nomine subditorum: cfr. supra rubricas h. t. in antiq. comp.) contra obligationes officii ecclesiastici sive in *usu iurisdictionis* ecclesiasticae perpetrantur. Quae delicta cum multa et varia esse possint, etiam in libro quinto non nisi per summa quaedam capita recensentur. Cfr. *Muenchen*, l. c. Atque ad istam speciem delictorum facile reducuntur *excessus privilegiatorum*, cum ibidem praecipue mentio fiat excessuum, qui forte a privilegiatis superioribus ordinum religiosorum vel aliis clericis privilegiatis committuntur.

529. Ut criterium suppeditetur intelligentiae primi canonis generalis huius tit. Codicis, non tam exempla seu capita iuris Decretalium sunt attendenda, quae, tempore medii aevi condita, potissimum respiciebant singulares excessus illi aetati proprios et a nostris moribus alienos, sed potius respicienda principia, quae ibidem Praelatis ecclesiasticis tamquam supremae normae praestituuntur. Etenim suos subditos quasi filios et fratres benigna et fraterna caritate fovere debent, non inhoneste et superbe et aspere tractare,

etiamsi correctione opus sit (1). - Sub huius principii luce facile intelligitur cur *Praelati* ecclesiastici *excessus* dicerentur committere, si subditos suos indebitis oneribus et exactionibus gravant, iniustis censuris affligunt (2), si illorum iura diminuunt (3) et beneficia aliis conferenda sibi conferunt (4) vel indignis (5), vel beneficia uniant forma canonica non servata (6), si mandata et prohibitiones publicant contra privilegia ab Apostolica Sede v. g. religiosis concessa (7), si causas matrimoniales cognoscere, indulgentias concedere, publicas poenitentias imponere aliaque solis Episcopis Praelatisque superioribus reservata usurpare audent (8), si Praelati regulares sine legitimo assensu Episcopi loci (9) et Romani Pontificis (10) nova monasteria aedificare praesumunt.

530. Si in alio tit. (V, 33) **de excessibus privilegiatorum** erat sermo, huiusmodi privilegiati triplici modo per abusum privilegiorum delinquere possunt, scilicet si privilegium ultra tenorem concessionis ad personas vel materiam vel locum vel tempus in privilegio non contentum extendunt, si ex privilegio desumant occasionem delinquendi, si contra finem agerent privilegii concessi (11). - Abusus autem speciales privilegiorum compluribus capitibus h. t. incompleta quadam ratione et pro moribus illius aetatis enumerantur.

(1) Cap. 1, X, h. t.; c. 6, D. 45; c. 1, D. 46; *Muenchen* l. c. p. 721 sq. Cfr. *Claeys*, De canonica cleri saec. obedientia p. 97 sq., 142 sq., 177 sq.

(2) Cap. 1, X, h. t.; *Schmalzgr.* h. t. n. 1.

(3) Cap. 2, X, h. t. attenta immutatione disciplinae quoad archidiaconos.

(4) Cap. 3, X, h. t.

(5) Cap. 11, X, h. t.

(6) Cap. 8, X, h. t.; Conc. Trid. Sess. VII, cap. 6, 7 de ref.

(7) Cap. 5, 7, 16, 17, X, h. t.; cap. unic. h. t. in Clem.; *Schmalzgr.* h. t. n. 2. In cap. 5 et 7 h. t. expresse dicitur posse tunc obedientia Praelato denegari, quam potestatem *Hollweck* l. c. § 296 non extendit ad casum, in quo Praelatus agat « ut S. Sedis delegatus cum plena potestate », quo in casu tenet, praestita interim obedientia, recursum ad S. C. esse instituendum. At etiam in casu excessus notorii obedientia est interim praestanda?

(8) Cap. 12, X, h. t.; Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 20 de ref.

(9) Conc. Trid. Sess. XXV, cap. 3 de ref.; *Wernz* l. c. tom. III, n. 611 sq.

(10) Leon. XIII, Const. « *Romanos Pontifices* », *Wernz* l. c. n. 616.

(11) *Schmalzgr.* h. t. n. 197. — Cap. 3, 10, 11, X, h. t. ubi varii abusus privilegiatorum recensentur, *Piat. Mont.* l. c. t. II, P. IV, c. 3, p. 1 sq.; *Muenchen* l. c. p. 726.

Cum optimo iure *in eo quis puniatur, in quo peccavit*, privilegiati excedentes limites concessionis castigati fuerunt nullitate actus in contrarium gesti (12), aut in poenam delicti, vel ex toto vel ex parte, ipso facto vel per sententiam ferendam privabantur privilegio (13) aut aliis poenis vel censuris subiiciebantur, quatenus istae Pii IX, Const. « *Ap. Sedis* » sublatae aut mutatae (14) non essent.

531. Iure Codicis etiam per summa capita indicantur abusus seu excessus, qui committi possunt non solum ab iis qui potestate regendi fori externi potiuntur et sunt veri Praelati aut Praelatorum immediati auxiliarii, sed etiam ab aliis, qui publicis officiis sunt praepositi. - Illud autem probe notandum est, quod primo loco ponitur in primo tituli canone (can. 2204), scilicet quemlibet abusum potestatis ecclesisticae esse obnoxium poenae, licet de eo specifica mentio non fiat in Codice; poena autem arbitrio legitimi Superioris decernenda est proportionata gravitati culpae. - Ex ipsa significatione nominis abusus committitur: 1° si qui potestate sua utitur in finem ad quem data non est, praesertim in proprium commodum aut in gravamen vel cum iniusto gravamine aliorum; 2° si quis excedit potestatis limites; 3° Si in usu excedit limites moderationis. - Potestas publica suum habet fundamentum in bono publico tuendo et promovendo, in utilitate communitatis et subditorum procuranda; qui ea abutitur in proprium commodum aut in aliorum iniustum gravamen, prodit suum officium et grave nocumentum publico bono infert. Omnes Codices poenales de tali abusu cavent; immo haec delicta ut plurimum habentur delicta qualificata.

Praecipua delicta specifica cum propria poena enumerantur sequentia :

532. Abusus in actis publicis. 1° respiciuntur documenta *Curiae episcopalis, sede vacante*; et delictum committunt Vicarius Capitularis et alii quilibet sive de Capitulo sive extranei, qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens, sive per se sive per alium, aut *subtraxerint* aut *destruxerint* aut *celaverint* vel *substantialiter immutaverint* (cfr. can. 435, § 3).

(12) Cap. 3, X, h. t.

(13) Cap. 24, X, h. t.; *Schmalzgr.* h. t. n. 198; *Wernz* l. c. t. I, n. 162; *Piat. Mont.* l. c. t. II, p. 135 sq.

(14) *Muenchen* l. c. p. 726; *Bucceroni* l. c. init.

Poena: a) excommunicatio simpliciter reservata Sedi Apost. lat. sent.;

b) praeterea poenis fer. sent. ab Ordinario puniri possunt, quae pertingere possunt usque ad privationem officii vel beneficii (can. 2405).

2^o) Delictum committitur ab iis, qui *ex officio* tenentur *conficere, conscribere* aut *conservare* sive *acta* vel *documenta* seu *libros Curiarum ecclesiasticarum, sive libros paroeciales* (Vicarius Generalis, Cancellarius, Archivista, parochus, itemque cooperator si hic tale manus habet commissum), si ea *falsare, adulterare, destruere, occultare* praesumpserint.

Poena: privatio officii et aliae arbitrio Ordinarii fer. sent. (can. 2406, § 1).

3^o) Delicti quoque rei sunt, ii ad quos spectat, si *acta, documenta, vel libros memoratos dolose detrectaverint exscribere, transmittere* vel *exhibere* personis quae illis indigent et legitime petunt. His modis vel aliis similibus officium suum produunt (15).

Poena: a) privatio vel suspensio ab officio fer. sent.;

b) mulcta pecuniaria ad arbitrium Ordinarii, quoad quantitatem gravitati casus proportionanda.

533. Corruptio publicorum officialium. Hoc quoque delictum in omnibus Codicibus poenalibus invenitur punitum, nec poterat deesse in Codice poenali Ecclesiae. — In genere corruptio in hoc consistit, quod ex una parte *offeratur*, ex alia parte acceptetur aliqua res pretio aestimabilis vel aliud aequivalens, commodum acceptanti afferens, in eum finem ut exerceatur influxus in aliquem actum, quem officialis seu magistratus debet ponere ex officio, sive ut illum actum contra legem *ponat* sive ut illum *omittat*. — Corruptio *activa* habetur in oblatione, promissione, datione; *passiva* in acceptance, petitione seu exactione rei vel saltem promissionis ipsius. Delictum ex utraque parte consummatum, est delictum quod sua natura complicem postulat, in quo, ad normam can. 2209, unaquaeque pars est eodem modo culpabilis, nisi ex adiunctis aliud appareat. At *conatus* quoque huius delicti punitur sc. *exactio* ex parte officialis, *oblatio* ex parte requirentis actum vel eius omissionem (*corrumpere tentaverit*).

(15) Can. 1, D. 83.

Notae historicae. Iam ab antiquo habetur in fontibus damnata corruptio iudicum, quae postea extensa est ad alios actus officii proprios (16). In Decreto Gratiani Sanctorum Patrum afferuntur textus condemnantes iustitiae venditionem (17). Saec. XIII generales habentur Decretales Innocentii IV (18) et Bonifacii VIII (19), in quibus et iudicum corruptio et aliorum officialium pro obtinendis rescriptis et privilegiis a Sede Apost. — Reatus in iudice (corruptio passiva) consummatus habebatur etiam independenter a pronuntiatione sententiae (20); corruptionis *activae* reus esse potest, sive sit sive non sit pars in causa, quicumque sive promissis sive donis obtineat sententiam, quam quaerebat (21); datio ad obtinendam sententiam iustam non erat factum incriminabile. Pariter delictum activae corruptionis habebatur consummatum oblatione doni vel eius promissione. — Poena initio erat suspensio ab officio (22); deinde vero iudex, qui contra iustitiam ageret ob favorem vel cupiditatem, suspendebatur per annum et violata suspensione incurreret irregularitatem et in poenas iure romano comminatas. Qui vero ad obtinendam a Sede Apost. gratiam aut privilegium dona largirentur aut eorum promissionem facerent vel ea reciperent et qui huiusmodi non denuntiarent excommunicationem incurrerent R. P. reservatam (23), quae in const. *Apost. Sedis* non fuit retenta.

Iure Codicis hoc can. 2407 videtur respici corruptio *activa* (24), et percelli eos qui publicos officiales corrumpunt atque adeo, qui

(16) Can. 1, D. 83.

(17) Can. 66 (Gregor. I), c. 71 (August.), c. 78 (Isidor.), C. XI, q. 3; c. 15, § 1 (August.) C. XIV, q. 5.

(18) Cap. 1 in VI^o de sent. et re iud. II, 14.

(19) Cap. 11, § 4 in VI^o de rescr. I, 3; cap. 1 in extrg. comm. de sent. V, 10.

(20) Cap. 11, § 4 in VI^o, I, 3; cap. 1 in VI^o, II, 14. Cfr. cit. cap. de rescriptis, quae iudici fuerunt permissa recipi (esculenta et poculenta) necnon expensas itineris necessarias, modo iter non faciat sine necessitate in finem expensas recipiendi, exclusis semper pauperibus.

(21) Cap. 1 in Extravg. comm. V, 10.

(22) C. 1, D. 89.

(23) Cap. 1 in VI^o de sent. et re iud. II, 14. — Cfr. *Hollweck* l. c. § 204, 297; *Thesaurus* P. II, v. *munera*.

(24) Quod attinet ad iudices, advocatos et procuratores plures sanctiones poenales habentur, quibus passiva corruptio percellitur in canonibus de processibus (can. 1624, 1625, 1665, 1666); de teste agit can. 1755, § 3. — Illud probe notandum corruptionem passivam continere abusum potestatis; quare quovis modo fiat, punibilis est, ex generali praescripto can. 2404.

delictum corruptionis attentant, tametsi effectum non obtinuerint. Exigit autem ut induxerint vel conatum adhibuerint ad inducendum publicum officialem, ut in exercitio *sui muneris* aut actionem ad negotium *ecclesiasticum* pertinentem contra legem *ponat*, aut actionem debitam *omittat* oblatis donis aut eorum promissione. Publicum officialem intelligit quemlibet Officialem Curiae, quemlibet ecclesiasticum administrum eiusdem Curiae, iudices, advocatos vel procuratores. — Facile cum hoc delicto connexum esse potest crimen *falsi* et delictum *simoniae* (cumulus delictorum).

Poena est indeterminata: insuper adhibenda *coactio* ad reparanda damna, si qua illata fuerint.

534. Abusus in taxis exigendis. Codex praecipit ut taxae, quae a fidelibus solvendae sunt pro variis actibus iurisdictionis voluntariae, pro executione rescriptorum S. Sedis, pro actibus iudicialibus et occasione administrationis sacramentorum et sacramentalium sint per legem definitae (25), et ubi praefinitio per legem nondum facta sit saltem ex probata consuetudine determinatae esse debent. Fideles obligantur ad eas solvendas in definita certa quantitate (26), non ultra. Publicus officialis, cui ius est eas exigendi, abusum officii committit, si turpis lucris causa, eas arbitrio suo *auget*, aut praeter eas *aliquid exigit* tamquam ex iure debitum; quo abusu simul *iustitiam* violat. Ex delicto contra iustitiam oritur obligatio restituendi quidquid iniuste perceptum est. Ob abusum officii in hac re patratum, poenas incurrit, quae in hac materia magis efficaces sunt, si infligantur per iudicem, quam si essent latae sententiae.

Poena: a) *gravis mulcta pecuniaria* fer. sent. ultra restitutionem iniuste percepti.

b) *in recidivum*, *suspensio vel remotio* ab officio fer. sent. secundum casus gravitatem, quae pendet et ex quantitate exacta et ex maiore vel minore iteratione delicti (can. 2408) (27).

(25) Cfr. can. 1507, 1056, 1234, 1909.

(26) Cfr. can. 2349.

(27) Pius V Const. «*In carum*» 18 Maii 1569 edixit officiales Cancellariae Romanae, qui aliquid supra statutas taxas exegissent, privatos esse officii, inhabiles ad illa obtinenda et infames. Cfr. *Hollweck* l. c. § 204, not. 3.

535. Abusus in concedendis litteris dimissoriis pro ordinatione.

I. Committitur a *Vicario Capitulari*, si litteras *dimissorias* ad ordinationem concedit, *aut* intra annum a sede vacante iis, qui non sunt arctati ratione beneficii recepti vel recipiendi vel ratione *peculiaris officii* cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione sit providendum, *aut* post annum a sede vacante sed sine consensu Capituli. Abusus consistit in excedendo limites potestatis.

Poena. *Suspensio* a divinis lat. sent. (can. 2409) (28).

II. Similis abusus committi potest a religiosis. Huius rei sunt *Superiores religiosi* qui *praesumpserint* subditum ordinandum dimittere ad Episcopum non dioecesanum extra casus in iure admissos (can. 965-967), *aut* in fraudem legis ad aliam domum transferre, *aut* de industria concessionem dimissorialium ad illud tempus differre, quo Episcopus vel abfuturus vel nullas habiturus sit ordinationes. (Cfr. *Wernz-Vidal* t. IV, n. 199 sq.).

Poena: *Suspensio a missae celebratione* per mensem, lat. sent.

536. Abusus in regimine religiosorum.

A) *Admissio illegitima ad noviciatum*. Haec fit:

1°) per admissionem candidati *non idonei*, cui sc. obstat ad ingressum saltem unum ex impedimentis ad validam vel licitam admissionem enumeratis in can. 542.

2°) per admissionem factam sine requisitis can. 544 *litteris testimonialibus*. Delictum committitur etiam a Superiore *societatis clericalis* sine votis. (Commissio Codic. 2, 3 Junii 1918).

Poena: *indeterminata*, quae potest pertingere ad *privationem officii*.

B) *Admissio illegitima ad professionem*. Haec fit cum ad professionem admittitur novicius, qui, aut *non idoneus* aut *dubie idoneus* ad vitam religiosam, post experimentum factum iudicatus est, violando praescriptum can. 574, § 2.

Poena: sancitur eadem, quae in delicto praecedenti (can. 2411).

C) *Transgressio legum de dote religiosarum*. Agitur tantum de religiosis mulieribus. Delictum committitur a Superiorissa, etiam religiosarum exemptarum, quae praesumpserit impendere dotes puella-

(28) Cfr. *Hollweck* l. c. § 295, not. 3, 4.

rum receptarum, ad quemcumque finem, etiam ad aedificandam domum aut ad aes alienum extinguendum, violando legem can. 549, qua iubentur dotes post primam religiosae professionem collocari in tutis ac fructiferis nominibus, servendae usque ad religiosae obitum.

Poena est indeterminata, quae pertingere potest usque ad *privationem officii* (can. 2412, 1°).

D) *Omissio nuntii* de admissione ad noviciatum vel professionem, quod debet ad Ordinarium mitti, ad hoc ut is, per se vel per alium, explorationem faciat admittendae.

Poena est eadem ac in delicto praecedenti (can. 2412, 2°).

E) *Delictum in visitatione canonica*. Delictum committit:

1°) Antistita, quae, post indictam visitationem, aliquam religiosam in aliam domum, Visitatore non consentiente, transtulerit.

2°) Omnes religiosae, sive subditae sive ipsa Antistita, quae per se vel per alios, directe vel indirecte, religiosas induxerint ut interrogatae a Visitatore taceant vel veritatem quoquo modo dissimulent aut non sincere exponant.

3°) Religiosae quaevis, quae aliis religiosis, ob responsa quae Visitatori dederint, molestiam, sub quovis praetextu attulerint.

4°) Quae tribus praecedentibus numeris de religiosis sororibus sancita sunt, virorum quoque religionibus sunt applicanda.

Poena: 1°) ab ipso Visitatore sunt declarandi *inhabiles* ad ea officia, quae aliorum regimen secumferunt, fer. sent.

2°) Antistitae vero *officio*, quo funguntur, *sunt privandae* (can. 2213).

Eadem applicantur societatibus *clericalibus sine votis*, quae pariter obnoxiae esse ponunt visitationi (Comm. Cod. 2, 3 Iunii 1918).

F) *Delicta contra libertatem confessionis*. Hoc committunt Superiorissae, quae *difficultates* creant subditis, volentibus pro sua confessione adire confessarium extraordinarium. *Libertatem* ad hoc ius concedit: 1°) quando religiosa vult adire aliquem ex sacerdotibus, ab Ordinario pro singulis domibus *pro particularibus casibus designatis*; 2°) quando ad suae conscientiae tranquillitatem cuicumque confessario pro mulieribus approbato *extra domum*, in *ecclesia* vel *oratorio* etiam semipublico confessionem peragit; 3°) quando *graviter aegrotat*, etiam extra mortis periculum; tunc enim quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum accessere potest, quoties voluerit, eique confiteri. (De hac re agunt cc. 521-523).

Has leges, libertatem confessionis protegentes, violat Antistita: a) si confessarium petenti *denegat*; b) si religiosae libertatem *coarctat* verbis aut factis, *aut* petitionis rationes, per se vel per alios, directe vel indirecte *inquirat*; c) si quavis ratione ostendat se usum libertatis *aegre ferre*.

Poena: a) prima vice a loci Ordinario *moneri* debet:

b) in casu reincidentiae puniri debet *privatione officii*, re *denuntiata* ad S. C. de Religiosis (can. 2414) (29).

A. M. D. G. et B. V. M.

(29) Quae pertinent ad haec religiosorum delicta, uberius explicata sunt in tomo De Religiosis — *Wernz-Vidal* tom. III.

INDEX ALPHABETICUS

(Numeri referuntur ad numeros marginales, non ad numeros paginarum)

- Abbas:** benedictionem non recipiens, 526.
- Abortus:** eiusque poenae, 472 sq.
- Absolutio:** a poena, 208; subiectum activum, 209 sq.; a censuris, 258 sq.; principia tenenda, 260 sq.; subiectum activum, 263; conspectus historicus, 264; condiciones requisitae, et modus procedendi, 265 sq.; ab excommunicatione, 291; ab interdicto, 310 sq.; a suspensione, 329.
- Abusus:** potestatis varia species, 531; in actis publicis, 532; in taxis exigendis, 534; in concedendis litteris dimissoriis, 535; in regimine religiosarum, 536; in reliquiis, 433.
- Aetas:** in ordine ad delictum, 60 sq.; ad poenas, 61.
- Amentia:** notio, et species, 64; in ordine ad imputabilitatem, *ibid.*
- Appellatio:** notio, effectus, 250; a censuris, 251 sq.; ad Concilium, eiusque poenae, 446; ad Statum contra Ecclesiam, 447.
- Applicatio iuris poenalis:** quoad infideles Ecclesiae non subiectos eandem vexantes, 400 sq.
- Beneficiatus:** professionem fidei negligens, 526.
- Beneficii acceptatio:** non vacantis vel incompatibilis, 525; intrusio in beneficium et factum intrusionis periculum inducens, 525; usurpatio auctoritatis in provisione beneficium, 523; suspensio a beneficio, v. *Suspensio*. *Excommunicatio* . . .
- Blasphemia:** eiusque poenae, 417 sq.
- Bonorum ecclesiast.:** usurpatio, 459 sq.; alienatio illegitima, 462 sq.
- Canonicus theologus et poenitentiarius:** in officio negligens, 518.
- Cardinalis:** relate ad censuras, 274; iuramentum praescriptum recusans, 526.
- Casus fortuitus:** notio, 45; imputatio, 82.
- Censura:** notio, divisio, origo, 222 sq.; subiectum activum et passivum, 227 sq.; exempti, 228; obiectum, 229 sq.; multiplicatio, 234; excusatio, 235; condiciones ut incuratur, 236 sq.; modus procedendi, 241 sq.; denuntiatio, 246; effectus, 247 sq.; appellatio a censuris, v. *Appellatio*; reservatio, 253 sq. — Cessatio et absolutio in foro interno et externo, 257 sq.; censurarum contemptus, 450. — Censurae a iure non reservatae, et reservatae, 262 sq.
- Cessatio a divinis:** notio, notae historicae, 312; divisio et effectus, *ibid.*; finis, forma, et subiectum, *ibid.*
- Clericus:** subiectum excommunicationis, 274; interdicti, 288; suspensionis, 314; eius degradatio, v. *Degradatio*; habitum non gestans, 515; legem residentiae violans, 516; negotiationem vetitam exercens, 516; communes clericorum obligationes violans, 515; munus impositum deserens, 527; officium vel beneficium in laicorum manus dimittens vel illegitime retinens, 527.

- Coactio:** ut forma cooperationis in delictum, 117; iniusta in canonica electione, 523.
- Cocainismus:** ut in imputabilitatem influens, 70.
- Collusionis:** crimen, 499.
- Communicatio:** in divinis vetita, 450; cum haereticis, 407, 410.
- Complicis absolutio:** 501.
- Conatus delicti:** notio, species, 131 sq.; eius elementa, 139 sq.; imputabilitas, 145.
- Concubinatus:** 494.
- Concursus:** in delicto: notio, divisio, 112 sq.; notae historicae, 115; condiciones, 116; variae formae, 117 sq.; disciplina vigens relate ad imputabilitatem, 121 sq.; delictorum in eodem delinquente, 125 sq.
- Conditio delinquentis:** quoad imputabilitatem, 63.
- Coniuratio:** contra Eccl. et Statum, 448.
- Cooperationis:** in delicto variae formae, 117 sq.
- Correptio:** ut remedium poenale, 371.
- Corruptio:** publici officialis, 533.
- Crimen falsi:** eiusque species, 495 sq.; v. *Delictum*.
- Culpa:** fons imputabilitatis, 39; species, 42 sq.; gradus, 43; in ignorantia legis, 46 sq.; v. *Ignorantia*.
- Damnum:** delicto illatum, immediatum et mediatum, privatum et publicum, 29 sq., 58; particulare et universale, 53.
- Defensio legitima:** ut causa excludens imputabilitatem, 96 sq.
- Defensio doctrinae:** damnatae, 408.
- Degradatio clerici:** notio, 359; notae historicae, 360; species, 361; subiectum activum et passivum, 362; causa degradationis, 364; forma et ritus, 365; effectus, 366 dispensatio et restitutio, 367.
- Delictum ecclesiasticum:** notio, 24 sq.; eius elementa, 28 sq.; divisio, 35; subiectum activum, et passivum, 37 sq.; qualitas, 51; quantitas, eiusque criteria, 52 sq.; gradus, 55 sq. — Causae aggravantes, 102 sq.; concursus plurium in idem delictum, 116 sq.; fautores, 119; concursus delictorum, 125 sq.; delictum continuatum, habituale, permanens, 129. — Effectus delicti, actio poenalis et civilis, 147 sq. — Delicta ecclesiastica communia, 376 sq.; delicta in specie, 443 sq.; contra bonos mores, 490.
- Denuntiatio calumniosa:** 500.
- Divinatio:** superstitionis modus, 430.
- Dolus:** fons imputabilitatis: notio, 40; species, 41; praesumptio, 48; praemeditatus, deliberatus, repentinus, 57.
- Duellum:** eiusque poenae, 475 sq.
- Ebrietas:** relate ad delictum: notio et species, 70 sq.; influxus in imputabilitatem ibid.
- Ecclesia:** eius finis, et modi quibus eum attingit, 25; eius potestas in delictum civile ratione peccati, 27; eius potestas infligendi poenas, 160; eius systema poenale, 162 sq.; quinam in Eccl. gaudent potestate coactiva, 164 sq.; extensio, 166 sq. — Ecclesiarum violatio, 442.
- Editio librorum:** damnatae doctrinae, 409.
- Electionis forma:** neglecta, 523.
- Episcopi:** quoad incursionem censurarum, 288 sq.; consecrationem non recipientes, 526.
- Eucharistiae profanatio:** 412.
- Excommunicatio:** notio, divisio, origo, 268 sq.; subiectum activum, et passivum, 273 sq.; obiectum seu causa, 275 sq.; a iure et ab homine, 276; effectus immediati, 277 sq.; mediati, 290; absolutio, v. *Absolutio*; insordescencia in excommunicatione, 452.
- Expiatio poenae,** 204.

- Falsa denuntiatio:** confessarii, 500.
- Falsi crimen:** eiusque species, 495 sq.; falsum dicto in teste, perito, avvocato, procuratore, 498; falsum *scripto* vel *facto*, in actis S. Sedis, ibid.; in aliis actis ecclesiasticis, ibid.; in subreptione et obreptione quoad rescripta, ibid.
- Fautores delicti:** v. *Delictum*.
- Furtum:** 483.
- Homicidium:** 467 sq.; qualificatum, 473.
- Ignorantia:** eiusque varia species, 46 sq., 74 sq.; relate ad imputabilitatem, 76 sq.; ignor. *facti*, 79; relate ad poenas, 200 sq.; in censuris, 236 sq., 248 sq.
- Impeditae iurisdictionis:** delict., 449.
- Impuberes:** relate ad delicta, 61; ad poenas, 61; subiectum poenarum, 194.
- Imputabilitas:** notio, 30; politica, et civilis, 26 sq.; physica et moralis, 30 sq.; fontes, 39 sq.; gradus, causae quae aggravant, minuunt, tollunt, 55 sq.; v. *aetas*, *sexus*, *conditio*; in recidivis, 150 sq.; in conatu delicti, 145.
- Imputatio:** notio, 30.
- Incendium:** 484.
- Incommodum:** relate ad imputabilitatem, 90 sq.
- Indigni:** electio, praesentatio, nominatio, 523.
- Indulgentias:** ad questum adhibere, 438.
- Infantes:** quoad delicta, 61 sq.; et poenas, 134 sq.
- Iniuriae verbalis:** delictum, 455 sq.
- Insordescencia:** in censura excommunic., 452; suspensionis, 452.
- Interdictum:** nomen, notio, divisio, 292 sq.; notae historicae, 296; subiectum activum et passivum, 296 sq.; condiciones, forma et effectus, 299 sq.; species, 303 sq.; cessatio, 309 sq.
- Iudex:** in applicanda lege poenali, 167 sq.; in poenis ordinar. et arbitrariis 175 sq.
- Ius poenale:** notio, divisio, 3, sq. fontes, 6, sq.; litteratura, 10 sq. natura et fundamentum, 14 sq.; loesio iuris quatenus imputatur, v. *imputabilitas*; relate ad infideles, 400 sq.
- Ius poenale civile:** Ecclesiae influxus, 12 sq.
- Ius ecclesiasticum poenale:** eius extensio, 1.
- Ius Naturale:** ut fons iuris poenalis ecclesiastici, 6.
- Ius Romanum:** fons iuris poenalis ecclesiastici, 7.
- Iussum:** forma cooperationis 117; eius revocatio 118.
- Lex poenalis:** notio, 25; 31; differt a praecepto poenali, 25.
- Leges poenales:** saeculares fontes iuris eccl. poenal. 7 sq.; applicatio et interpretatio, 167 sq. 178 sq.; relatio inter forum eccl. et saeculare 81 sq.
- Mandatum:** notio 94; forma concursus 117; eius revocatio 118.
- Matrimonii mixti:** illicita celebratio 514.
- Metus:** notio, species, influxus in imputabilit. 85 sq.; relate ad effectus censurae 248.
- Minores:** ut subiectum poenae 194.
- Missarum mercimonium:** 440.
- Monitiones** in censuris infligendis, 244.
- Morphinismus:** 72.
- Mortui:** non sunt subiectum delicti, 37; sunt incapaces censurae ecclesiasticae, 228.
- Mutilatio:** 471.
- Necessitas:** notio, species, eiusque influxus, relate ad imputabilitatem, 90 sq.; ad effectus censurae, 248.
- Neglecta adimpletio** legati, donationis, 465.

- Obedientiae denegatio:** 444; inobedientia qualificata, 445.
- Ordinatio:** illegitima, 512, sq.; Episcopi, 512; alieni subditi, ibid.; proprii sine testimonialibus vel sive titulo canonico, ibid.; religiosi, ibid.; illegitime ordinati poenae, 513.
- Ordo iuridicus:** socialis 39.
- Orientalis** relate ad leges poenales Codicis 198.
- Pagani:** in iure poenali Eccl. 228, 400 sq.
- Parochorum:** delicta, 517.
- Passio:** notio eiusque species 99 sq.; relate ad imputabilitatem 101; relate ad poenas 200.
- Peregrini** quoad censuras locales 228.
- Periurium** eiusque poena 422 sq.
- Persona moralis,** subiectum activum delicti, 37 sq.; subest interdicto 288; suspensioni, 318.
- Phrenasthenia:** et phrenesis in delinquente attendenda 64 sq.
- Poenae:** eius finis, 20 sq.
- Poenae ecclesiasticae:** notio, 151; finis, 152 sq.; comminatio et executio, 154; divisio, 155 sq.; iustae et iniustae, 157 sq.; subiectum activum, 160 sq.; cumulatio, 172; ordinariae et arbitrariae, 175 sq.; modus infligendi, 183; subiectum passivum, 193 sq.; extinctio et remissio, 202 sq.
- Poenae medicinales:** v. *Censura*.
- Poenae vindicativae:** notio, divisio 332 sq.; notae historicae, 334; poena capitalis, 335, sq.; fustigatio 337; incarceration, reclusio, 338; exsilium, deportatio, relegatio, 339; characteres poenae vindicativae 340; damnatio condicionalis, 341; poenae vindic. clericorum, 347 sq.; declaratio, 349; depositio clerici, 350 sq.; degradatio clerici, 359 sq.
- Poenae capitalis:** 335.
- Poenitentiae:** notio, scopus, species 372 sq.; notae historicae et usus in iure poenali 374.
- Praeceptum poenale:** notio 25; quatenus aequivalet monitioni canonicae ibid.; generale et peculiare 156, quatenus aequivalet legi 166; ut remedium poenale 371.
- Praestationis debitae:** recusatio 466.
- Privilegii:** fori violatio 453; privilegii canonis 454.
- Provocatio:** relate ad imputabilitatem, 98; quibus modis verificatur, 117.
- Quasi-delictum:** notio 46; fundamentum imputabilitatis, ibid.; condiciones ut imputari possit 44.
- Rapina:** 484.
- Raptus:** ut delictum eiusque poena 482.
- Ratihabitio** delicti patrati, 120.
- Reincidentia:** in delictum, 105 sq.; condiciones requisitae 109; in ordine ad augendam poenam 174.
- Religiosorum delicta:** 519; apostatae a religione, 520; fugitivi, 521; dolose professionem emittentes, 522; vitam communem non servant, 522; sacrilegum matrimonium contrahentes, ibid.
- Remedia poenalia:** scopus et usus 369; species in Codice et modus ea applicandi 371.
- Sacramentum:** indigno ministratum vel sine potestate, 501.
- Sacrilegium:** eiusque varia species, 434 sq. 438 sq.; eius poena 437 sq.; locale 441.
- Schisma:** eiusque species 395 sq.; ambitus delicti 398; poenae 399.
- Secta massonica:** aliaeque similes, 448.
- Sepulturae ecclesiasticae** legum violatio, 451.
- Sigilli sacramentalis:** violatio eiusque poenae 502 sq.
- Simoniam:** in beneficiis, 524; in sacramentis, 511.

- Societas in delicto:** 117.
- Sollicitatio ad turpia:** in confess. sacram. 507 sq.
- Somnus:** quoad delictum et imputabilitatem, 67 sq.
- Suicidium:** eiusque poenae, 474.
- Superstitio:** eiusque varia species 427, poenae, 432.
- Surdities:** in ordine ad imputabilitatem, 66.
- Surdotismus:** relate ad imputabilitatem, 66.
- Sexus:** relate ad imputabilitatem, 62.
- Suspensio:** nomen, notio, divisio, 313 sq.; notae historicae, 316; subiectum activum et passivum, 317 sq.; condiciones, forma, 319 sq.; effectus, 321 sq.; suspensio generalis et partialis, 324 sq.; in communitatem, 328; cessatio, 329; insordescencia in cen. suspensionis, 452.
- Testis:** in iudicio mendax repertus, 498.
- Theoriae:** de fundamento potestatis coercitivae 14 sq.
- Transgressio:** legis naturalis, 29; quatenam sit delictuosa, 31; differtne a delicto, 36; legum politiae, 39; levis transgressio legis eximit a poena, 170; transgressio gravis, 169 sq.
- Usura:** historice et iuridice considerata ut delictum, 485 sq.
- Usurpata auctoritas:** in provisione officii et beneficii, 523.
- Usurpatio bonorum:** eccles. 459.
- Usurpatio ordinis:** sacerdotalis, 414.
- Vana observantia:** ut superstitio 431.
- Vigilantia:** ut remedium poenale, 371.
- Violatio libertatis:** quoad ingressum in religionem vel statum clericalem, 481.
- Vis et coactio:** in ordine ad delictum, 83 sq.
